
SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

repaired

M. ACCII PLAUTI
COMOEDIAE.

AD
PRAESTANTIUM LIBRORUM FIDEM RECENSUIT,
VERSUS ORDINAVIT,
DIFFICILIORA INTERPRETATUS EST

CAROLUS HERM. WEISE.

ALTERA EDITIO
MULTIS IN PARTIBUS LOCUPLETATA.

TOMUS II.

INSUNT:
MOSTELLARIA, PERSA, POENULUS, PSEUDOLUS, RUDENS,
STICHUS, TRINUMUS, TRUCULENTUS. INDEX.

QUEDLINBURGI ET LIPSIAE.
TYPIS AC SUMTIBUS GODOFR. BASSI.
LONDINI: WILLIAMS ET NORGATE.

MDCCCXLVIII.

repaired

M. ACCII PLAUTI
COMOEDIAE.

AD

PRAESTANTIUM LIBRORUM FIDEM RECENSUIT,
VERSUS ORDINAVIT,
DIFFICILIORA INTERPRETATUS EST

CAROLUS HERM. WEISE.

ALTERA EDITIO

MULTIS IN PARTIBUS LOCUPLETATA.

TOMUS II.

INSUNT:

MOSTELLARIA, PERSA, POENULUS, PSEUDOLUS, RUDENS,
STICHUS, TRINUMUS, TRUCULENTUS. INDEX.

QUEDLINBURGI ET LIPSIAE.

TYPIS AC SUMTIBUS GODOFR. BASSI.

LONDINI: WILLIAMS ET NORGATE.

MDCCCXLVIII.

MOSTELLARIA.

DRAMATIS PERSONAE.

TRANIO, servus Philolachis.
GRUMIO, coquus.
PHILOLACHES, adol., filius Theuropidis.
PHILEMATIUM, puella.
SCAPHA, eius ancilla.
CALLIDAMATES, Philolachis familiaris.
DELPHIUM, amica Callidamatis.
THEUROPIDES, senex, pater Philol.
SIMO, eius vicinus.
DANISTA.
PHANISCUS, servus Philolachis.
SERVOS ALIUS.
PUER.

SUMMARIUM.

Absente domo Theuropide, eius interim filius Philolaches decoquit domi cum familiari Callidamate et servo Tranione. Aere quoque mutuo ab danista sumto, liberat Philematium. Accumbentibus igitur in convivio apud Philolachem cum amoribus suis, ex insperato redit pater Philolachis, Theuropides. Consternati aufugere cupiunt. Sed impedimento est Callidamatis crapula. Igitur expedit rem Tranio. Hortatur, ut quieti maneant, neque se moveant quoquam. Obviam it seni. Fabulam fingit, monstra videri in aedibus. Accedit autem danista, foenus petitum. Unde quaerenti Theuropidi, cuiusnam rei causa mutuum filius sumserit, Tranio aedes emisse dicit; porroque sciscitanti, quas? pergit mentiri, vicini, Simonis; a quo etiam praesente impetrat, ut liceat eas Theuropidi inspicere. Is introit cum Tranione, et contemplatur. Egressus ablegat Tranionem rus, ut filium arcessat. Interim ad aedes Theuropidis accesserant servi Callidamatis, quos ille iusserat sibi advorsum venire. A quibus comperit Theuropides se esse deceptum; edoctusque porro a Simone, Tranionem acriter punire parat. Ille audacter prodit, suspicatusque periculum, in aram confugit. Accedente deinde Callidamate et pro omnibus deprecante, cedit senex precibus, et condonat.

(Mostellaria dicitur a mostris, h. e. monstris. V. 2, 2, 73. — Scena est Athenis. Cf. V, 1, 24.)

ARGUMENTUM.

Manumisit emtos suos amores Philolaches,
Omnémque absente rém suo absumit patre.
Senem, út revenit, ludificatur Tránio:
Terrífica monstra áit videri in aédibus,
Et inde primum esse émigratum. Intérvenit
Lucripeta foenus foénerator póstulans,
Ludúsque rursum fit senex: nam mútuum
Accéptum dicit pignus emtis aédibus.
Requirit, quae sint. Áit, vicini próxumi.
Inspéctat illas; póst se derisúm dolet;
Ab sui sodale gnáti exoratúr tamen.

ACTUS I. SCENA I.

GRUMIO. TRANIO.

Exi é culina, sís, foras, mastígia,
Qui mi ínter patinas éxhibes argútias.
Egrédere, herilis pérnicies, ex aédibus.
Ego pól te ruri, sí vivam, ulciscár probe.
Exi, ínquam, nidor, é culina. Quíd lates?
Tr. Quid tíbi, malum, hic ante aédis clamitátio est?

Argum. v. 1. *suos amores*, videlicet Philematium.

4. *ait videri*. Sic vett. et vulg. — Veneta: *dicit sentiri*. Both. *dicit fieri*, ex Taubm. coni. — Pal. *Dicit sileri*.

5. *primum*. Both. *pridem*, ex coni. Cf. II, 2, 40. — Vett. *esse* post *emigratum*. Omittit vulg. et Veneta. Ego transposui.

7. Vett. *Ludosque*. Cf. Bacch. V, 1, 4.

8. Sic vulg. — Vett. *Acc. inde dicit pignus aedibus*. Veneta: *Acceptum suum dicit p. emtis aedibus*. Pall. *acceptum dicit*. Sensus: nam dicit Tranio, pecuniam ab illo mutuam esse acceptam, quia filius aedes emerit.

9. *Requirit*, sc. senex. — Vett. *quae sunt*. Pall. *sint*.

11. *Ab sodale*, h. e. Callidamate.

Act. I. Sc. I. Obiurgia lepidissima inter servum urbanum filiifamilias Tranionem, et inter rusticum Grumionem, qui venerat in urbem, ut peteret ab eo aut ab hero ervum bubus suis (cf. v. 58). Rixae fere similes pastoriis, quae leguntur apud Theocritum et apud Virgilium in Eclogis.

2. *argutias*, qui verbis me lactas, facetiisque deludis, dum ervum pete bobus meis. Cf. v. 58.

4. *si vivam*. Similia vide Cas. I, 1, 28. et seqq.

5. *nidor*, h. e. qui tam assiduo versaris in culina quam nidor; sive: tam assiduo, ut nihil nisi culinam oleas. Pall. *Exi iniquam nidore cupinam quid lates*. Bothius: *Exi, inquam; nidorem excipis. Nam quid lates?*

6. Vett. ut fere Pall. *clamatio est*. Both. *est clamatio*. Nostr. vulg. atque *clamare* et *clamitare* saepius inter se permutantur. Cf. Cic. de Invent. I, 19. ubi in loco ex Terentii Adelphis citato

An rúrí censes te ésse? Abscede ab aédibus!
Abi rús! abi diérecte! abscede ab iánua!
Hem, hoccíne volebas? *Gr.* Périi, cur me vérberas?
Tr. Quia tú vis. *Gr.* Patiar. Síne modo adveniát senex:
Sine módo venire sálvom, quem absentém comes.
Tr. Nec vérisimile lóquere nec verúm, frutex,
Comésse quemquam ut quísquam absentem póssiet.
Gr. Tu, urbánus vero scúrra, deliciaé popli,
Rus míhi tu obiectas? Sáne credo, Tránio,
Quod te ín pistrinum scís actutum trádier.
Cis hércle paucas témpestates, Tránio,
Augébis ruri número genus ferrátile.
Dum tíbi lubet licétque, pota, pérde rem,
Corrúmpe herilem fílium, adulescentem óptumum:
Diés noctesque bíbite, pergraecámini;
Amícas emite, líberate: páscite
Parasitos: opsonáte pollucíbiliter!
Haeccíne mandavit tíbi, quom peregre hinc iít, senex?
Hoccíne modo hic rem cúratam offendét suam?
Hoccíne boni esse offícium servi exístumas,
Ut héri sui corrúmpat et rem et fílium?
Nam ego íllum corruptum dúco, quom his factís studet;
Quo némo adaeque iúventute ex omni Áttica

editiones omnes spurce atque insulse referunt: *Venit ad me saepe clamitans: Quid agis, Micio?*

8. Similiter Cas. I, 1, 15. *Abi rus! abi dierectus tuam in provinciam.* De prosodia v. *dierectus* cf. Capt. III, 4, 103. Bacch. IV, 1, 7. Curc. II, 1, 25. Merc. I, 2, 72. Poen. I, 1, 32. Men. II, 3, 92. Errat enim Rostius, quemadmodum tantum non in omnibus, quae in Commentationibus suis Plautinis decantavit.

9. *Hem*, interiectio hic est verberantis. Cf. Mil. V, 12. Curc. I, 3, 39. et indicem. Vett. *En.*

10. Vulg. *Quia tu vis*, quia tu talem te geris, qui sit verberandus; ut praec. versu dixit: *hoccine volebas?* — Both. cum V. C. *quia vivis*, atque Veneta: *Quia vivis patinas. Gr. sine modo* etc. Nam Veneta duos primos huius scenae versus Tranioni tribuit. Decurt. *quia vivus.*

14. *tu urbanus vero scurra.* Haec opponuntur praec. *frutex*, quo rusticitas Grumionis notabatur. — *Scurrae* in universum sunt urbani homines, (Cf. Curc. 2, 3, 17. Poen. 3, 2, 35.) lepidi, elegantes. Vid. indicem.

16. *pistrinum* erat locus, ubi servi pinsebant far, id quod saxo fiebat et pilo. Ait autem eum ideo sibi obiicere rus, quia sciat, brevi sibi male futurum ibi, quippe in pistrinum tradendo.

18. *genus ferratile*, qui catenas gerunt ferreas, ut solebant servi, qui poenae causa in pistrinum mittebantur. Sic Asin. I, 1, 21 ea loca vocantur *ferricrepinae insulae.* Et infra II, 1, 9. *ferritribaces viri.* — Pro *numerum*, quod habet vulg., vett. *numero*, quemadmodum et scribendum censet Lambinus, *numero* autem eo sensu, ut sit *cito, brevi, mature.* Ego existimo item scribendum *numero*, sed ut sit abl. *an der Zahl.* Veneta: *numerum*, uti et Pall.

19. Vulg. et Vett. *Nunc, dum t.* At Veneta omisso *Nunc.* Both. omisso *tibi.*

20. Quod Veneta omittit, *filium*, habent vulg. et vett. post *herilem.* Ac sane haud raro v. *filius* occurrit ita enunciandum, ut elidatur media *i.*

23. *pollucibiliter*, sumtuose, a v. *pollucere*, quo utebantur veteres in poculentis aut esculentis, quae diis offerebantur, praesertim in sacris Herculi. Hinc et *polluctum* dicebatur. Rud. 5, 3, 63. Stich. 2, 1, 80. V, 4, 6. — *pergraecari* est Graeco more epulis et potationibus crebris uti, imprimis maioribus poculis. Cf. Truc. 1, 1, 69.

27. *et rem et f.* Vett. *corrumpat absentis filium.* Veneta: *corr. semet filium.* Nostr. vulg. et Pall.

Antehác est habitus párcus nec magis cóntinens,
Is núnc in aliam pártem palmam póssidet.
Virtúte id factum túa et magisterió tuo.
Tr. Quid tíbi, malum, me, aut quíd ego agam, curátio est?
An rúri, quaeso, nón sunt, quos curés, boves?
Lubét potare, amáre, scorta dúcere:
Mei térgi facio haec, nón tui, fidúcia.
Gr. Quam cónfidenter lóquitur! fue! *Tr.* At te Iúpiter
Dique ómnes perdant: óboluisti állium,
Germána illuvies, rústicus, hircus, hára suis,
Canés capra commísta! *Gr.* Quid vis fieri?
Non ómnes possunt ólere unguenta exótica,
Si tú oles; neque supérior quam herus accúmbere,
Neque tám facetis, quám tu vivis víctibus.
Tu tíbi istos habeas túrtures, piscés, aves;
Sine me álliato fúngi fortunás meas.
Tu fórtunatus; égo miser. Patiúnda sunt.
Meúm bonum me, té tuum maneát malum.
Tr. Quasi ínvidere mihi hóc videre, Grúmio,
Quia míhi bene est, et tíbi male est. Dignissumum est.
Decét me amare, et té bubulcitárier;
Me víctitare púlcre, te miserís modis.
Gr. O cárnuficium críbrum, quod credó fore:
Ita té forabunt pátibulatum pér vias
Stimulís, si huc revéniat quam primúm senex.

29. Solemni more *iuventute* ab init. correptim pronunciandum, quemadmodum fit in verbis, quae mediam habent *v*, ut *avom*, *navem*, *avidus* etc.

33. *me* acc. pendet a subst. *curatio*, quod regit hic casum verbi sui, ut saepe in Plauto. Cf. Amph. I, 3, 21.

37. Vett. *loquitur fur*, ut et Veneta. Nostr. V. C. et vulg. et est ἅπαξ λεγόμενον in Plauto. — Lamb. *vae.*

39. Veneta: *hara mostellaria: capra commista.* Nostr. vulg.

40. Vett. *Canem capra commista.* Pall. *canem capram commixtam.* Lamb. *Canis*, *capra*, *commistae*, h. e. ubi commistae sunt canis cani, capra autem hirco, quia tum foedissime oleant. Verum *Canes* est sing. nominativus, ut *feles*, pro *canis.* Cf. Varro L. L. I. VI. Vulg. *Canes capro commixta*, ex emendatione Scaligeri, quia hircus oleat, non capra. Quam distinctionem fortasse non respexit poeta. Similem dictionem v. Pers. 3, 3, 2. *lutum lenonium*, *Commixtum coeno.*

40. Vulg. et vett. *quid tu vis f.* Nostr. Veneta et Both.

42. Vett. *Si tu oles: neque superior, quam herus, accumbere.* Veneta: *Sicut tu oles, neque superior accumbere.* Vulg. *Si tu oles: neq. sup. acc.* Both. *Sicut tu oles: n. superiori acc.* Verum mutatio fit numeri, ut *superior* sit pro *superiores.* Ceterum qui loquitur, rusticus est, non scurra. — *quam herus*, fortasse Saturnalibus; quod viderat Grumio facientem. Leguntur autem hae duae voces et in V. C.; desunt in Decurt.

43. Both. *quam tu, vivere victibus.* Nostrum omnes libri; atque infinitivus supplendus.

45. Sensus: Sine me fungi seu frui fortuna mea, dum alliato cibo pascor. *Fungi* enim cum acc. iungebant veteres, interdum eo sensu ut esset i. q. pati. Cf. Lucret. et nostr. Trin. prol. v. I. — *alliato*, bei *Zwiebelkost.*

52. Vulg. et vett. *O carnificum cr.* Both. *carnificium*, ex Iunt. et Ald. et Ms. Meursii. Lamb. *carnificinum.* Ita autem vocat, quia existimat fore ut eius corium stimulis ita perforetur, ut simile fiat cribro. Carnificium autem ait cribrum, quia illud effecturi sint carnifices.

53. *patibulatum*, h. e. cum patibulum feres, seu furcam. Servi enim per viciniam verberabantur furcam ferentes, teste Plutarcho. Cf. Cas. 2, 6, 37.

54. Vulg. Pall. et Veneta: *Stimulis si huc reveniat senex.* Item Lamb. At

Tr. Qui scis, an tibi istuc príus eveniat, quám mihi?
Gr. Quia núnquam merui: tú meruisti, et núnc meres.
Tr. Orátionis óperam compendíface,
Nisi té mala re mágna mactarí cupis.
Gr. Ervóm daturin' éstis, bubus quód feram?
Date aés, si ne estis. Ágite, porro pérgite,
Quo óccepistis! bíbite! pergraecámini!
Este! éffercite vós! saginam caédite!
Tr. Tace átque abi rus: ego íre in Piraeúm volo
In vésperum paráre piscatúm mihi.
Ervóm tibi alíquis crás faxo ad villam ífferat.
Quid est? quíd tu me nunc óbtuere, fúrcifer?
Gr. Pol tíbi istuc credo nómen actutúm fore.
Tr. Dum intérea sic sit, ístuc „actutúm" sino.
Gr. Ita ést; sed unum hoc scíto, nimio célerius
Veníre, quod moléstum est, quam illud, quód petas.
Tr. Moléstus ne sis: núnc iam i rus, teque ámove.
Ne tu érres, praeterhác mihi non faciés moram.
Gr. Satin' ábiit, neque, quod díxi, flocci exístumat?
Proh di ímmortales, óbsecro vostrám fidem,
Facite, húc ut redeat nóster quam primúm senex,
Triénnium qui iam hínc abest, priusquam ómnia
Periére, et aedes ét ager. Qui nisi húc redit,

vett. *Stimulis, si huc reveniat quam primum senex.* Bothius vulgatam habet, et versum inclusit. *Si* non elidendum. *Quam primum* simile dictioni *quam extempulo.* Trin. 2, 1, 20.

59. *ervum*, *ὄροβον*, hordei genus, quod bobus dabatur.

60. Vulg. *si non estis* sc. ervum daturi, date pecuniam, qua emam. Vett. *inhonestis.* Veneta: *date aes in honestis.* Both. nostr. ut *ne* sit pro *non*, sicuti *nevolt* etc. *Cf.* I, 2, 41. *Sibique aut materiae ne parcunt, nec s.* etc.

61. *Quo occ.* Sic Veneta. Reliquae et Both. *Quomodo occ.*

62. *saginam caedite.* Sic vulg. et vett., i. e. cibos comedite. Cf. I, 3, 79. *Nec quisquam parsimoniam adhibet: sagina plane est.* Sed Veneta: *este ac ferite vos saginam cedite.* Lambinusque mallt: *saginam cedite*, sc. mihi, i. e. date, videlicet saginam boum. Sed potius pro *concedite* tum dictum esse cogitandum erit, ut syllaba *ce* producatur. Verum *cedere et concedere* in Plauto plerumque est *incedere* aut *recedere* neutraliter, non transitive: cedere alicui aliquid. Quo ni moverer, scripserim: *Date aes inhonestis; agite.* etc. *Este, ecfercite vos: saginam cedite.*

63. Vulg. et vett. *Tace atque rus abi.* Veneta: *Tace atque abi tu rus.* Vox *abi* saepenumero duabus brevibus profertur. Mil. IV, 4, 58. Cas. 3, 4, 23. III, 5, 97. Cist. 2, 1, 35. V, 8. IV, 8, 62. Trin. 4, 1, 11. Nostr. Both.

64. *parare.* Verba eundi loco supini saepe infinitivus sequitur. Cf. Rud. 1, 2, 6. Trin. 4, 3, 8. Bacch. 2, 3, 120. IV, 2, 27. IV, 7, 59. Truc. V, 1. Curc. 1, 3, 51. Pseud. 2, 2, 47. IV, 5, 1.

67. *istuc nomen* sc. furciferi, utpote qui brevi gesturus sis furcam, quod erat poenae genus. Cf. ad v. 53.

70. *quam illud, quod petas.* Vulg. et vett. *quam id quod cupide petas.* Veneta: *Venire quod moleste quam illud quod cupide petas.* Adverbia similia crebro adiecta.

71. *nunc iam i rus, teque amove.* Sic vett. et vulg. — At Veneta: *nunc iam in rus te amove.* Both. *nunc iam hercle i rus: te amove*, e sequenti versu voce *hercle* accita.

72. Vulg. *Ne tu erres, hercle praeterhac* etc. Vett. non habent *hercle.* Veneta: *Ne tu erres: hercle praeter hanc.* — Adv. *praeterhac* legitur Men. I, 2, 3. — *ne tu erres* i. e. q. ut scias; ne ignores. Nam *errare* est: nescire.

73. *Satin' abiit*, i. e. q. Nonne abiit? Cf. Mil. II, 6, 1. et Epid. V, 2, 1. — Vett. *aestumat.*

Paucórum mensum súnt relictae réliquiae.
Nunc rús abibo: nam éccum herilem fílium
Videó, corruptum ex ádulescente óptumo.

ACTUS I. SCENA II.

PHILOLACHES.

Recórdatus múltum et diú cogitávi,
Argúmentaque ín pectus múlta institívi
Ego, átque in meó corde, (si ést quod mihí cor,)
Volútavi eám rem et diú disputávi,
Hominém quoius réii, quandó natus ést,
Similem ésse arbitrárer simulácrumque habére.
Id réperi iam exémplum.
Novárum aedium ésse arbitrór similem ego hóminem,
Quando híc natus ést. Ei rei argúmenta dícam.
Atque hóc haud vidétur verí simile vóbis?
[At ego id faciam esse ita ut credatis.]
Profécto, esse, íta út praedicó, vera, víncam.
Atque hóc vosmetípsi, sció, proinde utí nunc
Ego ésse autumó, quando dícta audiétis
Mea, haud áliter id dicétis.

78. *Paucorum mensum.* Vulg. et vett. *mensium.* Nostrum Both. atque sic requirit metrum, et iam Lambinus legi posse censuit, citato loco ex Verrinis, ubi eadem forma legeretur. Sensum idem hunc esse ait: *ex multis bonis pauca reliqua, et ex quibus paucorum mensium sumtus suppetere possit.* Nimirum *sunt* pro *erunt* ponitur, quemadmodum saepe praesens pro futuro. Cf. Capt. 3, 5, 91. Cas. 2, 8, 43. Cist. 2, 1, 60. Men. 1, 3, 6. III, 3, 15. infra III, 1, 150. Pers. 1, 3, 60. V, 2, 51. Stich. 4, 2, 28. 32. Supplendum autem *brevi.* Brevi tempore fiet, ut nonnisi ad paucorum mensium sumtum tolerandum reliquiae relictae sint.

79. *eccum* non habent vett. Habet vulgata et Decurt. et Veneta.

80. *hic* post *corruptum* non habet Veneta nec Pall. nec Bothius. Habent vett. et vulg. — Haec autem praeclare transitum faciunt ad sequentia.

Act. I. Sc. II. Canticum, quo depingit Philolaches statum perditum suum ac depravatum sub imagine aedificii, quod, ab initio bene a fabris fundatum, per negligentiam corruptum ruat.

1. Sententia est: Diu cogitavi, cuinam rei compararem hominem recens natum; tandemque reperi. — *Recordatus*, i. e. quando recordatus sum vitam hominum, aut vitam meam.

2. Vulg. et vett. *institui.* Nostr. Both. — *argumenta instituere* est: perpendere, cogitare. *in pectus* autem Lambinus ait esse dictum pro *in pectore*, antiquo more.

3. *Si est quod mihi cor.* Cor saepe apud veteres sapientiam videtur significasse. Cf. Epid. 3, 3, 3. Pers. 4, 4, 71. Ceterum et locus erat, quo dicebant, mulieribus deesse cor. Cf. Cist. I, 1, 67. Qui locus si hic respicitur, parum apte adhibitus videtur.

4. Vulg. etc. *Eam rem volutavi.*

11. Ego hunc versum spurium duco, quoniam sequens idem exhibet.

12. Veneta habet: *vera vincam*, uti et dedit Both. cum Pall. At vulg. et vett. *vero vincam*, ut Mil. 2, 2, 31. Sed illud aperte metrum requirit. Est igitur constructio: Profecto vincam, vera esse, ita ut praedico, h. e. quae praedico.

13. Vett. et Veneta *perinde.* Nostr. vulg. Constructio: Atque hoc vos ipsi, (certo scio), quando dicta mea audieritis, haud aliter esse dicetis, atque ut ego nunc esse autumo.

15. *id* habent vulg. et Pall. et Veneta, estque pleonasmus. Deest in vett. — *mea* omittit Hermannus de Metris p.

Auscúltate, argúmenta dúm dico ad hánc rem:
Simúl gnarurés vos volo ésse hanc rem mécum.
Aedés quom extempló sunt parátae, expolítae,
Factaé probe, examússim:
Laudánt fabrum atque aedís probant; sibi quísque inde exemplum éxpetunt.
[Sibi quísque simile, suo úsque sumtu; óperae ne parcúnt suae.]
Átque ubi illo ímmigrat néquam homo indíligens
Cúm pigra fámilia, immúndus, instrénuus:
Hic iam aédibus vitium ádditur, bonaé quum curantúr male.
Átque illud saépe fit: témpestas vénit,
Cónfringit tégulas ímbricesque: íbi
Dóminus indíligens réddere aliás nevolt.
Véntat imbér, lavit párietes: pérpluunt
Tígna; putréfacit áër operám fabri:
Néquior fáctus iam úsus est aédium;
Átque ea haud ést fabri cúlpa. Sed mágna pars
Móram hanc induxérunt: si quid númo sarcirí potest,
Úsque mantant, néque id ***** faciunt, dónicum

200 ut glossema. Quodsi retineas, elidendum erit plane, ut saepe fieri solet.

16. Sic vulg. Pall. et Veneta. At vett. *Auscultate, donec arg. dixero.*

17. Sic vulg. et Lamb. — Vett. *Simul autem gnariures volo esse hanc rem mecum.* Veneta: *Simul gnauiri suo velocem hanc rem mecum.* Recurrit *gnarures* in Prologo ad Poenulum v. 47. Bothius: *vos volo rem esse mecum.* Idem *hanc* abesse ait a Pal. et scriptis.

18. *Quum extemplo* i. e. q. simulac. Rud. 4, 3, 51. Amph. 3, 1, 5. Mil. 2, 6, 95. Bacch. 2, 3, 70. Capt. 2, 3, 74. IV, 2, 7. infra 5, 1, 16. Trin. 2, 4, 91. III, 2, 99. Pseud. 3, 2, 15.

20. Sic recte interpungunt vett. et vulg. At Gronovius, ut sequentia ordinaret, ita: *probant sibi quisque. Inde ex. exp. Sibi quisque simile, suo usque sumtu, et operam impertiunt suam.* Atque sic Both. Verum quid est: *probant sibi quisque?* Cur *sibi* addiderit? Ergo ad *probant* et *laudant* supple: *homines.*

21. Hunc autem versum spurium credito, conglutinatum et ex glossemate *simile* ad *exemplum*, et ex iis quae infra occurrunt v. 41. *Sibique aut materiae ne parcunt, nec sumtus ibi sumtui esse ducunt,* unde et *ne parcunt* pro *non p.*, quum tamen *ne* hoc in significatu corripiatur, ut fit infra. Vett. *operam poscunt suam.* Veneta: *sibi quisque inde exemplum sibi quisque simile suis sumptu suo operam poscunt suam.* Nostr. vulg.

25. *illud* sc. quod statim dicturus, ut tempestas veniat. Sensus igitur: *Atque saepe accidit, ut temp.* etc. Ceterum versus in fine loco cretici pedis habet Pyrrhichium, uti crebro apud nostrum, et ut vs. seq. Cf. III, 2, init.

27. *reddere alias* sc. tegulas, i. e. reficere tectum. Nonius sub v. *reddere* interpretatur: *reponere.*

28. *Venit imber.* Sic omnes. Atqui tamen est praesens, atque versus creticus. Ergo Bothius auguratur scriptum fuisse *Ventat*, quemadmodum supra dixerit: *Atque illud saepe fit.* Praeclare, opinor.

30. Vulg. *est usus.* Vett. *Nequior iam factus est u. ae.* Pall. *factus iam.*

31. Vett. et Veneta: *Atque haud fabri culpa, sed magna p.* Nostr. vulg., cui addidi *ea.*

32. Vulg. Pall. et vett. *Moram hanc.* Vett. *hanc sibi.* Veneta: *moram hanc ind.* Both. *Morem hunc*, atque Camerarius in libris invenerat *hunc; morem* autem iam Lambinus haud improbavit. Quodsi retineas *moram hanc*, non elidendum erit *moram.* Sed melius tamen videtur cum vett. legi: *Moram hánc sibi ind.*

33. Vulg. *Usque mantant, neque id faciunt, donicum p. r.* Vett. et Pareus: *Usque dum m.* etc. Veneta: *Usque dum maneant, neque* etc. Excidit aliquid. — *mantant*, exspectant. *donicum*, donec.

Ruónt parietes: aédificantur aédes totae dénuo.
Haec árgumenta ego aédificiis díxi; nunc etiám volo
Docére, ut homines aédium esse símiles arbitrémini.
Primúmdum paréntes fabrí liberúm sunt
Et fúndamentúm substruúnt liberórum;
Extóllunt, paránt, sedulo ín firmitátem, et
Ut in úsum boní sint et ín speciem pópulo.
Sibíque aut matériae ne párcunt, nec súmtus
Ibi súmtui esse dúcunt:
Expóliunt, docént literás, iura, léges;
Sumtú suo et labóre
Nitúntur, ut alií sibi esse illórum similes éxpetant.
Ad légionem
Quom itum, ádminiculum eís danunt tum iam áliquem cognatúm suum.
Eátenus abeunt á fabris. Unum émeritum est stipéndium:
Igitúr tum specimen cérnitur, quo evéniat aedificátio.
Nam ego ad íd frugi usque et próbus fui, in fabrúm potestate dúm fui.
Pósteaquam ímmigravi ín ingeniúm meum,
Pérdidi operám fabrorum íllico óppido.
Vénit ignávia: ea míhi tempestás fuit;
Éa mi adventú suo grándinem, imbrem, áttulit;
Haéc verecúndiam mi ét virtutís modum
Déturbavít detexítque a méd íllico.
Póst illam obtéxere néglegens fúi:

34. *aedes totae.* Sic vett. et Veneta et vulg. At Both. *totae aedes.* Verum *Ruunt* dubio procul ab initio ponendum, ut sit versus similis vs. 36 et 20 et 45. Vulg. *Parietes ruunt.*

36. Vulg. *Dicere, ut h.* uti et vett. et Ven. et Lamb. Sed aperte cum Reizio leg. *Docere.* — Hoc tamen moneo, ut non esse coniunctionem, sed positum pro *quomodo*, seu *quemadmodum.* *Jetzt will ich noch zeigen, wie es zu verstehen ist*, sive: *wie ihr zu betrachten habt, daſs die Menschen* etc.

40. Vulg. *Ut et in us. b. et in sp. populo sint.* Vett. *Et ut in.* Sicque et Veneta et Pareus.

41. Vett. *Sibique et mat.* Veneta: *Sibique, et materiem Reparant.* Nostr. vulg. — *ne* pro *non.* Cf. I, 1, 60.

42. Sic vett. et Veneta et Pareus. — Vulg. *Sibi sumtui e. d.*

46. Vett. vulg. *Ad l. quum itant.* Veneta: *Ad leg. q. itum.* Idque recipio. Nam et V. C. habet: *com ita* et supra lineam *tum.* *Ad légionem* — autem versum faciunt per se, cum accentu in syllaba *le*, quo extollatur vis vocabuli.

48. *abeunt* sc. filii *a fabris*, a parentibus suis discedunt in bellum. — Omnes: *Unum ubi emerit. est stip.* Verba autem *Ad legionem* — *aedificatio* unam quasi periodum faciunt, cuius summa haec est: Quum vero ad legionem itur, ita ut abeundum sit a parentibus: tum vero cernitur, quo eveniat aedificatio. *Igitur* in apodosi per se est i. q. *tum.* Cf. Amph. I, 1, 56. 148. Mil. 3, 1, 175. Cas. 2, 2, 41. et *igitur demum* i. q. tum demum. V. Amph. 1, 2, 11. III, 1, 16. Trin. 3, 3, 52. Rud. 4, 2, 25. Nostrum v. et Bacch. 3, 4, 19. Trin. 3, 2, 50. et infra 3, 1, 156.

50. *ad id.* Sic vett. — Vulg. *ad illud.* Uno haec atque optimo versu habent vett. — Vulg. et vett. *fabrorum.* — *potestate* corripiendum, ut *modestus, voluptas.*

53. *ignavia* est: nequitia, uti *ignavus* nihili homo. Vide indicem.

54. Vulg. et vett. *imbremque.* Nostr. Both.

56. Vulg. *Deturbavit, texit detexitque a me illico.* Vett. *Deturbavit, detexitque me illico.* Veneta: *Deturbavit retexit. Detexitque a me illico.*

57. Vett. *Post ille obtexere eam*

Cóntinuo pro ímbre amor advénit in cór meum;
Is úsque in pectus pérmanavit, pérmadefecit cór meum.
Núnc simul rés, fides, fáma, virtús, decus,
Déseruerunt: égo sum in usum fáctus nimio néquior,
Átque edepol (ita tígna haec humide pútent) non videór mihi
Sarcíre posse aedés meas, quin tótae perpetuaé ruant,
Quin [cum] fúndamento périerint, nec quísquam esse auxilió queat.
Cór dolet, quúm scio, núnc ut sum, atque út fui,
Quó neque indústrior dé iuventúte erat,
Árte gymnástica, dísco, hastís, pila,
Cúrsu, armís, equo; víctitabám volup;
Pársimonià ét duritià dísciplinae aliís eram:
Óptumi quique éxpetebant á me doctrinám sibi.
Núnc postquam nihilí sum, id vero meópte ingenio réperi.

ACTUS I. SCENA III.

PHILEMATIUM. SCAPHA. PHILOLACHES.

Ph. Iamprídem ecastor frígida non lávi magis lubénter;
Nec, quóm me melius, méa Scapha rear ésse defaecátam.
Sc. Evéntus rebus ómnibus velut hórna messis mágna

negl. fui. Vulg. *obtigere.* Veneta: *Postillam obtexere eam n. f.* Scribo: *Post illam obtexere negligens fui.* Nam *eam* non comparet in codd., teste Lambino. *Obtexere* autem pro *obtegere* legitur Virg. Aen. XI, 611. *coelum obtexitur umbra.* Cf. Stat. Achill. II, 115.

58. Vulg. et Pall. *advenit in cor meum.* Vett. *advenit* omissis *in cor meum*, quae addit Lamb. Omittit et Veneta.

60. Vulg. et vett. *decusque.*

61. Vett. et Ven. et vulg. *in usu.* At Lamb. emendat: *in usum*, quod recepit Both. — Referendum ad vs. 30.

62. Vulg. et vett. *ita haec tigna h. p.*

64. Vulg. et vett. *Quin cum fundamento.* Sed aut *Quin* aut *cum* omittendum, metri ergo.

65. *nunc ut sum.* Sic vett. — Vulg. et Veneta: *ut nunc sum.* — *quum scio*, i. e. quum cogito.

66. *erat;* suppl. *quisquam.*

68. *volup.* Sic et Men. 4, 3, 3. Vett. et Vulg. *volupe.*

70. Sic vulg. — Vett. *expetebant eam sibi.* Veneta: *exp. eam doctrinam sibi.*

71. *Nunc postquam* i. e. q. Quod iam sum nihili, id ipse reperi, non debeo fabris.

Act. I. Sc. III. Aperitur in scena pars domus Philolachis, in qua habitat Philematium, eaque conspicitur sedens, aut etiam adstans colloquensque cum vetula ancilla sua, Scapha. Colloquuntur autem de ipso, qui prope adstat, Philolachete, exornatque se Philematium, quoniam lavit. Denique accedit iuvenis, et accumbit, ancilla cum ornamentis intro missa.

1. *lubenter* i. e. cum voluptate. Cf. Truc. 2, 4, 20. Aul. 3, 2, 6. Amph. 2, 2, 227. Bacch. 1, 2, 41. II, 1, 2. Sensus: numquam fere antehac lavatio me tantopere iuvit quantopere hodie.

2. Vulg. *Nec quum.* Vett. *Nec unde.* Veneta: *Nec cum me melius mea Scapha reres aedificatam.* Sensum quod attinet, in versu primo inest recordatio quaedam praeteriti temporis. Ea notio tacite transit ad sequentem, ut supplendum sit, *nec recordor aut memini*, post quod pergendum fuerit: *me umquam melius esse defaecatam*, pro quo dicere inchoat: *Nec memini cum melius sim defaecata.* Pro hoc autem ait: *Quum rear, me* etc. Simile vide III, 2, 2.

3. Veneta: *Eventus rebus omnibus velut horna messis magna fuat.* Vulg. et Pall. *velut horno messis magna Fuit.* Vett. *Eventus rebus in omnibus, velut in horreo horna messis magni fit.* Vulgatam sequuntur Lamb. et Both. Ego, votum esse ratus, legendum duco cum Veneta: *fuat*, ut sit sensus: eventus tuae lavationis, et exornationis, quam

Fuat. *Ph.* Quíd ea messis áttinet ad méam lavatiónem?
Sc. Nihiló plus, quam lavátio tua ad méssim. *Phil.* O Venus venústa,
Haec ílla est tempestás mea, mihi quaé modestiam ómnem
Detéxit, tectus quá fui, quam míhi Amor et Cupído
In péctus perpluít meum; neque iam únquam obtegere póssum.
Madént iam in corde párietes: periére haec oppido aédes.
Ph. Contémpla, amabo, méa Scapha, satin' haéc me vestis déceat.
Volo mé placere Phílolachi, meo océllo, meo patróno.
Sc. Quin túte exornas móribus lepidís, quom lepida túte es.
Non véstem amator múlieris amát, sed vestis fártum.
Phil. Ita mé di ament, lepida ést Scapha: sapít scelesta múltum.
Ut lépide res omnés tenet, senténtiasque amántum!
Ph. Quid núnc? *Sc.* Quid est? *Ph.* Quin me ádspice et contémpla, ut haec decét me.
Sc. Virtúte formae id évenit, te ut déceat, quidquid hábeas.
Phil. Ergo hóc ob verbum té, Scapha, donábo ego hoc die áliqui,
Neque pátiar, te isthanc grátiis laudásse, quae placét mi.
Ph. Nolo égo, te assentarí mihi. *Sc.* Nimis tú quidem stulta es múlier.
Eho mávis vituperárièr falsó, quam vero extólli?
Equidém pol vel falsó tamen laudári multo málo,
Quam véro culpari aút meam speciem álios irridére.
Ph. Ego vérum amo; verúm volo mihi díci; mendacem ódi.
Sc. Ita tú me ames, ita Phílolaches tuus té amet, ut venústa es.
Phil. Quid áis, scelesta? quómodo adiurásti? „ita ego istam amárim?"

iam institues, sit velut magna messis, ita ut larga ob eam rem dona ab amatore tuo reportes. Cf. 51 — 60 et 140 — 142. *horna*, huius anni. Quodsi *horno* malis, erit: hoc anno. Cf. Nonius v. *Hornum*.

6. *modestiam* i. e. q. temperantiam.

7. *quam* sc. Philematium.

8. Pro *unquam* Acid. *usquam*, quod dedit Bothius. — Veneta: *obtegere*. Vulg. et vett. *obtigere*. Pall. *obtingere*.

9. *iam* omittunt vett. habent Pall. — Easdem habent *haec*, vulg. *hae*.

11. *Volo me*. Sic Both. — Vulg. vett. etc. *Volo meo pl.* Pareus omittit pronomen.

12. Sensus: Imo tu exornas vestem moribus tuis lepidis, quum (h. e. quandoquidem) tute es lepida. Sic autem Vett. — Vulg. *tu te exornas* — *quum lepida tota es*. Nimirum propter perversam loci interpretationem, quam et Lambinus sequitur. Bothius habet: *Quid tu te etc.* — *quum tute lepida es?* ex Pal. et scriptis.

13. Vulg. et vett. *Non vestem amatores mulieris amant, s. v. f.* Veneta: *N. v. a. amant mulieris, s. v. f.* Nostr. Both., idque laudo, quoniam laudat Philolaches, qui, ut est zelotypus, certo non laudasset, si plurali numero dixisset Scapha: *amatores amant*. Nam infra adeo speculo invidet, v. 108.

14. Vulg. *lepida est Scapha*. Vett. *ut lepida Scapha sapit scelesta multum*. Veneta nec *est* habet, nec *ut*.

16. Vulg. et Pall. *ut haec*. Vett. *ut hoc me decet amiculum*. Veneta: *ut hoc me decet*, omisso *amiculum*. Cf. v. 10.

17. *virtute formae* i. e. q. per formam, ut saepe.

18. Vulg. et vett. *donabo ego profecto hodie aliqui*. Veneta: *Ergo ob hoc v. te S. donabo ego hodie aliqui*. Nostr. Both.

23. Vulg. Pall. et vett. *aut alios meam speciem irridere*. Nostr. Veneta et B.

Quid „ita haéc me?“ id cur non ádditum est? Inféctа dona fácio.
Periít, quod iam promíseram tibi; dóna perdidísti.
Sc. Equidém pol miror, tám catam, tam dóctam te et bene edúctam
Non scíre stulte fácere. *Ph.* Quin mone, quaéso, si quid érro.
Sc. Tu ecástor erras, quaé quidem illum expéctes unum, atque ílli
Morém praecipue síc geras, atque álios aspernéris.
Matrónae, non meretrícium, est, unum ínservire amántem.
Phil. Proh Iúpiter, nam quód malum vorsátur meae domi íllud?
Di deaéque omnes me péssumis exémplis interfíciant,
Nisi ego íllam anum interfécero sití, fameque, atque álgu.
Ph. Nolo égo mihi male té, Scapha, praecípere. *Sc.* Stulta es pláne,
Quae illúm tibi aeternúm putes fore amícum et benevoléntem.
Moneo égo te: te ille déseret aetáte et satietáte.
Ph. Non spéro. *Sc.* Insperata áccidunt magis saépe, quam, quae spéres.
Postrémo, si dictís nequis perdúci, ut vera haec crédas,
Mea dícta ex factis nósce; rem vide, quaé sim et quae fui ánte.
Nihilo égo, quam nunc tu, amáta sum, atque uní modo gessi mórem,
Qui pól me, ubi aetate hóc caput colórem commutávit,
Relíquit deseruítque me. Tibi idém futurum créde.
Phil. Vix cómprimor, quin ínvolem illi in óculos stimulatríci.
Ph. Solam ílli me soli cénseo esse opórtere obsequéntem,
Solam ílle me solí sibi suó quom liberávit.
Phil. Proh di ímmortales, múlierem lepidam ét pudico ingénio!
Bene hércle factum, et gaúdeo, mihi níhil esse huius caúsa.
Sc. Inscíta ecastor tú quidem es. *Ph.* Quaprópter? *Sc.* Quae istuc cúres,

24. *mihi dici.* Sic vett. — Vulg. Veneta Pal. et B. *dici mihi.*

26. Vett. Vulg. Ven. *amarem.* Emend. Both.

27. Vett. et Ven. et ed. princeps: *Quid ita haec me.* Vulg. *Quid? istaec me* Nostr. Both.

28. Vulg. *Periisti! quod pr. t. donum, p.* Vett. *Periisti, quod iam pr. tibi dono, p.* At Veneta: *Periit, quod promiseram tibi. dona perdidisti.* Nam *Periisti* profecto sensum non habet. Atque *dona perdidisti* habuerat V. C.

30. Vett. *Non scire et tam stulte facere.* Veneta: *Non scire te stulte facere.* Vulg. *Non stultam stulte facere*, ut fere Pall. Nam V. C. *Non sta i tam st. f.* atque similiter Decurt. Both. *Nunc stultam st. f.* Praefero Ven. omisso *te*, quod habet iam vs. praec. *Non scire* i. e. q. *non videre, te st. f.* non animadvertere.

33. *inservire amantem.* Sic Mil. V, 18. *nocere neminem.* Cf. et v. 59. — Vett. *non meretricum est.* At nostr. vulg. et Venet. et Pall.

34. *nam quod*, ut saepe, pro: *quodnam.* Vide indic. v. *nam.*

39. Sic Veneta et Pareus. — Vulg. *te deseret ille.* Vett. *te des. illa.* — *aetate*, annis, senectute. v. 44.

43. *Nihilo*, supple: *secius.*

45. *crede* vulg., pro quo B. *credo.*

47. *Solam illi me.* Sic Vulg. Vett. Ven. atque *illi* ut monosyllabum proferendum, quemadmodum *ille* v. 53. — Pall. *S. illi meo soli c.*

48. *suo quom lib.* Sic vett. — In vulg. et Pall. deest *quum.* Ad *suo* suppl. *sumtu*, quod ipsum etiam loco coniunctionis possis supponere: *Solam ille me soli sibi suo sumtu liberavit.* Nam *suo quum* metri modum non satis explere apparet.

50. *mihi nihil esse*, me rem familiarem perdidisse.

Ut te ílle amet. *PH.* Cur, óbsecro, non cúrem? *SC.* Libera
és iam.
Tu iám, quod quaerebás, habes: ille té nisi amabit últro,
Id, pró tuo capite quód dedit, perdíderit tantum argénti.
PHIL. Perii hércle, ni ego illam péssumis exémplis enicásso.
Illa hánc corrumpit múlierem malesuáda vitii léna.
PH. Nunquam égo illi possum grátiam reférre, ut meritust dé me,
Scapha: íd tu mihi ne suádeas, ut íllum minoris péndam.
SC. At hoc únum facito cógites, si illum ínservibis sólum,
Dum tíbi nunc haec aetátula est, in senécta male querére.
PHIL. In ánginam ego nunc mé velim vorti, út veneficae ílli
Faucés prehendam, atque énicem sceléstam stimulatrícem.
PH. Eundem ánimum oportet núnc mihi esse grátum, ut impetrávi,
Atque ólim, priusquam id éxtudi, quom illí subblandiébar.
PHIL. Diví me faciant, quód volunt, ni ob ístam oratiónem
Te líberasso dénuo, et ní Scapham enicásso.
SC. Si tíbi sat acceptúm est, fore tibi víctum sempitérnum,
Atque íllum amatorém tibi propriúm futurum in víta:
Solí gerundum cénseo morem, ét capiundos crínes.
PH. Ut fáma est homini, exín solet pecúniam invenire;
Ego sí bonam famám mihi servásso, sat ero díves.
PHIL. Siquidem hércle vendundúm est, pater venibit multo pótius,
Quam té me vivo unquám sinam egére aut mendicáre.
SC. Quid illís futurum est céteris, qui té amant? *PH.* Magis
amábunt,
Quom mé videbunt grátiam referéntem rem feréntí.

54. Vulg. et vett. *Id pro capite tuo.*

56. Vett. *malesuada volgi lena.* Veneta: *male suada lena.* Lamb. *malesuada vitii lena*, quod interpretatur: quae Philematio vitium male suadet. Vulg. *malesuada vitilena*, quemadmodum similes sunt voces: *vitimagistratus* h. e. vitiosi magistratus, apud Sallustium in fragm. Histor. libr. III. et *vitilitigatores* apud Catonem. Verum enimvero *viti* brevem habet priorem, quamobrem haec l. nullo pacto potest approbari, nisi scansione compenses vitium, divisa syllaba *sua*, legasque, malésuádá vitiléna. Quod quoniam nimis artificiosum fuerit, aut Lambinus erit sequendus, aut recipienda vett. lectio: *volgi lena.*

59. *Inservire cum acc.* v. et v. 33. et Poen. 4, 2, 105.

61. *me* habent vett. et Veneta et Pareus sine nota. Deest in vulg.

65. Vett. vulg. Ven. *Dii me.* Nostr. Both. atque occurrunt *divi* Aul. I, 1, 11. Mil. III, 1, 135.

66. *ni.* Sic Ven. et Pall. — Vulg. et vett. *nisi.*

67. Veneta: *Si tibi acceptum est, fore tibi unicum sempiternum*, ex v. 90. Vett. *Si tibi acceptum est, fore amicum tibi sempiternum.* Vulg. ex V. C. *sat acc. e. fore victum tibi s.* Transposui: *tibi victum.* Notissima formula iuridica: satis dare, satis accipere: *wenn du Brief und Siegel darüber hast.* Cf. vs. 90.

69. *capiundos crines.* Festus: *senis crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetustissimus fuit: quidam, quod eo virgines Vestales ornentur* etc. Sub senis autem crinibus Scaliger ait intelligendas esse sex sertas crinium, vittae et crinibus ipsis implexas. — Igitur *capere crines* foret i. q. nubere et matronam fieri. — Ex Nonio in v. *crines*, ubi hunc ipsum locum citat, legendum *capiundas.* Vulg. et vett. *capiundos.*

72. Veneta: *Si qu. h. v. sit.* Pall. *Siq. h. vendundum si pater.* Fort. l. *Siquidem h. vendundust pater, ven.* etc.

73. *sinam* lege *sinamd.*

75. Hunc vs. Vulg. imperfectum sic: *Quum videbunt gratiam referri.* Veneta et vett. et cd. Sambuci: *Quum videbunt gratiam referentem.* V. C. et Decurt. *referenti.* Both. *Quo me videbunt gratiam referre rem ferenti*, ni-

Phil. Utinám meus nunc mórtuus pater ád me nuntiétur:
Ut ego éxheredem méis bonis me fáciam, atque haec sit héres.
Sc. Iam istá quidem absumta rés erit: dies nóctisque estur, bíbitur,
Nec quísquam parsimóniam adhibét; sagina pláne est.
Phil. In te hércle certum est príncipe, ut sim párcus, experíri:
Nam néque edes quidquam, néque bibes apud me hís decem diébus.
Ph. Si quíd tu in illum béne voles loqui, íd loqui licébit;
Nec récte si illi díxeris, iam ecástor vapulábis.
Phil. Edepól si summo egó Iovi illoc argénto sacruficássem,
Pro illíus capite quód dedi: nunquam aéque id bene locássem.
Ut vídeas, eam medúllitus me amáre! Oh, probus homó sum:
Quae pró me causam díceret, patrónum liberávi.
Sc. Videó, te nihili péndere prae Phílolache omnes hómines:
Nunc, ne éius causa vápulem, tibi pótius adsentíbor,
[Si accéptum sat habes, tíbi fore illum amícum sempitérnum].
Ph. Cédo mihi speculum et cum órnamentis árculam actutúm, Scapha,
Órnata ut siém, quom huc veniat Phílolaches, voluptás mea.
Sc. Múlier, quae se suámque aetatem spérnit, speculo ei úsus est:
Quíd opust speculo tíbi, quae tute spéculo speculum es máxumum?
Phil. Ób istuc verbum, né nequidquam, Scápha, tam lepide díxeris,
Dábo aliquid hodié peculi — tíbi, Philematiúm mea.
Ph. Súo quique loco víden' capillus sátis compositust cómmode?
Sc. Úbi tu commoda és, capillum cómmodum esse crédito.
Phil. Váh, quid illa pote péius quidquam múliere memorárier?

mirum ob v. *res* in v. 78. Camerarius ex codd. vestigiis eruerat *benemerenti* in versus fine.

80. Libri omnes *principium*. Both. *principe*, i. e. primâ. — *ut sim p.* i. e. q. *quam sim p.*

81. Vulg. et vett. *apud me hisce diebus*. Veneta: *iisdem*. Cod. Camer. *isdec diebus*. Nostr. Both.

83. *nec recte dicere alicui* i. e. q. male loqui de aliquo, reprehendere. Cf. Bacch. I, 2, 11. IV, 3, 97. Asin. I, 3, 3. II, 4, 65.

84. Vulg. et Veneta et Pall. *Edepol si summo Iovi vivo argento sacr.*, qua in lectione v. *vivo* ad *Iovi* referenda, non ad *argento*. Verum longe melier videtur l. Vett. *Edepol si summo ego Iovi illoc argento sacruficassem*, ut *illoc* monosyllabum sit, licet neque *ego* neque *illoc* Pall. habeant.

85. Vulg. et vett. et Ven. *nunquam aeque id bene collocassem*. Quaeritur ergo, utrum omittendum *bene*, an scribendum *locassem*, quod fecit Bothius. Verum praebet v. 144.

86. *Ut videas.* Sensus: plane vides, eam me amare medullitus, h. e. me ab illa amari med. Sic enim accipiendum, neque secus. Atque coni. *ut* exclamativa h. l.

87. Sic plane vulg. et Pall., non *Qui me*, neque *patronam*.

89. *adsentibor.* Sic legendum ait Lambinus. Edd. *adsentabor*.

90. In hoc versu addito languet oratio; quare non a poeta profectum iudico. Cf. v. 67 et 68. Legitur tamen in omnibus edd. Ab sequenti autem mutatio fit metri.

93. *spernit*, i. e. contemnit, fastidit, uti glossae interpretantur.

96. Vulg. *tibi peculi*, *Ph. m.* At vett. et Veneta: *Dabo aliquid hodie. Sc. Pertuli tibi Philem. m.* neque ad versum neque sensum probanda. Nam attulit Scapha ab initio statim arculam et speculum. — Pro *peculi* Both. ex Decurtato: *ferculi*, ut versus sit iambicus, qualem etiam praecedentem et subsequentem opinatur. Perperam.

99. Both. *qui illa*.

Núnc adsentatríx scelesta est; dúdum advorsatríx erat.
PH. Cédo cerussam. *Sc.* Quíd cerussa opus nám? *PH.* Qui malas óblinam.
Sc. Úna opera ebur átramento cándefacere póstules.
PHIL. Lépide dictum de átramento atque ébore! Euge, plaudó Scaphae.
PH. Túm tu igitur cedo púrpurissum. *Sc.* Nón do: scita es tú quidem.
Nóva pictura intérpolare vís opus lepidíssumum?
Nón istanc aetátem oportet pígmentum ullum attíngere,
Néque cerussam, néque melinum, néque ullam aliam offúciam.
Cápe igitur speculum. *PHIL.* Heí mihi misero: sávium speculó dedit.
Nímis velim lapidém, qui ego illi spéculo diminuám caput.
Sc. Línteum cape átque exterge tíbi manus. *PH.* Quid ita, óbsecro?
Sc. Út speculum tenuísti, metuo, ne óleant argentúm manus:
Ne úsquam argentum te áccepisse súspicetur Phílolaches.
PHIL. Nón videor vidísse lenam cállidiorem ullam álteram.
Ut lepide atque astúte in mentem vénit de speculó malae!
PH. Etiamne unguentís unguendam cénses? *Sc.* Minume féceris.
PH. Quápropter? *Sc.* Quia ecástor mulier récte olet, ubi níhil olet.
Nam ístae veteres, quaé se unguentis únctitant, intérpoles,
Vétulae, edentulaé, quae vitia córporis fuco ócculunt,
Úbi sese sudór cum unguentis cónsociavit, íllico
Ítidem olent, quasi cum úna multa iúra confundít cocus:
Quíd oleant, nesciás, nisi id unum, ut mále olere intéllegas.

100. *dudum*, i. e. brevi ante, modo. V. Capt. 3, 1, 18. — *scelestus* in Plauto saepe i. q. infelix, δαιμόνιος. Cf. ad Amph. II, 1, 1. et infra III, 1, 1. Verte: *Jetzt macht die Unglückliche die Zustimmende; so eben war sie noch die Widersprechende.*

101. Et vett. et Veneta: *opus est? PH. nam qui malas oblinam.* Vulg. *opus nam? PH. Qui malas oblinam.* Fortasse legendum: *Quid cerussa opus est nam? PH. Qui malas oblinam,* ut *malas* una syllaba proferatur, uti faciendum videtur in verbo *alas* Bacch. I, 1, 17.

102. *Unâ operâ*, eodem iure: *das ist gerade, als wolltest du Elfenbein mit Schwärze weiſs machen.* Nam cerussa candidum efficiebat colorem. Plin. H. N. V, 6. — *opera* non elidendum. — *postules*, in animum inducas.

103. Both. *Eu* pro *Euge.*

104. *Scitus* i. e. q.: pulcher, elegans. Cf. Merc. 4, 4, 15. *Satis scitum filum mulieris.* Asin. 4, 1, 57. *scitum syngraphum!* Bacch. 2, 2, 32. *Scitum istuc!* Quare hic sensus potius videtur: tu quidem per te lepida satis es.

105. *interpolare* est: vetus opus renovare et reconcinnare.

107. Pro *melinum*, quod vulg. et vett., Both. *μέλαν.* Melinum fuit auripigmentum colore candido, a Melo insula. Cf. Plin. H. N. — *offucia* formatum a *fuco.*

109. *lapidem* sc. mihi dari. — *qui* i. e. q. quo.

117. *interpoles*, interpolatae, fucatae.

120. *confundit.* Sic vett. et Veneta. Vulg. *confudit*, uti Pall.

121. Vett. et Venet. et Pareus: *Quid oleas.* Nostr. vulg. Fortasse leg. *Quid olant.* Atque similiter *olere* corripi potest. Ego interim magis inclino ad eam, quam dedi scansionem, ne e. *ut* dupliciter ictum habeat, hoc et seq. versu. Quamobrem *male* ne elidatur, *nisi* legatur monosyllabon, et *nescias* duabus, ut Epid. 1, 1, 59. Pers. 2, 4, 7.

Phil. Út perdocte cúncta callet! nfhil hac docta dóctius!
Vérum illud est, máxumaque adeo pára vostrorum intéllegit,
Quíbus anus domi súnt uxores, quaé vos dote méruerunt.
Ph. Ágedum, contempla aúrum et pallam, sátin' haec me deceát, Scapha.
Sc. Nón me curare istúc oportet. *Ph.* Quem, óbsecro, igitur? *Sc.* Éloquar.
Phílolachem: is ne quíd emat, nisi, quod tíbi plácere cénseat.
Nám amator meretrícis mores síbi emit auro et púrpura.
Quíd opus est, quod suum ésse nolit, éi ultro ostentárier?
Púrpura aetas óccultanda est; aúrum turpe múlieri.
Púlcra mulier núda erit, quam púrpurata, púlcrior:
Póstea nequidquam éxornata est béne, si morata ést male:
Púlcrum ornatum túrpes mores péius coeno cóllinunt.
Nám si pulcra est, nímis ornata est. *Phil.* Nímis diu abstineó manum.
Quíd hic vos agitis? *Ph.* Tíbi me exorno ut pláceam. *Phil.* Ornata és satis.
Ábi hinc tu intro, atque órnamenta haec aúfer. — Sed, voluptás mea,
Méa Philematiúm, potare técum collubitúm est mihi.
Ph. Ét edepol mihi técum: nam quod tíbi lubet, idem míhi lubet,
Méa voluptas. *Phil.* Hém, istuc verbum víle est vigintí minis.

123. Vulg. *Verum illud est, maxumaque adeo p. v. i.* Vett. *V. i. e., maxumaque pars v. i.* Veneta: *Verum illud est maximum: adeo pars nostrorum int.* — *Verum* non elidendum, *maxima* autem tamquam duabus syllabis pronunciandum, nisi malis *magnaque*. Interim cf. Aul. 2, 1, 38. Men. 5, 7, 26. Rud. 3, 3, 5. ubi pariter media in *maximo* etc. liquescit.

124. Vett. *uxores sunt*, quemadmodum saepe accentus ponitur. Vulg. *sunt uxores*, ut et Ven. et Pall.

125. *aurum* erat spinther, cf. Men. 3, 3, 4. i. e. fibula seu armilla.

126. In his quoque docet, vere pulcram non opus habere auro et purpura, neque haec ut sibi (h. e. amatori) ostententur, emere amatorem, sed ut muliere gaudeat eiusque lepidis moribus, i. e. morigeratione. Quare praetulerit aliquis: *Non te curare*, h. e. sollicitam esse oportet, an te deceat vestis et aurum, quippe quae et sine his pulcra sis et lepida. Philolachetis potius est, ea emere, quae tibi placere censeat. — Sed probe etiam stabit *Non me:* Non sum sollicita de hoc. *istuc* monosyllabon, uti Pers. 3, 3, 1. *Curatè istuc intus.*

128. Supplendum est: te potius curare oportet, ut moribus tuis lepidis placeas Philolacheti.

127. Vett. et Veneta: *Philolaches ne quid.* Vulg. *Philolachem, is ne quid.* Puto igitur leg. *Philolachem, ne quid*, omisso *is*.

129. Sensus: Quid opus est, ei ostentari aurum et purpuram, quorum ille non est cupidus?

130. *aetas* sc. mala, senectus. — *aurum turpe mulieri.* Sic vulg. et vett. — Veneta: *aurum turpi mulieri*, uti et Pall. Lambinus autem: *auro turpe mulieris*, sc. occultandum, ut *turpe* sit i. q. turpitudo seu deformitas. Utut sit, vulgata videtur nimium quoddam enunciare.

133. *turpes mores*, h. e. inculti, rusticitas, leporis defcientia et facetiarum, inamoenitas, inamabilitas. Dousa morigerationem intelligit. Ceterum hic versus et legitur Poen. I, 2, 96.

135. Vulg. et vett. *duae*, ante *agitis*. Veneta: *diu*. Utrumque ineptum et ad versum et sensum.

138. Abiiciendum enim erat *Lubet* ab initio versus, quod omnes libri praebent, sic: *Libet et edep. mihi t.*

139. Vulg. *Hem, istuc.* Vett. et Veneta: *Iam istuc.* Non tamen mute vulgatam. — *vile est*, h. e. vili pretio emeretur, si emeretur viginti minis. Alibi saepius: *non carum est auro contra*, i. e. non nimis caro emtum fuerit, si auro emeris. Epid. 3, 3, 30.

Ph. Cédo, amabo, decém: bene emtum tíbi dare hoc verbúm volo.
Phil. Étiam nunc decém minae apud te súnt: vel rationém puta:
Trígínta minás pro capite tuó dedi.... *Ph.* Cur éxprobras?
Phil. Égone id exprobrém? Quin mihimet cúpio id opprobrárier;
Néc quidquam argentí locavi iámdiu usquam aequé bene.
Ph. Cérte ego, quod te amo, óperam nusquam mélius potui pónere.
Phil. Béne igitur ratio áccepti atque expénsi inter nos cónvenit:
Tú me amas, ego té amo; merito id fieri uterque exístumat.
Haéc qui gaudent, gaúdeant perpétuo suo sempér bono;
Qui ínvident, ne unquam eórum quisquam invídeat prorsus cómmodis.
Ph. Áge, accumbe igitur. — Cédo aquam manibus, púer. Appone hic ménsulam.
Víde, tali ubi sint. — Vín' unguenta? *Phil.* Quíd opust? Cum stacta áccubo.
Séd estne hic meus sodális, qui huc incédit cum amicá sua?
Ís est: est Callidamátes: eccum, incédit. Euge, oculús meus,
Cónveniunt manupláres, eccos; praédam participés petunt.

ACTUS I. SCENA IV.

CALLIDAMATES. DELPHIUM. PHILOLACHES. PHILEMATIUM.

Ca. Advórsum veníri mihi ád Philoláchem

140. Vett. et Veneta: *Cedo, amabo, decumbe, nae emtum.* In Ven. tamen deest *nae.* Cum vett. facit et Lambinus. Continuantur tamen in iisdem haec omnia Philolacheti usque ad *dedi.* Nostr. vulg. ex Acidalio. Et V. C. *decum bene.* Decurt. *decumbe ne.*

142. *dedi.* Additurus erat: de his subtrahendae sunt decem pro illo verbo, et aliae decem pro auro et vestimentis, quae tibi emi. Unde sequitur, *etiam nunc decem apud te esse*, h. e. te mihi debere adhuc decem m. — Potest tamen et referri ad sup. *viginti.*

143. Vulg. *Quin.* Vett. et Ven. *qui.*

145. *operam* sc. amatoriam. Cf. Asin. 1, 3, 20. III, 3, 131. Truc. 4, 2, 25. Bacch. 1, 1, 11.

149. *ne unquam — commodis*, h. e. non habeant commoda, ut invidere iis quisquam possit. Ceterum in vett. et Veneta hic et seq. vs. transpositi sunt inter se.

151. Vett. *Vide tu an ubi sint unguenta.* Eadem Ven. nisi quod *ibi.* — Vett. *cum stacte.* Ven. *cum istac acc.* Vulg. *stacta.* Stacte oleum erat a cinnamono et myrrha desudans. Cf. Curc. I, 2, 6. Plin. H. N. XII, 15. Lucr. II, 846. Theophrastusque: *ἐκ κινναμώμου καὶ ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ· στακτὴ δὲ καλεῖται διὰ τὸ κατὰ σμικρὸν στάζειν.*

153. Vulg. ante *eccum* addit *cum amica.* Vett. autem habent: *Is est; est Call. cum am. incedit.* Ut putem, omissis *cum amica*, versum sic legendum esse, uti dedi. Quamquam *eccos* et legitur vs. sequenti. Verum Callidamatis nomen nuspiam in tota fabula tam contorte occurrit enuntiandum, quam hic erit efferendum, si adhaereas vulgatae; quacum tamen facit et Veneta.

Act. I. Sc IV. Potus et ebrius ex potu accedit Callidamates cum amica sua Delphio. Accumbunt una cum Philolachete et Philematio. Atque Callidamates, dum ceteri bibunt, edormire crapulam suam instituit. Metrum accommodatum est conditioni temulenti.

1. Ait Callidamates alicui servorum suorum, Phanisco, (cf. IV, 1) ut sibi obviam veniat iusto tempore (*dafs er ihn abholen solle*) cum abeundum sibi fuerit

Voló temperi: aúdi: hem, tibí imperátum est.
Nam íllic, ubi fúi, inde éffugi fóras:
Ita me íbi male convívii sermónisque taésum est.
Núnc comissátum ibo ád Philolachétem,
Úbi nos hilaro íngenio ét lepide accípiet.
Écquid videór tibi, mámma, madére?
De. Sémper istóc modo móratus vívere
Débebas. *Ca.* Vísne ego te ac túte me ampléctere?
De. Sí tibi córdi est fácere, licet. *Ca.* Lépida es.
Dúce me, amábo. *De.* Cave né cadas. Ádsta.
Ca. Óh! ocellús 's meus; túus sum alúmnus, [mel meum].
De. Cáve modo, né prius ín via accúmbas,
Quam íllic, ubi léctus est strátus, coímus.
Ca. Síne cadere mé. *De.* Sino. *Ca.* Séd et hoc, quod mi ín manu est.
De. Sí cades, nón cades, quín cadam técum.
Tóllet iacéntes post nós ambos áliquis.
Mádet homo. *Ca.* Tún' me ais, mámma, madére?
De. Cédo manum: nólo equidem té *** affligi.
Ca. Hém, tene. *De.* Age, í simul. *Ca.* Quó ego eam, án scis?
De. Scío. *Ca.* In mentém venit módo: nempe dómum eo
Cómissatum. *De.* Ímo, istúc quidem iam mémini.
Phil. Núm non vis óbviam méd his ire, ánime mi?
Ílli ego ex ómnibus óptume vólo.
Iám revortár. *Ph.* Diu ést iäm id míhi.
Ca. Écquis hic ést? *Ph.* Is est. *Ca.* Eú, Philoláches,
Sálve, amicíssume mihi ómnium hóminum.
Phil. Dí te ament. Áccuba, Cállidamátes.
Únde agis te? *Ca.* Únde homo ébrius. *Phil.* Próbe.
Quín amabo áccubas, Délphium méa?

a Philolachete. — Omnes edd. *venire.* Both. *veniri.* De scansione cf. vs. 26.

3. Sic vulg. et vett. — Veneta: *Nam illi ubi sunt.*

4. Vett. *pertaesum est.* V. C. et Dec. *te sunt.* Veneta monstrum: *cesunt.*

5. Sic vulg. et Ven. — Vett. *Philolachem.*

6. Ven. *lepido.*

7. Sic vulg. praeterquam quod habet *tibi videor.* Vett. *mammam adire.* Item Ven. — *Mammam* veteres matrem vocasse, notissimum. Hinc et infra: *tuus sum alumnus*, v. 12. Cf. et v. 18. — *madere* est temulentum esse. V. vs. 18. et Pseud. 5, 2, 13. Sic *madidus* i. e. q. ebrius. V. ind. Alias enim i. e. q. coctus. V. ind.

8. Vett. *istoc modo moratis uti debebas.* Ven. *moratis vitae.*

9. *amplectere.* Sic Pall. et Veneta, atque recurrit activum Rud. 3, 5, 36. *amplectitote crura fustibus.* Vett. et vulg. *amplectare.*

12. Verba: *mel meum*, quanquam in omnibus legantur, eiicienda.

15. Vulg. *Sine sine cadere me.* Vett. *Sine cadere me.* Illud et Veneta. — *in manu est*, videlicet mamma.

17. Vulg. et vett. *iacentes tollet postea.* Nostr. ex coni.

18. Pro *Madet homo* Veneta: *Mandet humo.*

19. Nullus ego dubito, post *te* aliquid excidisse, quale *humo.* — In his et sequentibus aliae edd. aliter personas distribuunt.

23. Vulg. et vett. et Ven. *hisce.* Nostr. Both.

26. Veneta: *is est.* Vulg. et vett. *Adest*, ut et Pall.

27. Vulg. vett. *hominum omnium.* Nostr. Veneta et Both.

Ca. Dáte illi, quód bibat; dórmiam égo [iam].
Phil. Nón mirum aút novum quídpiam fácit.
Quíd ego hoc fáciam
Póstea, méa?
De. Síc sine eúmpse.
Phil. Áge tu, ínterim
Dá cito ab Délphio
Cántharum círcum.

ACTUS II. SCENA I.

TRANIO. PHILOLACHES. CALLIDAMATES. DELPHIUM. PHILEMATIUM. PUER.

Tr. Iúpiter suprémus summis ópibus atque indústriis
Mé perisse et Phílolachetem cúpit, herilem fílium.
Óccidit spes nóstra: nusquam stábulum est confidéntiae,
Néc Salus nobís saluti iam ésse, si cupiát, potest:
Íta mali moerória montem máxumum ad portúm modo
Cónspicatus sum: hérus advenit péregre: periit Tránio.
Écquis homo est, qui fácere argenti cúpiat aliquantúm lucri,
Quí hodie sese éxcruciari méam vicem possít pati?
Ubi sunt isti plágipatidae, férritribacés viri,
Vél isti, qui triúm numorum caúsa subeunt súb falas,
Úbi aliqui quindénis hastis córpus transfigí solent?
Égo dabo ei taléntum, primus qui ín crucem excucúrrerit;
Séd ea lege, ut óffigantur bís pedes, bis bráchia.
Úbi id erit factum, á me argentum pétito praesentárium.
Séd ego sumne infélix, qui non cúrro curriculó domum?

31. Pro *date* Ven. et Both. *Da illi q.* — *iam* puto abundare. — *illi*, Delphio.

32. Vulg. *Num mirum aut nov. q. f.?* Vett. *hic* addunt post *mirum*.

35. *Sic sine eumpse.* Sic Vulg. — Vett. *sic sine eum quiescere.* Veneta: *Sic sine eum blepse.* Pall. *Eum ipse.*

37. Vulg. et vett. *Da ab Delphio cito.* Ab Delphio i. e. q. exordiens ab Delphio. Similiter Asin. V, 2, 41. *Da puere ab summo.*

Act. II. Sc. I. Nunciat accumbentibus Tranio, Philolachetis patrem advenisse. Quo nuntio dum omnes sunt magnopere consternati, imprimis propter Callidamatis crapulam, invento consilio, Tranio eos iubet bono animo esse atque intro ire et ibi potare pergere. Effecturum enim se, ut senex sponte ipse suas aedes fugiat. Introeunt ergo. Tranio autem fores occludit. Deinde secedit paullum, senemque exspectat.

1. *summis opibus*, summa ope, summa vi.

5. Et vett. et Ven. *Ita alium erroris m.* Nostr. vulg. — Cf. *montes mali* Epid. 1, 1, 78. et Merc. 3, 4, 32.

7. Ad haec conferto Act. I. sc. 1, vs. 15—32.

9. *plagipatidae* quasi patronymicum Graecum, formatum a plagis patiundis. *ferritribaces*, a ferro et Gr. τρίβειν, qui catenas terunt, quibus vincti sunt.

10. Vulg. post *qui* habet *hastis*, quod eliciendum, neque legitur in vett., quae in fine habent *sub hasta*. Item Veneta. *Falae* sunt turres in oppidorum oppugnatione. Nonius: *Falae sunt turres ligneae. Ennius: fiunt tabulata falaeque.* Loquitur ergo de militibus, qui parva mercede sub falas subeunt, ut oppidum oppugnent.

13. Veneta, Pall. et Both. *offigantur.* Vett. *obfringantur*, uti cd. Sambuci. Vulg. *affigantur*, ut et Lamb.

Phil. Ádest opsonium: éccum Traniónem; a portú redit.
Tr. Phílolaches! *Phil.* Quid ést? *Tr.* Et ego et tu .... *Phil.* Quíd „et ego et tu“? *Tr.* Périimus!
Phil. Quíd ita? *Tr.* Pater adést. *Phil.* Quid ego ex ted aúdio? *Tr.* Absumtí sumus.
Páter, inquam, tuus vénit. *Ph.* Ubi is est, óbsecro te? *Tr.* Adést. *Phil.* Adest?
Quís id aít? quis vídit? *Tr.* Egomet, ínquam, vidi. *Phil.* Vaé mihi!
Quíd ego ago? *Tr.* Nam quíd tu, malum, me rógitas, quid agas? Áccubas.
Phil. Tún' vidisti? *Tr.* Égomet, inquam. *Phil.* Certe? *Tr.* Certe, inquam. *Phil.* Óccidi,
Sí tu vera mémoras. *Tr.* Quid mihi sít boni, si méntiar?
Phil. Quíd ego nunc faciám? *Tr.* Iube haec hinc ómnia amolírier.
Quís istic dormit? *Phil.* Cállidamates. *Tr.* Súscita istunc, Délphium.
De. Cállidamates, Cállidamates, vígila! *Ca.* Vigilo: cédo ut bibam.
De. Vígila: pater advénit peregre Phílolachae. *Ca.* Valeát pater.
Phil. Válet illic quidem; at égo disperii. *Ca.* Dísperisti? quí pote'st?
Phil. Quaéso edepol, exsúrge: pater advénit. *Ca.* Tuus venít pater?
Iúbe abire rúrsum. Quid illi réditio huc etiám fuit?
Phil. Quíd ego agam? Pater iam híc offendet mísere adveniens ébrium,
Aédis plenas cónvivarum et múlierum. Miserum ést opus,
Ígitur demum fódere puteum, úbi sitis faucés tenet;
Sícut ego adventú patris nunc quaéro, quid faciám miser.
Tr. Écce autem, hic déposivit cáput, et dormit. Súscita.
Phil. Étiam vigilas? Páter, inquam, aderit iam híc meus. *Ca.* Ain' tú? pater?

15. Sic Vett. — Vulg. Pall. et Ven. post *sumne* addunt *ille*.

16. Sic vett. — Vulg. Pall. et Ven. *Tranio*. Both. *Adest, adest obs. e. Tranio a p. r.*

19. Vulg. *Ubi est is, obsecro te? Tr. Adest. Ph. Quis id ait?* Vett. *Ubi est is obsecro? Tr. adest. Ph. Quis* etc. Duplicavi ergo *Adest*, et *est is* cum Bothio transposui.

21. *Nam quid* i. e. q. Quidnam? — pro *Quid ego ago* Vett. *Quid ego agam?* uti et Veneta. Nostr. Vulg. et Lamb. ex libris.

23. *Quid mihi sit boni?* quid me iuvet? Quid inde proficere possim?

26. *cedo ut bibam.* Sic omnes edd. Quilibet tamen viderit, versum aliquatenus impediri coniunctione *ut*.

27. Veneta: *Philolachis*. Pall. *Philolache*.

30. Vett. et Both. *huc etiam*. Vulg. *etiam huc*. — *Etiam* aut i. e. q. rursus, aut int: etiam atque etiam quaero, quare redierit; ut infra: *Etiam vigilas?* i. e. q. etiam atque etiam te iubeo vigilare.

31. Vulg. Ven. vett. *pater iam hic me offendet miserum adv. ebrium*. Both. *p. hic iam off. misere adv. ebrium*, ut int. Callidamates. *misere* referto ad *ebrium: total*.

33. *igitur demum* i. e. q. tum demum. Cf. Amph. 1, 2, 11. *igitur demum omnes scient*. Similiter *igitur deinde* Stich. I, 2, 29. *Post id agam igitur deinde*.

36. *Etiam vigilas?* iterumne iubendus es vigilare? Cf. Asin. I, 1, 92. et cf. indicem v. *etiam*.

Cédo soleas mihi, ut árma capiam! iám pol ego occidám patrem.
Phil. Pérdis rem: tace. Amábo, abripite hunc íntro actutum intér manus.
Ca. Iam hércle ego vos pro mátula habebo, nísi mihi matulám datis.
Phil. Périi! *Tr.* Habe bonum ánimum: ego istum lépide medicabór metum.
Phil. Núllus sum! *Tr.* Taceás: ego, qui istaec sédem, meditabór, tibi.
Sátin' habes, si ego ádvenientem íta patrem faciám tuum,
Nón modo ne introeát, verum etiam ut fúgiat longe ab aédibus?
Vós modo hinc abíte intro atque haec húc propere amolímini.
[*Phil.* Úbi ego ero? *Tr.* Ubi máxume esse vís: cum hac; tu cum istác eris.
De. Quíd igitur? abeámus hinc nos? *Tr.* Nón hoc longe, Délphium.
Námque intus potáte haud tantillo hác quidem causá minus.
Phil. Heí mihi, quam, istaec blánda dicta quo éveniant, madeó metu!
Tr. Pótin', animo ut siés quieto et fácias, quod iubeó? *Phil.* Potest.
Tr. Ómnium primúm Philematium, íntro abi, et tu, Délphium.
De. Mórigerae tibi érimus ambae. *Tr.* Ita ílle faxit Iúpiter!
Ánimum advortitó nunc tu iam, quaé volo accurárier.
Ómnium primúmdum aedes iám fac occlusaé sient.]
Íntus cave muttíre quemquam síveris. *Phil.* Curábitur.
Tr. Támquam si intus nátus nemo in áedibus habitét. *Phil.* Licet.
Tr. Neú quisquam respónset, quando hasce aédis pultabít senex.
Phil. Númquid aliud? *Tr.* Clávem mi harunce aédium Lacónicam

37. In vett. deest *iam*. — *Soleae* exuebantur, ubi accumbebant, et asservabantur a pedisequis. Ubi surgebant, iidem eas afferre iubebantur. V. ind. v. *soleae*.

44. In hoc versu finiri possit scena. Quae enim sequuntur usque ad finem, vereor ne omnia supposititia sint. Iussit enim intro omnes abire, atque illi rogitant, quo se conferant. Inepta sunt *blanda dicta* et omnis versus 48. *Deinde* offendit duplex *Omnium primum*, 50 et 53. At vss. 54—59. sequi possint post 44. Quae inde sequuntur, metro mutato, inepta omnia videntur usque ad scenae finem, et spuria.

45. Sic bene vett. — Vulg. et Pall. *cum hac*, *cum istac eris*, uti et Veneta. *cum hac*, cum Philematio. *tu*, sc. Callidamates. *cum istac*, cum Delphio.

46. Vulg. vett. Ven. *Quid est igitur?* — *non hoc longe*, i. e. non longe abite. Cf. Trin. II, 4, 82.

47. *Namque intus*. Sic vulg. et vett. — In Pall. deest *que*. — At Veneta: *Nam metuis potare h. t.*

52. *advortito*. Sic vett. — Vulg. *advorte*. Omnes *tu iam*, non *iam tu*, quod fecit Both.

55. *natus* i. e. q. mortalis. Cf. II, 2, 21.

57. *clavem Laconicam*. Clavium artificiosarum inventio Laconibus deberi videtur. Antea aedium fores nonnisi pessulis claudebantur, conclavium autem ianuae sigillis obsignabantur. Hinc Arist. Thesmoph. 421. *Οἱ γὰρ ἄνδρες ἤδη κλειδία Αὐτοὶ φοροῦσι κρυπτὰ, κακοηθέστατα, Λακωνικ' ἄττα, τρεῖς ἔχοντα γομφίους. Πρὸ τοῦ μὲν οὖν ἦν ἀλλ ὑποῖξαι τὴν θύραν, Ποιησαμέναισι δακτυλίον τριωβόλου*, etc. Inventis autem clavibus aedium fores intus item pessulis, forinsecus autem simul clavibus occludebantur. — *intus* h. e. demo. Nam *intus* et *ἔνδοθεν* sign.

Iám iube efferri íntus: hasce ego aédes occludam hínc foris.
Phil. Ín tuam custódiam me et méas spes trado, Tránio.
Tr. Plúma haud interést, patronus án cliens propiór siet
Hominí, quoi nulla in péctore est audácia.
Nam quoívis homini, vél optumo vel péssumo,
Quamvís desubito fácile est facere néquiter;
Verum íd videndum est, íd viri docti ést opus,
Quae désignata sínt et facta néquitia,
Tranquílle cuncta et út proveniant síne malo:
Ne quíd patiatur, quámobrem pigeat vívere:
Sicút ego efficiam, quaé facta hic turbábimus,
Proféсto ut liqueant ómnia et tranquílla sint,
Nec quídquam nobis páriant ex se incómmodi.
Sed quíd tu egrederis? Périi! o, iamiam óptume
Praecéptis paruísti! *Pu.* Iussit máxumo
Opere órare, ut patrem áliquo absterrerés modo,
Ne introíret aedis. *Tr.* Quín etiam illi hoc dícito,
Factúrum, ut ne etiam adspícere aedes aúdeat,
Capite óbvoluto ut fúgiat, summo cúm metu.
Clavím cedo atque abi íntro, atque occlude óstium,
Et ego hínc occludam. — Iúbe venire núnc ïam!
Ludós ego hodie vívo praesenti híc seni

Cf. Cas. 5, 1, 1. II, 5. 43. Epid. 3, 4, 45. Amph. 2, 2, 147. Cist. 3, 8. Mil. 4, 4, 33.

59. Sic vett. — Vulg. *meque et m.* unde Bothius pro *custodiam* scripsit *custodelam*, et in seqq. *meque et spes meas.* — Post hunc versum introit Philolaches.

60. Vulg. *an cliens probior siet.* Venet. *propior fiet.* Pall. *propior siet.* Vett. *an cliens fuat.* Lambinus mallt: *an cliens potius fuat.* Nostr. Both. Sensus, si verba spectas, hic erit: Homini cui deest audacia, perinde est an adsit patronus an cliens. Sin rem, hic potius ponendus erit: Nihil interest, an homini adsit patronus an cliens, si nimirum patronus destitutus est audacia. Significare enim vult, hac in re sibi, Tranioni, magna opus esse audacia.

63. Post h. v. in vulg. et vett. et Ven. legitur versus, qui in iisdem etiam infra vs. 77. repetitur: *Clavim cedo*, etc.

66, 67. Transposuit hos versus Bothius, quem sum secutus. Nam in edd. leguntur inverso ordine. Idem legit: *Quae designatae et factae nequitiae sient*, *Tranq. cunctae et ut.* Pro *nequitia*, qui est ablativus, Lamb. mallt: *nequiter*, ut est supra v. 63. — Both. *potiatur*. Ven. *ponatur*. Vett. *patiantur*. Possis et: *pariatur*, cf. v. 70.

68. Lamb. *turbavimus*. vulg. vett. Ven. *turbabimus*. — Sic. Bacch. IV, 9, 1. *quas meus filius turbas turbet.*

69. *liqueant*, liquida, serena sint. Sic *liquida tempestas*, infra III, 2, 64. *Tam liquidus est, quam liquida esse tempestas solet.*

71. Vett. *Sed quid tute egr.? perii iami. o.* Veneta: *Sed q. tu egr.? spero iam iam opt.* Nostr. vulg. — Prodit autem puer, clavem ferens. Verum hoc ipsum praeceperat Tranio vs. 57. Quomodo igitur mirari hic potest, eum egredi? Ergo cogitandum est, cum eo qui clavem effert, simul et alium prodire, qui nunciet ei Philolachis iussa. Imo in Veneta ante *Iussit* legitur nomen ex Milite: *Philoco.* quasi esset Philocomasium. Vett. *Ph. herus iussit maximo*, quasi Philematium haec dicat.

75. Vulg. et vett. *Facturum me.* Nostr. Pall. Ven. et Both.

76. Ven. et vett. *summo cum metu.* Vulg. et Pall. *cum summo metu.*

77. Sic hic vs. supra legitur in antiquis edd. post v. 63, omisso *hinc*, quod hic in iisdem additur ante *intro*.

79. Facetiae hae de ludis vivo faciendis, qui mortuo numquam futuri sint, aperte desumtae ex Amph. I, 1, 306. ubi v. n. Quod ipsum quoque signum est, omnem locum esse suppositum.

Faciám, quod credo mórtuo nunquám fore.
Concédam a foribus húc; hinc speculabór procul,
Unde ádvenienti sárcinam imponám seni.

ACTUS II. SCENA II.

THEUROPIDES. TRANIO.

Th. Habeó, Neptune, grátiam magnám tibi,
Quom me ámisisti víx a te vivúm modo!
Verúm si posthac mé pedem latúm modo
Scies ímposuisse in úndam: haud causa est, íllico,
Quod núnc voluisti fácere, quin faciás mihi.
Apage, ápage te a me núnc iam post húnc diem;
Quod créditurus tibi fui, omne crédidi.
Tr. Edepól, Neptune, péccavisti lárgiter,
Qui occásionem hanc ámisisti tám bonam.
Th. Triénnio post Aégypto advenió domum.
Credo, éxpectatus véniam familiáribus.
Tr. Nimio édepol ille pótuit expectátior
Veníre, qui te núntiaret mórtuum.
Th. Sed quid hóc? Occlusa iánua est intérdius?
Pultábo. Heus, ecquis ístas aperit míhi fores?
Tr. Quis homo ést, qui nostras aédes accessít prope?
Th. Meus sérvos hic quidem est Tránio. *Tr.* O Theurópides,
Here, sálve: salvom te ádvenisse gaúdeo.
Usquén' valuisti? *Th.* Usque, út vides. *Tr.* Factum óptume.
Th. Quid vós? insanin' éstis? *Tr.* Quidum? *Th.* Síc: quia
Foris ámbulatis; nátus nemo in aédibus
Servát, neque quí reclúdat, neque respóndeat.
Pultándo pedibus péne confregi ássulas.
Tr. Eho an tú tetigisti has aédes? *Th.* Cur non tángerem?
Quin púltando, inquam, péne confregí fores.
Tr. Tetigístin'? *Th.* Tetigi, inquam, ét pultavi. *Tr.* Váh!
Th. Quid est?

82. Sensus: quibus eum mendaciis possim onerare.

Act. II. Sc. II. Advenit a portu cum comitibus Theuropides. Salutat eum Tranio, mirantique occlusas aedes, narrat monstra in iis videri, ob vetus homicidium ibi commissum. Recedit ab aedibus senex, suosque iubet item abscedere.

2. Sic Vett. At vulg. et Ven. *a te vix*. Nam *vix vivum* sensu sunt iungenda.

4. *haud causa est illico.* Sic item vett. — Vulg. *haud causa illico est.* Eadem *imposisse*. Utrumque Both. — *illico* refer ad *quin facias mihi*. — *Haud causa est*, Cf. Mil. V, 34.

5. *voluisti facere*, sc. ut me perderes.

7. Sensus: Nihil tibi posthac credam.

15. Vulg. *mi*. Vett. *istas hic ap*.

22. *Servare* est: domum curare, ut Aul. 1, 3, 3. Cist. 1, 1, 106. — In fine omnes cdd.: *neque qui respondeat*. e quibus Bothius omisit *qui*.

23. *Pultando pedibus paene confregi assulas.* Sic vett. Cf. Capt. 4, 2, 53. *Priusquam pultando assulatim foribus exitium affero.* Pultabant enim pedibus veteres. Quod etsi verum est, tamen *pedibus* ne referto hic ad *pultando*, sed ad *confregi*. Vulg. autem et Veneta inepte pro *assulas* habent *hasce ambas*, et vulg. in fine huius vs. habet

Tr. Male hércle factum! *Th.* Quíd est negoti? *Tr.* Nón potest
Dicí, quam indignum fácinus fecisti ét malum.
Th. Quid iám? *Tr.* Fuge, obsecro, átque abscede ab aédibus.
Fuge húc, fuge ad me própius! Tetigistín' fores?
Th. Quomódo pultare pótui, si non tángerem?
Tr. Occídisti hercle. *Th.* Quém mortalem? *Tr.* Omnés tuos.
Th. Di té deaeque omnes pérduint cum isto ómine.
Tr. Metuó, te atque istos éxpiare ut póssies.
Th. Quamobrem, aút quam subito rém mihi adportás novam?
Tr. Et, heús, iube illos íllinc, amabo, abscédere.
Th. Abscédite. *Tr.* Aedes ne áttigatis! Tángite
Vos quóque terram! *Th.* Obsecro hércle, quin elóquere iam.
Tr. Quia séptem menses súnt, quom in hasce aedés pedem
Nemo íntro tetulit, sémel ut emigrávimus.
Th. Elóquere, quid ita? *Tr.* Circumspicedum, núm quis est,
Sermónem nostrum qui aúcupet. *Th.* Tutúm probe est.
Tr. Circúmspice etiam. *Th.* Némo est: loquere núnc iam.
Tr. Capitális aedis fácta est. *Th.* Non intéllego.
Tr. Scelus, ínquam, factum est iámdiu, antiquom ét vetus.
Th. Antíquom? *Tr.* Id adeo nós nunc factum invénimus.
Th. Quid istúc, sceleste, est, aút quis id fecít? cedo.
Tr. Hospés necavit hóspitem captúm manu;
Iste, út ego opinor, qui hás tibi aedes véndidit.
Th. Necávit? *Tr.* Aurumque éi ademit hóspiti,
Eumque híc defodit hóspitem ibidem in aédibus.
Th. Quaprópter id vos fáctum suspicámini?
Tr. Ego dícam: ausculta. Út foris coenáverat
Tuus gnátus, postquam rédiit a coená domum:
Abíimus omnes cúbitum, condormívimus.
Lucérnám forte oblítus fueram extínguere:
Atque ílle exclamat dérepente máxumum.
Th. Quis homo? án gnatus meus? *Tr.* St' tace; auscultá modo.
Ait, vénisse illum in sómnis ad se mórtuum.

Tr. Eho; quod profecto ab initio potius subsequentis ponendum elidendumque.

33. Vulg. et Both. et V. C. *faxint.* Decurt. *axint.* Vett. *perduaxint.* Veneta: *perduant.* Nostr. Lamb.

36. *illos*, int. servos qui concomitantur Theuropidem.

37. *ne attigatis.* Sic vett. et Both. — Pall. *ne atigate.* Vulg. et Ven. *ne attingite.* — *Terram tangere* mos erat in expiationibus huiusmodi, quibus inferi erant placandi.

38. *iam* addunt vett. deest in vulg. et Ven. et Pall. — Both. *eloquere rem* ex coni.

44. Vulg. et Pall. *Capitalis caedis facta est. Th. Quid est? non int.* Vett. *Capitalis aedis facta est. T. Non intelligo*, ut et Veneta, quae tamen addit cum vulgata: *Quid est?* Lamb. cum vulg. Verum si legamus *caedis*, qui non potuerit intelligere Theuropides, non apparet, quum satis clare dixerit ille. Ergo probo *aedis*, quod verbum occurrit et Asin. I, 3, 67. et Pseud. 2, 4, 67. Capitalis autem hic est: propter crimen in ea commissum quasi interdicta. Cf. v. 72. *Scelesta haec aedis, impia est habitatio.*

47. Vulg. et vett. *Quid istuc est, sceleste.* Both. *Quid istuc scelesti est.* Scelesti interdum vocantur ii, qui a Graecis *δαιμόνιοι*, infelices. Sic supra I, 3, 100. Amph. 2, 1, 2. Cf. et infra III, 1, 1.

48. *captum manu*, prehensum manu. Lamb.

50. Vulg. *eii.* Vett. *ipsi.* In Veneta omissa vox. Cdd. Pall. *aurumque et.*

TH. Nempe érgo in somnis? *TR.* Íta. Sed auscultá modo.
Ait íllum hoc pacto síbi dixisse mórtuum ....
TH. In sómnis? *TR.* Mirum, quín vigilanti díceret,
Qui abhínc sexaginta ánnis occísus foret.
Intérdum inepte stúltus's. Sed ecce, quae ílle ait:
„Ego tránsmarinus hóspes sum Diapóntius;
Hic hábito; haec mihi dédita est habitátio:
Nam me Ácheruntem récipere Orcus nóluit,
Quia praémature víta careo. Pér fidem
Decéptus sum: hospes me híc necavit, ísque me
Defódit insepúltum clam [ibidem] in hisce aédibus,
Sceléstus, auri caúsa. Nunc tu hinc émigra:
Scelésta haec aedis, ímpia est habitátio."
Quae hic mónstra fiunt, ánno víx possum éloqui.
St, st'! *TH.* Quid, obsecro, [hercle,] fáctum est? *TR.* Concrepuít foris.
Hiccíne percussit? *TH.* Gúttam haud habeo sánguinis.
Vivóm me arcessunt ád Acheruntem mórtui.
TR. Perii! íllice hodie hanc cónturbabunt fábulam.
Nimis quám formido, né manufesto hic me ópprimat.
TH. Quid túte tecum lóquere? *TR.* Abscede ab iánua.
Fuge, óbsecro hercle! *TH.* Quó fugiam? Etiam tú fuge.
TR. Nil égo formido: páx mihi est cum mórtuis. —
TH. Heus, Tránio! *TR.* Non me áppellabis, sí sapis:
Nihil égo commerui, néque ístas percussí foris.

62. *Mirum, quin, Es fehlte noch, dafs* etc. Sive: *Er soll es ihm wohl wachend gesagt haben?* Cf. Merc. I, 2, 94. Aul. I, 3, 7. Cist. 4, 2, 68. Amph. 2, 2, 127.

64. Vulg. et vett. post *stultus's* addunt: *TH. Taceo.* inepte. Dein omnes pro *ait* habent: *inquit.*

67. Vett. et Ven. *Nam me in Acheruntem.* Verum *Acheruns* producitur a Plauto. Construitur autem tamquam nomen urbis. Cf. Capt. V, 4, 1. *quae Acherunti fierent.* Nostr. Pall.

70. *ibidem* legitur in vulg. vett. et Ven.

72. Vulg. et vett. *scelestae hae sunt aedes.* Fortasse, ut supra v. 44 singulari numero, leg. *Scelesta haec aedis.*

74. Pro *st! st!* quod habet vulg., Vett. et Veneta: *Secede.* Pall. *sed et*, ortum ex *set et*, id autem ex *st st.* — Eiiciendum dubio procul *hercle*, et *obsecro* ab initio corripiendum, ut haud raro. V. Bacch. 1, 2, 35. II, 2, 25. Cas. 5, 4, 22. Cist. 4, 1, 12. Rud. 3, 3, 33. III, 6, 38. — Strepitum autem faciunt, qui intus sunt, et quidem improviso; unde Tranio tacite eos increpat vss. 77. 78. Hic autem, ut eum strepitum occulat, lemuribus illum et monstris illis, quae commentus est, attribuit; ut recte expl. Lambinus.

75. *Hiccine*, h. e. aliquis ex servis Theuropidis sonitum fecit? Sic vulg. et vett. At Veneta: *Hic me percussit.* Inde Both. *Hinc me p.*

76. Vulg. vett. Ven. *Vivum me arcessunt ad Acheruntem m.* ut et Pall. At *Acheruns* in Plauto producitur. Quare alii omisere praep. *ad*, uti vs. 67.

77. *illice.* Vett. *illisce.* Ven. *hisce*, utrumque ἀρχαϊκῶς. Intelligendi autem illi, qui intus sunt. — *fabulam* sc. quam ago hic cum sene nostro.

78. *hic*, sc. senex, *me opprimat*, me deprehendat in mendacio, sive potius: occupet rem ante quam possim ad finem perducere. Cf. Merc. 3, 4, 6.

80. Vett. *TH. Quo fugiam? etiam tu fuge. TR. Nil* etc. Veneta similiter, nisi quod *fuges.* Lamb. *fugis.* At vulg. *TR. Etiam tu fugis?* Sed verisimilior ratio vett. Cf. vs. 90.

82. *Non me appellabis.* Alloquitur quasi daemonem qui intus sit, tamquam qui eum appellasset, non Theuropides. Cf. v. 86.

Th. Quaesó, quid aegre est? quaé res te agitat, Tránio?
Quicum ístaec loquere? *Tr.* An, quaéso, tu appelláveras?
Ita mé di amabunt, mórtuum illum crédidi
Expóstulare, quía percussissés fores.
Sed tu étiamne adstas, néc, quod dico, obtémperas?
Th. Quid fáciam? *Tr.* Cave respéxis, fuge, operí caput!
Th. Cur nón fugis tu? *Tr.* Páx mihi est cum mórtuis.
Th. Scio. Quíd? modo igitur cúr tantopere extímueras?
Tr. Nil mé curassis, ínquam: ego mihi provídero;
Tu, ut óccepisti, tántum, quantum quís, fuge;
Atque Hérculem invocábis. *Th.* Hercules, te ínvoco!
Tr. Et égo, tibi hodie ut dét, senex, magnúm malum.
Proh di ímmortales, óbsecro vostrám fidem,
Quid ego hódie [hic] negóti confecí, malum!

ACTUS III. SCENA I.

DANISTA. THEUROPIDES. TRANIO.

Da. Sceléstiorem ego ánnum argento foénori
Nunquam úllum vidi, quam híc mihi annus óbtigit.
A máne ad noctem usque ín foro degó diem;
Locáre argenti némini numúm queo.
Tr. Nunc pól ego perii pláne in perpetuúm modum:
Danísta adest, qui amíca est emta, quí dedit.

87. *percussisses.* Sic Pall. Al. et Both. *percussissem.*

88. *quod dico.* Sic vett. et Veneta. Vulg. et Both. *quae dico*, uti Pall.

89. Vulg. vett. Venet. *fuge*, *atque operi caput.*

91. *Scio*, sc. quia iam mihi dixisti, v. 81. — *extimueras*, cf. 82 et 83.

93. Vulg. et vett. *fugies*, nimirum propter futurum sequens. Pall. *fui*, et V. C. ex correctione *fugis.* — *quantum quis*, quantum potes. At Veneta: *fuge.*

94. *Herculem*, videlicet ἀλεξίκακον. *Hercules* elisa media pronunciandum. — Post haec verba enunciata, cito abit a scena Theuropides, eum aditurus, a quo olim has aedes emerat, collocuturusque cum eo de istac re.

95. Haec Tranio, solus relictus in scena, adiicit, ad spectatores conversus.

97. Addidi *hic* ex Pareo, quod nusquam legitur h. l. in Pall., versus ergo. Both. *hoc die.* — *Malum*, in fine versus, necessario ad ipsum Tranionem erit referendum, ut sit i. q. homo nequam, homo plenus fallaciarum. Cf. Amph. 1, 1, 250. II, 1, 60. 82. Aul. 3, 2, 15. Bacch. 4, 3, 60. Cas. 1, 1, 3. II, 3, 46. II, 8, 36. Epid. 5, 2, 44. Ceterum ego, vel huius repetiti v. *malum* causa, spurios hos duo versus iudico.

Act. III. Sc. I. Advenit Danista, foenus petitum a Philolache; item redit Theuropides. Is quaerit, quod illud foenus sit. Ait igitur Tranio, Philolachem alias aedes emisse, argentumque ob eam rem a Danista mutuum sumpsisse. Promittit senex, se soluturum postridie. Abit danista. Quaerit Theuropides, quasnam emerit aedes. Ait Tranio, vicini. Igitur inspicere eas vult Theuropides. Intro iturus igitur est Tranio, ut primum videat, an liceat inspicere, per mulieres.

1. *Scelestiorem* i. e. q. infeliciorem. Cf. infra v. 30. Cf. ad Amph. 2, 1, 2. — Vett. et Veneta ante *argento* addunt *locando*, id quod potius subintelligendum, quam adscribendum est, ut ait Lamb. neque legitur ea vox in Pall.

3. Sic vulg. — Ven. pro *dego* habet *ego.* At vett. *A m. ad n. totum usque in foro ago diem.* Sed v. *totum* non comparet in Pall.

6. Unum versum hic habet Veneta: *Danista adest*, *qui dedit*, *qui amica est emta.* E quo nos dedimus nostrum. At vulg. duos: *Danista adest*, *qui dedit argentum foenori*, *Qui amica est*

Maniférsta res est, nísi quid occurró prius,
Ne hoc núnc senex resciscat. Ibo huic óbviam.
Sed quídnam hic sese tám cito recipít domum?
Metuó, ne de hac re quídpiam indaudíverit.
Accédam atque appellábo. At quam timeó miser!
Nihil ést miserius, quam ánimus hominis cónscius,
Sicút me habet. Verúm utut res sese haéc habet,
Pergám turbare pórro: ita haec res póstulat.
Unde ís? *Th.* Conveni illum, únde hasce aedes émeram.
Tr. Numquíd dixisti de íllo, quod dixí tibi?
Th. Dixi hércle vero [illi] ómnia. *Tr.* Vae miseró mihi!
Metuó, ne technae méae perpetuo péríerint!
Th. Quid túte tecum? *Tr.* Níhil enim. Sed díc mihi:
Dixístin', quaesò? *Th.* Díxi, inquam, ordine ómnia.
Tr. Etiám fatetur de hóspite? *Th.* Imo pérnegat.
Tr. Negat? *Th.* Étiam rogitas? Dícam, si conféssus sit.
Quid núnc faciundum cénses? *Tr.* Egon' quid cénseam?
Cape, óbsecro hercle té, cum eo una iúdicem;
Sed éum videto ut cápias, qui credát mihi:
Tam fácile vinces, quám pirum volpés comest.
Da. Sed Philolachetis éccum servom Tránium;
Qui míhi neque foenus néque sortem argentí danunt.
Th. Quo té agis? *Tr.* Nec quoquam ábeo. — Nae ego súm miser,
Sceléstus, natus dís inimicis ómnibus.
Iam illó praesente adíbit. Nae ego homo súm miser:

emta, *quoque opus in sumtus fuit;* ex supplemento Camerarii. Libri ad Ven. l. addunt in fine *quoque*. Hinc Bothius fecit monstrum versus: *Qui dedit*, *amica qui emta*, *Danista adest quoque;* nequaquam tolerandum. — *qui emta est* i. e. q. quo emta est.

7. Vett. et Veneta cum Pall. *nisi quod occ.* Vulg. *n. quid occ.*

8. *Ne hoc nunc s.* Sic vett. — Vulg. et Ven. *Ne hoc sen.* — *huic*, sc. danistae.

9. *hic*, sc. senex Theuropides.

10. Vett. *inaudiverit*. Vulg. et Ven. omittunt pronomen. Atque *indaudire* et alibi obviam in Plauto. V. ind.

11. Vett. *At quam t. m.* Ven. *ut q. t. m.* Vulg. *Hei*, *qu. t. m.* Lamb. et Pareus: *Heu*, *qu. t. m.* Mihi praeferendum videtur *At*.

13. Ven. *Verum ut res haec sese habet*. Vett. *verum utut res sese habet*, cui addit vulg. *haec* post *res*. Both. *Verum ututi res sese haec habet.* Ego verum puto: *Verum utut res sese habet*, praecedentia autem non esse integra existimo. Fortasse exciderit *nunc* post *habet* prius.

17. *illi* addunt vett., omittit vulg. et Pall. — Post hunc versum in vulg. vett. Ven. sequuntur quatuor versus, qui in iisdem et infra repetuntur vs. 21. 24. 25. 26. Ordinavit Acidalius.

22. Veneta. *Negat? quam rem cogitas?* *Thr.* *Dicam si confessus sit.* Ed. princ. *Negat quando cogitas? dicam.* Verbum *Negat* saepius valde correptim profertur. Itaque scripsi *Negat? Th. Etiam rogitas?* i. e. pergisne rogare? Nam vulg. et vett. ex Camerario sic: *Tr. Negat? Th. Negat inquam. Tr. perii oppido cum cogito. Non confitetur? Th. dicam*, *si confessus siet;* in quibus verba: *negat inquam. perii oppido. Non confitetur* sunt a Camerarii manu.

23. *Egon'* vulg., quod non ausus sum mutare; siquidem *ego* pluries monosyllabum. V. ind. Bothius tamen *Ego quid c.?*

24. *te* addunt vett., omittunt vulg. et Veneta et Pall.

29. *Quo te agis.* Haec ad Tranionem ait, aufugere parantem. — Ven. *nequoquam*.

30. *scelestus*, i. e. infelix. Cf. v. 1.

31. *adibit* sc. me danista.

Ita et hínc et illinc mi éxhibent negótium.
Sed óccupabo adíre. *Da.* Hic ad me it: sálvos sum:
Spes ést de argento. Hílarus est. *Tr.* Frustra ést homo.
Salvére iubeo té, mi Saturidés, bene.
Da. Salve ét tu. Quid de argénto? *Tr.* Abi, sis, bélua!
Contínuo adveniens pilum iniecistí mihi.
Da. Hic homo ést inanis. *Tr.* Híc homo certe est háriolus.
Da. Quin tu ístas mittis trícas? *Tr.* Quin, quid vís, cedo.
Da. Ubi Phílolaches est? *Tr.* Núnquam potuistí mihi
Magis ópportunus ádvenire, quam ádvenis.
Da. Quid ést? *Tr.* Concede huc. *Da.* Quín mi argentum rédditur?
Tr. Scio, té bona esse vóce: ne clamá nimis.
Da. Ego hércle vero clámo. *Tr.* Ah, gere morém mihi.
Da. Quid tíbi ego morem vís geram? *Tr.* Abi, quaeso, hínc domum.
Da. Abeám? *Tr.* Redito huc círciter merídiem.
Da. Reddéturne igitur foénus? *Tr.* Reddetúr. Abi.
Da. Quid ego húc recursem, aut óperam sumam aut cónteram?
Quid, si híc manebo pótius ad merídiem?
Tr. Imo ábi domum. Verum hércle dico. Ábi modo!
Da. Quin vós mihi foenus dáte. Quid hic nugámini?
Tr. Eu hércle! — Nae tu ábi modo; auscultá mihi.
Da. Iam hercle égo illunc nominábo. *Tr.* Euge strénue!
Beátus vero es núnc, quom clamas. *Da.* Méum peto.
Multós me hoc pacto iám dies frustrámini.
Moléstus si sum, réddite argentum; ábiero.
Respónsiones ómnes hoc verbum éripit.
Tr. Sortem áccipe. *Da.* Imo foénus: id primúm volo.
Tr. Quid? tú ted, homo hominum ómnium tetérrume,

33. *occupabo* i. e. prius ipse eum adibo, quam ille me.

34. Sic hunc versum optime Veneta. Vulg. *Spes est de argento. Tr. Hilarus est frustra istic homo*, uti et vett., unde Bothius: *Hilarus istic frustra homo est.*

35. Vett. et Ven. *mi Saturites bene.* Vulg. *Misargyrides, bene.* Lamb. ex emendatione Camerarii *mi Saturides, bene*, h. e. Satyri filius. Mihi ineptum videtur nomen danistae *Misargyrides.* Deinde verisimile Tranionem eum alloqui a *mi* incipientem, quo magis eum leniat. *Saturides* autem non a Satyro, sed a Satur adiectivo deducendum censeo, ut ironice dictum sit. V. C. *mi sarcirites.* Decurt. *Misartirites.*

38. In vulg. deest alterum *est.* Vett. *est certe.*

47. Et vulg. et vett. et Ven. ante *abi* addunt *nunc.*

51. Nimirum utitur danista vagulationis iure, quod in eo positum erat, ut creditor debitorem conviciis insectaretur ante aedes. Cf. ad Aul. 3, 2, 32.

57. *Responsiones* etc. Vett. et Dec. hunc vs. Tranioni tribuunt, leguntque: *hoc verbo eripit.* Vulg. Danistae, legit autem *h. verbo eripite.* Ergo reposui *verbum.* — Sensus est: Si hoc facietis (h. e. argentum reddetis) omnes mihi quasi eripientur huiusmodi clamationes. *Responsio* enim h. l. deducenda a v. responsare, i. e. occlamitare. Cf. Men. 4, 2, 63. *Num ancillae aut servi tibi responsant?* V. C. *eripite.*

58. *sortem accipe, du sollst das Capital bekommen.* Contra danista non vult sibi sortem reddi. Supra enim questus erat, aegre fieri hoc tempore, ut locetur pecunia foenori.

59. In proxime sequentibus et vacillat lectio, et supposita quaedam occurrunt, et quae alio loco videantur collocanda. In vulgata abest *ted*, quod ha-

Venísti huc extentátum? Agas, quod in manu est.
Non dát: non debet. *Da.* Nón debet? *Tr.* Ne grý quidem
Ferre hínc potes. An mávis, ut abeát foras?
Urbem éxul linquat, áctus hinc causá tui?
Quin sórtem potius dáre licet. *Da.* Quin nón peto.
[*Th.* Eia, mastigia, ad me redi. *Tr.* Iam istic ero.
Moléstus ne sis; némo dat; age, quíd lubet.
Tu sólus, credo, foénore argentúm datas?
Da.] Cedo foénus! redde foénus! foenus réddite!
Datúrin' estis foénus actutúm mihi?
Daté mihi foenus? *Tr.* Foénus illic, foénus hic!
Nescít quidem nisi foénus fabulárier
Veterátor; neque ego tétriorem béluam
Vidíase me unquam quémquam, quam te, cénseo.
Da. Non édepol nunc me tu ístis verbis térritas.
Calidum hóc est; etsi prócul abest, urít male.
Tr. Moléstus ne sis: némo dat. Age quíd lubet!
Tu sólus, credo, foénore argentúm datas?
Th. Quod illúc est foenus, óbsecro, quod illíc petit?
[*Tr.* Pater éccum advenit péregre non multó prius
Illíus; is tibi et foénus et sortém dabit:
Ne incónciliiare quíd nos porro póstules.

bet Both. sumtum ex vs. sq. ubi Pall. et ed. pr. *te extentatum*.

60. *extentatum* Vulg. ut sit sensus: An tu huc venisti, ut te extentares, h. e. latera tua, vires, vocem, pectus extenderes? Cf. Most. 3, 1, 60. ubi i. e. q. exercere. — Vett. *externatum*, quod foret: ut mente alienares? Catull. 62, 71. 165. Ov. Met. I. 641. Sed *extentatum* et Veneta. — *agas*, *quod in manu est*, i. e. quod fieri potest; noli agere id quod fieri nequit.

61. Vulg. *nec erit quidem. Ferre hoc potes? an mavis ut aliquo abeat foras? Urbem exul linquat factus hic c. tui, Quoi sortem vix dare licebit? D. Quin non peto.* Vett. item, praeterquam quod: *Urbem*, *exuletque a patria sua c. t. Quia sortem* etc. Veneta: *an quod abeat foras*, *Urbem exul hic causa tui. Qui sortem potius dare licebit.* Acidalius emendavit: *ne gry quidem.* Guilielmus: *actus hinc.* Bothius: *Quin sortem potius reddebit.*

65. Hic versus rectius infra collocatur scena sequenti, v. 32, hic loci plane alienus.

66. Hunc et seq. versum vide infra 76. 77. ubi eos apte collocavit Bothius.

73. Vett. *quanquam.* Vulg. et Both. *quemquam.*

75. Hoc loco hunc versum habet vulg. et vett. Lambinusque interpretatur: „allegoria est. Quae sunt valde calida, etiam longe distantia, urunt tamen. Ita, quae molesta sunt auditu, etiam e longinquo loco offendunt, etc.“ Quam eius interpretationem reiiciens Acidalius, omnem versum loco movet, et collocat post v. 132. Tranionique addicit. — Hoc unum moneo, *hoc* interdum significare coelum, ut Curc. I, 3, 26. Amph. I, 3, 45. alias alia, quae facile intelligantur e contextu, ut Aul. 3, 3, 1. Asin. 3, 3, 86. Epid. 5, 2, 30. Sic h. l. possit intelligi vagulatio ipsa, qua utitur danista adversus Philolachetem, uti Lamb. non adeo, uti existimat Acid., absimile vero iudicavit.

76. Hi duo versus in vulg. et vett. supra leguntur v. 66. 67. Dictionem *quid lubet* vide in indice.

79. Quivis videt, post v. 78 optime collocari statim versum 86. *Quid illi debetur?* etc. et insertam esse dilatationem ab seriori; ut igitur includendi sint vss. 79 — 85.

79. Non respondet Theuropidi Tranio, sed ad Danistam submissa voce loquitur.

81. *ne postules* i. e. q. ne suscipias, ne in animum tuum inducas. Cf. Amph. 2, 2, 166. As. 3, 1, 4. Cas. I, 1, 1. 39. 53. Ep. 3, 4, 9. — *inconciliare*, *Intriguen machen*, *chicaniren*, negotia

Vide, núm moratur? *Da.* Quín feram, si quíd datur.
Th. Quid aís tu? *Tr.* Quid vis? *Th.* Quís illic est? quid illíc petit?
Quid Phílolachetem gnátum compellát ferox
Sic, ét praesenti tíbi facit convícium?]
Quid illí debetur? *Tr.* Óbsecro, iube óbiici
Argéntum huic ob ós impurae beluae.
Th. Iubeám? *Tr.* Iube homini argénto os verberárier.
Da. Perfácile ego ictus pérpetior argénteos.
Th. Quod íllud argentum est? *Tr.* Húiic debet Phílolaches
Paulúm. *Th.* Quantillum? *Tr.* Quási quadragintá minas.
Da. Ne sáne id multum cénseas: paulum íd quidem est.
Tr. Audín? videturne, óbsecro hercle, idóneus,
Danísta qui sit, génus quod improbíssumum est?
Th. Non núnc ego istuc cúro, qui sit, únde sit!
Illúd volo dici míhi, id me scire éxpeto:
Ab eo étiam argenti foénus creditum aúdio.
Tr. Quatuór quadraginta ílli debentúr minae.
Dic té daturum, ut ábeat. *Th.* Ego dicám dare?
Tr. Dic. *Th.* Égone? *Tr.* Tu ipsus. Díc modo! auscultá mihi!
Promítte! age! inquam: ego iúbeo. *Th.* Respondé mihi:
Quid eo ést argento fáctum? *Tr.* Salvom est. *Th.* Sólvite
Vosmét igitur, si sálvom est. *Tr.* Aedes filius
Tuus émit. *Th.* Aedes? *Tr.* Aédes. *Th.* Euge, Phílolaches
Patríssat! iam homo in mércatura vórtitur.
Ain' tu? aédes? *Tr.* Aedes, ínquam. Sed scin', quóiusmodi?
Th. Qui scíre possim? *Tr.* Váh! *Th.* Quid est? *Tr.* Ne mé roga.
Th. Nam quíd ita? *Tr.* Speculo cláras, clarorém merum.
Th. Bene hércle factum! Quíd? eas quanti déstinat?
Tr. Taléntis magnis tótidem, quot ego et tú sumus.

facessere alicui, fraudibus aliquem incessere. Cf. ad Bacch. 3, 6, 22 coll. Trin. I, 2, 29.

82. *num moratur*, sc. senex, (ut supplet Lamb.) quin tibi numeret?

84. Vulg. *compellat*. Vett. *comp. ferox meum*. Ald. *comp. ferox*. Patet *meum* esse eiiciendum, et retinendum potius *ferox*, ut construatur: *sic ferox*.

86. Vulg. et vett. *Obsecro hercle iube Obiici arg. h.* etc. Vett. et Ven. *impurum*. Vulg. *impurae*. Censeo eiiciendum *hercle*, non autem elidendum *argentum*. Both. *Obs. hercle te, iube Obici arg.*

90. Ante hunc vs. Bothius habet vs. 96. *Illud volo dici* etc. et fortasse recte.

91. Bothius *Paullum* Danistam facit dicentem.

92. Sic vulg. At Vett. priorem partem versus Tranioni, alteram Theuropidi tribuunt.

93. Veneta: *videtur* omisso *ne*, quod habent vulg. et vett.

95. *nunc* addidit Bothius e coni. Idem versum sequentem supra post v. 89 collocatum habet.

96. Vulg. et Ven. *Id volo mihi dici*. Vett. *Illud volo mihi dici*. Nostr. Both.

97. *Ab eo*. Sic Vett. et Ven. — Vulg. *Adeo*.

99. Vulg. vett. Ven. *Egon' dic. d.*

108. *Nam quid ita* pro: Quidnam ita? *Quid ita?* autem est vel: *cur?* vel: *dic, quid tute tibi velis*. *Non enim intelligo*. — *speculo claras*, aeque nitidas et politas, ac speculum. Sic enim interpretantur. Fortasse tamen positivus loco comparativi est.

109. *destinat*. Destinare est i. q. emere. Cf. IV, 3, 35. Pers. 4, 3, 80.

Sed árrhaboni has dédit quadragintá minas.
Hinc súmsit, quas ei dédimus. Satin' intéllegis?
Nam póstquam haece aedes íta erant, ut dixí tibi,
Contínuo est alias aédes mercatús sibi.
Th. Bene hércle factum! *Da.* Heus, iam ádpetit merídies.
Tr. Absólve hunc, quaeso, vómitum; ne hic nos énicet.
Quatuór quadraginta ílli debentúr minae,
Et sórs et foenus. *Da.* Tántum est; nihilo plús peto.
Tr. Velím quidem hercle, ut úno numo plús petas.
Th. Aduléscens, mecum rém habe. *Da.* Nempe abs té petam?
Th. Petitó cras. *Da.* Abeo: sát habeo, si crás fero.
Tr. Malúm quod isti dí deaeque omnés duint:
Ita méa consilia pérturbat peníssume.
Nullum édepol hodie génus est hominum tétrius
Nec mínus bono cum iúre, quam danísticum.
Th. Qua in régione istas aédes emit fílius?
Tr. Ecce aútem perii! *Th.* Dícisne hoc, quod té rogo?
Tr. Dicám; sed nomen dómini quaero quód siet.
Th. Age, cómminiscere érgo. *Tr.* Quid ego núnc agam,
Nisi ín vicinum hunc próxumum mendácium?
Eas émisse aedes húius dicam fílium.
Calidum hércle audivi esse óptumum mendácium;
[Calidum hóc est: etsi prócul abest, urít male.]
Quidquíd dei dicunt, íd decretum est dícere.
Th. Quid ígitur? iam comméntus? *Tr.* Di istum pérduint!
— Imo ístunc potius! — Dé vicino hoc próxumo

IV, 4, 116. Rud. prol. 45. Aperte autem praesens pro praeterito, de qua re v. ind. v. *Praesens pro praeterito.*

112. *Hinc*, h. e. ab danista. — *ei*, venditori.

113. *haece aedes*, i. e. nostrae, tuae. *ita erant*, monstris infestatae.

119. Videlicet ut in poenam incurras.

120. *Adulenscens*, appellatio amicalis, quasi nostrum: *guter Freund*. Adulescens enim tantum abest ut sit nostrum *Jüngling*, ut virum significet quam maxime adultum, quemadmodum Pythagoras, Diogene Laert. teste, ad annum usque 40. *νεηνίσκους* dixit, ac tum usque ad 60. *νεηνίας*. Sic in Sallustio Cat. 49. Caesar vocatur adolescentulus, quum esset 36 annorum. Cf. Pers. 4, 4, 109. — *mecum rem habe.* Significat his, se et probare illud negotium, et argentum velle solvere.

122. *Malum quod* etc. Imprecationis est formula, in qua abundat *quod*. Cf. Amph. II, 1, 13. Similis est formula: *Qui illum di omnes perduint*, Cas. 2, 4, 1. Men. 3, 1, 6. Pers. 5, 2, 6. Cf. Trin. 4, 2, 155.

123. Priscianus et libro III. et XV. hunc locum citans legit: *pervertit penissime.* Vulg. *perturbat paenissume.* Vett. *perturbat penissime.* Veneta: *perturbat planissime*, quod recepit Bothius ex Iunt. et Ald. — Decurt. *plenissime.* Vocem *penissime* vide Aul. IV, 6, 2. *sublevit os mihi penissime.*

128. *quod siet.* Sic Ven. et Vett. — Vulg. *quid siet.*

129. Vett. et Ven. *Quid agam nunc iam?* Nostr. vulg.

130. Vulg. et Vett. *Nisi ut in v.* In Veneta deest *ut*, quam sequitur Bothius. *proximum* ref. ad *vicinum.* — *mendacium* autem est accus. pendens ab *agam*, quo haec referenda. Mendacium agere est: m. dirigere aliquo. Cf. Mil. 2, 2, 113. *ad eum vineas pluteosque agam.* Fortasse tamen et hic et seq. versus supposititii.

133. Hic versus huc translatus est ab Acid. Bothioque e v. 75. Perperam, ut opinor; quare inclusi.

134. *Quidquid dei dicunt*, i. e. subiicient mihi, suggerent. — *decrctum est.* Sic Veneta, et Decurt. et Both. — Vulg. et vett. *id rectum est*, cum V. C.

135. *istum perduint*, sc. a quo emit aedes tuus filius, quia ego eius nomen comminisci nequeo.

Tuus émit aedes fílius. *Th.* Bonán' fide?
Tr. Si quidem és argentum rédditurus, túm bona;
Si rédditurus nón es, non emít bona.
Th. Non ín loco emit pérbono has. *Tr.* Imo óptumo.
Th. Cupio hércle inspicere has aédes: pultadúm foris
Atque évocato aliquem íntus ad te, Tránio.
Tr. Ecce aútem iterum nunc, quíd ego dicam, néscio.
Iterúm iam ad unum sáxum me fluctús ferunt.
Quid núnc? Nón hercle, quíd nunc faciam, réperio;
Manifésto teneor. *Th.* Évocadum aliquém foras:
Roga, círcumducat. *Tr.* Heús tu! At hic sunt múlieres:
Vidéndum est primum, utrum éae velintne, an nón velint.
Th. Bonum aéquomque oras: pércontaredum ét roga.
Ego híc tantisper, dum éxis, te opperiár foris.
Tr. Di té deaeque omnes fúnditus perdánt, senex:
Ita méa consilia úndique oppugnás mala.
Euge, óptume, eccum, aédium dominús foras
Simó progreditur ípsus. Huc concéssero,
Dum míhi senatum cónsili in cor cónvoco:
Igitúr tum accedam hunc, quándo, quid agam, invénero.

ACTUS III. SCENA II.

SIMO. THEUROPIDES. TRANIO.

Si. Mélius anno hóc mihi nón fuit dómi,
Néc quando esca úna me méruerit mágis.

---

136. *Imo istunc potius*, sc. Theuropidem. Haec enim submissa voce profert.

137. *bonan fide?* h. e. serione eas emit? an verum est, eum emisse?

140. *has* abest in vett. et Veneta.

143. *ego* omittit Bothius cum Vett. et Veneta. Habet vulg. — Hoc moneo, *autem* in locis haud paucis prima brevi pronunciari. Cf. ad Amph. prol. 36. Merc. 2, 3, 83. Mil. 1, 83. Stich. I, 3, 59.

144. *ad unum saxum*. Abundat *unum*. Cf. III, 2, 2. Amph. 2, 2, 74. Cist. 4, 2, 70. Aul. I, 2, 11.

147. *Heus tu*. Haec Bothius Theuropidi tribuit; editiones Tranioni, quasi evocanti iam, sed statim aliud consilium ineunti.

149. *Percontaredum*. In edd. abest *dum*, quod addidit Both.

153. *aedium dominus*. Sic codd. et Veneta et Both. — Vulg. et vett. *dominus aedium*.

156. *Igitur tum*. Abundat *igitur*. Cf. ad II, 1, 33.

Act. III. Sc. II. Principium scenae canticum est Prodit Simo a se, in forum iturus, quia non vult cubare cum uxore sua. Adit ad eum Tranio, narratque advenisse senem, et velle visere eius aedes, quia similes ipse sit aedificaturus filio suo, uxorem brevi ducturo. Ille lubens concedit. Ergo Tranio herum suum ad eum adducit. Abit Simo ad forum. Illi autem aedes contemplantur, primum foras adstantes, deinde in interiora abeuntes.

1. Versus sunt cretici, quarto pede catalectici, plerumque pro cretico pyrrhichium habente, aut tribrachyn; quales versus in fine imminuti apud Plautum haud pauci obviam sunt; v. c. Bacch. IV, 3, 4. 5. 7. 8. 9. 10. 13. 15. 27—31. Curc. I, 2, 25 et aliis locis.

2. Pro *me iuverit*, quod ex Acidalii coni. dedit Bothius, vulgata *meruerit*. Veneta: *Nequid esca una meruerit magis*. Vett. *Nec qui esca una sibi me demeruerit magis*. Cod. Pal. *Nequod est caunam eruerit m.* Gronovii codex Academicus: *Nequidem ea una meruerit m.* Consentiunt igitur omnes in v. *meruerit*. Constructio plane similis est I, 3, 2. — *una* pro *esca ulla;* nisi

Prándium uxór mihi pérbonum dédit;
Núnc dormitúm iubet íre me. Mínume!
Nón mihi fórte visum íllico fúit.
Mélius quam prándium, quód solet, dédit:
Vóluit in cúbiculum abdúcere me ánus.
Nón bonus sómnus de prándio est: ápage!
Clánculum ex aédibus me édidi fóras.
Tóta turgét mihi uxor núnc, scio, dómi.
Tr. Rés parata ést mala in vésperum huic séni:
Nam ét coenandum ét cubandum íntus est mále.
Si. Quóm magis cógito cúm meo ánimo:
Sí quis dotátam habet, néminem sópor
Sóllicitat. Íre dormítum mihi ódio est.
Éxsequi cérta res ést, ut ego ábeam
Pótius hinc ád forum, quám domi cúbem.
Átque pol néscio, ut móribus sient
Vóstrae: haec, sát scio, quám me habet mále;
Péius posthác fore, quám fuit, míhi.
Tr. Si ábitus tuus tíbi, senex, fécerit mále,
Níhil erit, quód deorum úllum accusítes;

malis statuere, *una* pleonastice esse adiectum, ut Amph. 2, 2, 74 et supra 3, 2, 144. — Supplendum: Nec memini, quando etc. — *me meruerit*, mihi placuerit, me devinxerit uxori.

4. Vulg. et Ven. *me ire.* Vett. *Nunc illa dorm. me iubet ire*, *minime.* Quare fortasse eliciendum *Minime* (nam negatio inest in versu sequenti) scribendumque: *Núnc illa dórmitum íre me iúbet.* sive: *Illa nunc* etc. Verum Pall. non agnoscunt vocem *illa.*

5. *visum fuit* sc. ire accubitum.

6. Ven. et vett. *Melius quam pr.*, *quod solum*, *dedit.* Vulg. *Melius quom pr.*, *quam solitum*, *dedit.* Solum positum esse possit pro *solitum*, uti probat Mercer. p. 124 et 679. Quodsi legas *quum prandium*, periodus est. Ego Ven. sequor, ita tamen, ut legam *quod solet.* Constructio: Melius mihi dedit prandium, quam prandium, quod dare mihi solet plerumque: ergo me voluit post illud abducere.

8. Vulg. *est de pr.* — Vett. autem addunt *homini* post *somnus est.* Quod si transponas, abiici possit illud ineptum *Apage*, versusque hic effici: *Nón bonus sómnus de prándio est hómini.*

10. Sic vulg. — Ven. *scio nunc domi.* Vett. *Tota mihi turget uxor nunc domi scio.* Otiosum adv. *nunc.* Lege: *Tóta turgét mihi uxór domi, scio*, sive: *Tóta turgét mihi uxór, scio, dómi.*

12. Vulg. et vett. *est intus m.*

13. Haec et seqq. admodum turbata leguntur in edd. Sensus tamen patet. Ait enim, fieri plerumque ut ii qui dotatas habeant uxores, non nimis cupidi sint cum illis cubandi. Itaque et se velle in forum abire. Augurari tamen, sibi in posterum peius fore. — Vett. *Quom magis.* Vulg. *Quo magis.* — Ceterum verba ineptire, et aegre in metrum cogi, quivis videt.

14. Vulg. *Si quis dot. uxorem habet, Neminem sollicitat sopor. Ire dormitum odio est. nunc vero mihi Exsequi certa res est, ut abeam Potius hinc ad f. q. d. cubem.* Ven. *Quod magis — uxorem habet: male Neminem — ire dormitum Odio es tu: exequi certa res est*, etc. Vett. *Quom magis ego cog. c. meo an.*, *Si q. d. ux. domi habet male*, *Neminem sollicitat ire dormitum sopor. Odiosa haec nunc vero mihi Exs. certa res est hoc*, *ut ab.* — *Dotatae* non addito *uxores* occurrunt Aul. III, 5, 16 et 60. et cf. indic. Graecorum ἐπίκληρος, de quo vocabulo, uti et de toto hoc qui fuit in veterum comoedia loco quasi communi, ut quererentur de dotatis, cf. Aul. Gell. N. A. II, 23.

19. Vulg. *habeat.*

20. Vett. et vulg. *Peiusque*, unde Bothius: *et Peius.* Omittit copulam Veneta, quam sequor. Est enim quasi asyndeton in sententiis, ut v. 26.

21. Bothius omittit *Si* cum Mptis et Veneta. Habent Vulg. et vett. Nam ut omittatur, certe supplendum erit.

Te ípse iure óptumo mérito incusés licet.
Témpus nunc ést, senem hunc álloqui, míhi.
Hóc habet! réperi, quí senem dúcerem,
Quó dolo a mé dolorém procul péllerem.
Áccedam. Dí te ament plúrimum, Símo.
Si. Sálvos sis, Tránio. *Tr*. Út vales? *Si*. Nón male.
Quíd agis? *Tr*. Hominem óptumum téneo. *Si*. Amicé facis,
Quóm me laudás. *Tr*. Decet cérte. *Si*. Hercle, at téd ego
Téneo servom haúd bonum. *Tr*. Quíd ita veró, Simo?
Th. Héia, mastígia, ad mé redi! *Tr*. Iam ísti ero.
Si. Quíd nunc? quam móx? *Tr*. Quid est? *Si*. Quód solet fíeri.
Tr. Díc igitur, quód solet fíeri, quíd id est?
Si. Quíd facitis vós? Sed ut vérum, Tranió, loquar,
Síc decet, út homines súnt, ita morém geras,
Víta quam sít brevis, cógitans símitu.
Tr. Quíd? Ehem, vix tándem
Percépi, super his rébus nostris té loqui.
Si. Músice hercle ágitis aetátem ita, ut vós decet:
Víno, victú, piscatú probo, eléctili.
Vítam colitís. *Tr*. Imo ita éa quidem antehác erat;
Núnc nobis ómnia haec éxciderúnt simul.
Si. Quídum? *Tr*. Ita óppido occídimus omnés, Simo.
Si. Nón taces? Próspere vóbis cuncta úsque adhuc
Prócesserúnt. *Tr*. Ita ut dícis, facta haúd nego:
Nós profectó probe, ut vóluimus, víximus;
Séd, Simo, ita núnc ventus
Návem deseruít.... *Si*. Quid est? Quó modo? *Tr*. Péssumo.
Si. Quaéne subdúcta erat túto in térra?

25. *Hoc habet*, locutio est gladiatoria, quum quis est vulneratus. Cf. Donat. ad Ter. Andr. I, 1, 56. — Vett. *Hoc habeo.*

30. Vulg. *at te ego*. Vett. *at ego te*.

31. Vulg. et vett. *Haud bonum teneo servum.*

32. Hic vulgata statim pergit vs. 33. *Quid nunc?* etc. At Veneta: *Eia mastigia Ameridie amisti cero quid nunc mox.* Tr. *Quid est?* etc. et Vett. *Eia mastigia: nunquid ad merendam istic ero? Quid nunc?* etc. Hinc transloceandus huc videtur versus ex III, 1, 65. ut interloquatur Theuropides, utpote percupidus inspiciendi domum Simonis. — In universum tenendum, hunc locum in vulg. legi ex interpolatione Camerarii. Nam Veneta sic eum habet: *Hercle te ego Haud bonum teneo servum. Eia mastigia — quid nunc mox.* Tr. *Quid est?* Si. *Quid solet fieri hic?* Tr. *quid id est?* Si. *Loquar Si decet morem geram: vita quam sit brevis simul cogitas quidem.* Tr. *Hem vix tandem percepi super his rebus nostris te loqui.* Quorum similia fere et codices exhibent.

33. *quam mox*, sc. coenabimus. — *quod solet fieri*, nimirum ut convivium habeamus?

37. Vulg. *simul cogita*. Vett. *simul cogitas*, cui addit Ven. *quidem*. Both. *simitu cogita*.

39. *rebus nostris*, i. e. conviviis, epulis, potationibus.

42. Vulg. et Ven. *Imo vita antehac erat.* Pall. *immo ut antehac erat.* In V. C. tamen superscripta erant antiqua manu: *ita ea quidem*. Vett. *imo ita ea quidem antehac erat.* Quam sequor.

43. Vulg. *Nunc nobis omnia haec exciderunt.* Quibus addit Lamb. *Simo*, quod et legitur versu sequenti. Quare hic possit adiici *simul*, nisi malis *ibi*. Ven. pro *omnia* habet *communia*, quod Both.

49. Sequor vulg. — Vett. *navem nostram des.* — *Navem* lege μονοσυλλάβως, ut v. 52. — *Pessumo.* Sic Ven. et Both. — Vulg. *Pessime.*

50. Sic vulg. At vett. *Quae nec subd.*

Tr. Heí! *Si.* Quid est? *Tr.* Mé miserum! óccidi! *Si.* Quí? *Tr.* Quia
Vénit navis, nóstrae naví quae frangát ratem.
Si. Vélim, ut velles, Tránio. Séd quid est negóti?
Éloquere. *Tr.* Éloquar: hérus [peregre] venit. *Si.* Túm tibi
Chórda tendétur; inde ín ferritérium:
Póstea recta ín crucem. *Tr.* Núnc te ego per génua
Óbsecro, né hero indícium faciás meo.
Si. Né metuas, níl sciet é me. *Tr.* Patróne,
Sálveto. *Si.* Níl moror mi istiúsmodi cliéntis.
Tr. Nunc hóc, quod ad te nóster me misít senex....
Si. Hoc míhi responde prímum, quod ego té rogo:
Iam de ístis rebus vóster quid sensít senex?
Tr. Nihil quídquam. *Si.* Namquid íncrepavit filium?
Tr. Tam líquidus est, quam líquida esse tempestás solet.
Nunc te hóc orare iússit opere máxumo,
Ut síbi liceret ínspicere has aedés tuas.
Si. Non súnt venales. *Tr.* Scío equidem istuc; séd senex
Gynaéceum aedificáre volt hic ín suis
Et bálineas et ámbulacrum et pórticum.
Si. Quid ílle consomniávit? *Tr.* Ego dicám tibi.
Dare vólt uxorem fílio, quantúm potest:
Ad eám rem facere vólt gynaeceúm novum.
Nam síbi laudasse hásce ait architéctonem
Nescío quem, esse aedificátas has sané bene:
Nunc hínc exemplum cápere volt, nisi tú nevis....
Si. Nae illíc malo quidem ab ópere sibi exemplúm petit.
Tr. Quia híc audivit ésse aestatem pérbonam;

e. t. in terram antehac. Ven. *Quae nec s. — terra.*

52. Prius *navis* una syllaba efferto, ut v. 48.

53. *Velim ut velles*, velim tibi res procedere ex animi tui sententia.

54. *Eloquere* repraesentat vulg.; vett. autem *Eloquar*, ut et Ven. Itaque coniunxi utrumque, *peregre* autem, quod omnes habent, inclusi.

55. Veneta: *Herus peregre venit. S. Tuus ne? Tr. cor tenditur Inde ferit iterum, postea hem obsecro, ne indicium hero facias meo.* Nostr. vulg. et vett. ex interpolatione, ita tamen ut habeant *tenditur* — et *Postea in crucem recta.*

57. Vulg. *ne ind. hero facias meo.*

58. Vulg. *E me, ne quid metuas, nihil sciet.* Transposui; *quid* autem eieci.

59. Vulg. *salve.* Nostr. e coni. Forsitan tamen integer vs. suppositus.

64. *esse* una syllaba proferto, ut Amph. I, 1, 131. As. V, 5. et ut saepius infinitivi. Cf. Epid. I, 1, 72. Curc. 4, 1, 9. Epid. I, 2, 25. II, 2, 45 et 62. IV, 1, 14.

66. Veneta: *hasce.*

70. Vulg. et Pall. *Quid consomniavit?* Vett. *Quid ille cons.* atque sic Lambinus in nuptis legit. *ille* monosyllabum. Both. *Nam quid cons.* Consomniare autem i. q. excogitare, uti *somniare aurum* Stich. 5, 2, 18. i. q. cogitare de pecunia comparanda.

72. Sic vett. — At vulg. et Pall. *novum gynaeceum.* Ven. *novum gynaecium.*

73. Both. ex Dec. *Iam sibi laudavisse.*

76. *sibi* addunt vett. Deest in vulg. Ven. Both. — Pall. *Nam ille eo malo .... opere ex te exemplum petit.* Postea in V. C. ex *malo* factum *magno.*

77. Haec Veneta sic, Simoni continuans: *Quia hic esse aestatem perbonam sub diu sol perpetuum diem.* Vulg. *Sub diu coli absque sole perp. diem.* Pall. v. 77. *Quia hic ..... esse aestate* lacunae signo, quam quis explevit v. *audivit.* In V. C. postea factum: *estate*

Subdiú coli has solére perpetuúm diem.
Si. Imo édepol vero, quum úsquequaque umbra ést, tamen
Sol sémper hic est úsque a mani ad vésperum;
Quasi flágitator ádstat usque ad óstium;
Nec míhi umbra usquam est, nísi si in puteo quaépiam est.
Tr. Quid? Sársinatis écqua est, si Umbram nón habes?
Si. Moléstus ne sis. Haéc sunt sicut praédico.
Tr. Attámen inspicere vólt. *Si*. Inspiciat, sí lubet.
Si quíd erit, quod illi pláceat, de exempió meo
Ipse aédificato. *Tr*. Eón'? voco huc hominem? *Si*. Í, voca.
Tr. Alexándrum magnum atque Ágathoclem aiunt máxumas
Duo rés gessisse: quíd mihi fiet tértio,
Qui sólus facio fácinora immortália?
Vehit híc clitellas, véhit hic autem altér senex.
Novítium mihi quaéstum institui nón malum:
Nam múliones múlos clitellários
Habént; ego homines hábeo clitellários.
Magní sunt oneris; quídquid imponás, vehunt.
Nunc húnc haud scio án colloquár. Congredíbor.
Heus, Theúropidés! *Th*. Hem, quis mé nominát?
Tr. Heró servos múltum fidélis suó.
Quo mé miserás, adfero ómne impetrátum.
Th. Quid íllic, obsecró, tam diú restitísti?
Tr. Sení non erát otium: íd sum opperítus.
Th. Antíquom obtinés hoc tuúm, tardus út sis.
Tr. Heus tú, si volés verbum hóc cogitáre,
Simúl flare sórbereque haúd facile fáctu est:
Ego híc esse et íllic simúl haud potui.

perbonum. — versu 78. *sub diu col perpetuum diem*, cum lacunae signo in V. C. post *col*, in Decurt. post *diem*. At vett. *Quia hic audivit esse statem perbonam. Nam sub diu sol agit hic perpetuum diem*, qui locus possit pertinere ad ipsum theatrum, in quo sane sol saepe molestissimus fuerit oportet, quippe in quo sub diu et spectatores adsidebant, et agebant histriones. Lambinus: *Sub dio coli hasce aedes solere perpetuum diem*. Possit ita: *Sub diu coli has solere perpetuum diem*. ut *coli* sit: habitari; in aedibus his etiam sub dio, h. e. in area, posse degere habitatores per totum diem. Both. *Subdiu coli absque sole perpetuum diem*.

79. *Imo edepol* in contrario adhibetur Pseud. 4, 7, 102. *Harpax ego sum. B. Imo edepol esse vis*, suppl. *non autem es*.

81. Vett. *astans*. Pall. *astat*.

83. Lusus est in verbo *umbra*, quod et significare potest mulierem ex Umbria. *Sarsinatis* i. e. puella ex Sarsino, unde erat Plautus.

84. *Molestus ne sis*, locutio in facetiis quae regerebatur, similis illi: *Vae tibi!* seu *Iupiter te perduit!* aut *Odiosus es*, sive: *Aufer cavillam!*

88. *Agathocles*, quippe ex figulo magnus rex factus. De quo exponit Diodorus Sic. lib. XI seqq.

91. Sensus: utrumque horum probe oneravi mendaciis.

96. Ab hoc versu mutatio fit metri, sequunturque bacchiaci, intermixtis catalecticis. Vulg. *Congrediar*. Vett. *Nunc illum ego hinc ex insidiis ausculto*, *an collocar? congrediar*. Veneta: *Nunc ausculto. an colloquar: congrediar*.

97. Sic Veneta et Both. ex Pal. In vulg. et vett. non legitur *Hem*. Eaedem *nominat me*.

98. Vulg. et vett. *suo fidelis*. In Ven. abest *fidelis*.

99. Omnes: *Quo me miseras*. Both. *Quod m. m.*

101. Vulg. *otium erat*.

102. Vulg. *hoc obtines*. Nostr. Veneta et Pall.

105. *potui*. An legendum: *potuvi* ut

Th. Quid núnc? *Tr.* Vise, spécta, tuó arbitrátu.
Th. Age, í duce mé. *Tr.* Num morór? *Th.* Subsequór te.
Tr. Senéx ipse te ánte ostium, éccnm, opperítur.
Sed ís moestus ést, hasce sé vendidísse.
Th. Quid tándem? *Tr.* Orat, út suadeám Philolachéti,
Ut ístas remíttat sibí. *Th.* Haud opínor.
Sibí quisque rúri metít. Si male émtae
Forént, nobis hás redhibére haud licéret.
Lucrí quidquid ést, id domúm trahere opórtet.
Misériсordiás iam hominem habére haud opórtet.
Tr. Moráre herculé, dum facís verba. Séquere.
Th. Fiát. *Tr.* Do tibi ego óperam.
Senéx illic ést. — Hem, addúxi tibi hóminem.
Si. Sálvom te advenísse peregre gaúdeo, Theurópides.
Th. Dí te ament. *Si.* Inspícere hic aedes te hás velle aiebát mihi.
Th. Nísi tibi est incómmodum. *Si.* Ímo cómmodum. I intro atque ínspice.
Tr. Át enim mulierés. *Si.* Cave tu ullam flóccifaxis múlierem.
Quálibet perámbula aedes óppido, tamquám tuas.
Th. Támquam? *Tr.* Ah, cave tu ílli obiectes núnc in aegritúdine,
Te hás emisse. Nón tu vides hunc, vóltu ut tristi ést senex?
Th. Vídeo. *Tr.* Ergo irridére ne videáre et gestire ádmodum,
Nóli facere méntionem, te hás emisse. *Th.* Intéllego,
Ét bene monitum dúco atque esse exístumo humani íngeni.
Quíd nunc? *Si.* Quin tu is íntro? atque otióse perspecta, út lubet.
Th. Béne benigneque árbitror te fácere. *Si.* Factum edepól volo.
[Vín', qui perductét? *Th.* Apage istum pérductorem. Nón plácet.

fuvi; an potivi ut *institivi?* an versus catalecticus?

107. Pall. Vulg. vett. Ven. *Age, duc me.* Nostr. e. coni. — Ven. et Both. *non moror.* Nostr. vulg. et vett.

109. Addidi *is*, transposui *se hasce.*

112. *Sibi quisque ruri metit*, i. e. quisque sibi debet prospicere.

113. *has.* Sic vett. — Vulg. et Ven. *istas.* — Redhibere est facere ut rursus habeat venditor. Festus: Redhibitum id proprie dicitur, quod improbatum et redditum est ei, qui dedit, idemque rursus coactus est habere quod ante habuit.

115. Vulg. et vett. *iam habere haud hominem oportet.* Veneta: *Mis. tandem hab. hom. op.* —

116. Hic vett. sic: *Tr. Satius demum est operae pretium nunc est inisse. Morare hercle, atque illi indignum facis. Th. Quin tu recte edepol mones. subsequere me.* Pro quibus Veneta nil nisi haec pauca: *Tr. Moram hercle facis. Subsequere. Tr. Fiat. Tr. Do tibi* etc. Vulg. *cum verba facis. subsequere*, in quibus *cum verba* est a Camerario. Patet omnia corrupta esse. Et in cdd. Pall. hic omnia inversa et integrae scenarum partes inter se sunt transpositae.

120. Sic vett. — In Ven. deest *hic.* Vulg. *te aedes*, item omisso *hic.*

121. Ven. *imo est comm.* In vulg. et vett. deest *est.*

122. Ven. *mulierum.*

125. Sic vulg. et Ven. At vett. *tristi ut est.*

127. *has*, quod praebent vett., deest in vulg. et Pall. et Ven. Habet Both.

128. Vett. et vulg. *atque te existimo humano ingenio.* Quod et metrum et sensum nullum praebet. Nostr. Both. et fere Veneta, quae habet *ac esse.*

129. Veneta et Pall. *perspecta.* Vulg. et vett. *perspectas.* Nostr. Both.

Si. Quíd? quid est? *Th.* Errábo potius, quám perductet quíspiam.]
Tr. Víden', vestibulum ante aédis hoc, et ámbulacrum, quoíusmodi?
Th. Lúculentum edepól profecto! *Tr.* Age spécta, postes quoíusmodi,
Quá sint firmitáte facti, et quánta crassitúdine!
Th. Nón videor vidísse postis púlcriores. *Si.* Pól mihi
Eó pretio emti fúerant olim. *Tr.* Aúdin' „Fuerant" dícere?
Víx videtur cóntinere lácrumas. *Th.* Quanti hosce émeras?
Si. Trés minas pro istís duobus praéter vecturám dedi.
Th. Hércle quin multum ímprobiores súnt, quam a primo crédidi.
Tr. Quápropter? *Th.* Quia édepol ambo ab ínfumo tarmés secat.
Tr. Intempestivós excisos crédo; id eis vitiúm nocet.
Átque etiam nunc sátis boni sunt, sí sint inductí piee.
Nón enim pultíphagus opifex óperam fecit bárbarus.
Víden' coagmenta in fóribus? *Th.* Video. *Tr.* Spécta, quam arcte dórmiunt.
Th. Dórmiunt? *Tr.* Illúd quidem, ut connívent, volui dícere.
Sátin' habes? *Th.* Ut quídquid magís contémplor, tanto mágis placet.
Tr. Víden' pictum, ubi ludíficat cornix úna volturiós duo?
Córnix adstat; éa vulturios dúo vicissim véllicat.
Quaéso, huc ad me spécta, cornicem út conspicere póssies.
Iám vides? *Th.* Profécto nullam equidem íllic cornicem íntuor.
Tr. Át tu istac ad vós obtuere, quóniam cornicém nequis

132. *Quid? quid est?* Sic vulg. — Ven. *Quid est?* Vett. *Quid id est?* — Iidem tamen versus infra redeunt vs. 161. 162. paullo immutati; ubi v. not. Unde nostres hic sustulit Bothius.

135. Vett. *Qua sint.* Decurt. Vulg. et Ven. *Quanta.*

136. *Non videor vidisse*, non puto me unquam pulcriores vidisse. Cf. 2, 2, 10. 13.

137. *eo pretio* i. e. satis magno pretio, ut possent esse pulcherrimi.

141. Vett. Ven. *terram secant.* Nostr. vulg. et Both. Festus: *tarmes vermiculus carnem exedens.* Hic igitur int. teredo. Cf. Vitruv. II, 9.

142. *Intempestivos*, non iusto tempore, contrario tempore. Ligna enim ad aedificandum caedenda sunt ante brumam et decrescente luna. Confero Plinium H. N. XVI, 39. et XVIII, 32.

144. *opifex barbarus* i. e. Latinus, Romanus. Cf. Capt. 3, 1, 33. IV, 2, 105. Asin. prol. 11. Cas. 3, 6, 33. Adhibetur tamen et de inculto, Bacch. I, 2, 13. — *pultiphagus.* Nam Romani pulte victitabant, ut Graeci polenta. Poeni item pulte, Cf. Poen. prol. 54. Puls autem erat mixtum e farina, aqua, et melle aut ovis cum caseo. Polenta ex hordeo fiebat. Ceterum Veneta: *Non enim pultiphagus opifex operam fecit barbarus.* Vulg. et Vett. *Non enim haec — opera.* Praefero Venetam. — *enim* i. e. q. enimvero. *Sicher hat kein römischer Werkmeister die Arbeit ausgeführt.* Nam ad praecedentia referri non debet.

145. Pro *coagmenta* vett. *ornamenta.* Illud Pall. Vulg. et Ven. Coagmenta sunt coniunctiones arctae, ut Nonius int. In scansione *viden* monosyllabum et *coagmenta* ab in. contrahendum, uti *coaddito* Cas. 3, 1, 4.

146. *Illud quidem volui dicere*, solemnis se ipsum corrigentis formula. Cf. Cas. 3, 5, 55. II, 6, 14.

147. Veneta et Pall. *quidquid.* Vulg. *quidque.*

152. *ad vos*, sc. te et Simonem. Praep. *ad* hic aperte pro *apud* dicta est iudicanda, ex mente senum, unde egregia oritur amphibolia. Similiter Capt. prol. 52. Cas. 2, 2, 21. Pseud. 4, 7, 135. Vett. *At tu istac adversum obt.*

Cónspicari, sí volturios fórte possis cóntui.
Iám vides? *Th.* Non édepol video. *Tr.* Át ego volturiós duos.
Th. Ómnino, ut te absólvam, nullam píctam conspicio híc avem.
Tr. Áge, iam mitto. Ignósco: aetate nón quis obtuérier.
Th. Haéc, quae possum, ea míhi profecto cúncta vehementér placent.
Si. Látius demum óperae est pretium ivísse. *Th.* Recte edepól mones.
Si. Ého, istum, puer, círcumduce hasce aédis et conclávia.
Nam égomet ductarém, nisi mi esset ád forum negótium.
Th. Ápage istum a me pérductorem: níhil moror ductárier.
Quidquid est, errábo potius, quám perductet quíspiam.
Si. Aédis dico. *Th.* Érgo introeo síne perductore? *Si.* I, licet.
Th. Íbo intro igitur. *Tr.* Máne, sis: videam, né canis .... *Th.* Agedúm, vide.
Tr. Ést. *Th.* Ubi est? *Tr.* Abí dierecta! Ábin' hinc, in malám crucem?
Át etiam restás? St! abi istinc! *Si.* Níhil pericli ést. Age.
Tám placida est, quam foéta. Quavis íre intro audactér licet.
Éo ego hinc ad forúm. *Th.* Fecisti cómmode. Bene ámbula. —
Tránio, age, canem ístam a foribus [íntus] abducát face,
Étsi non metuénda est. *Tr.* Quin tu illam ádspice, ut plácide áccubat!
Nísi molestum vís videri te átque ignavom .... *Th.* Iam, út lubet.
Tr. Séquere hac me igitur. *Th.* Équidem haud usquam a pédibus abscedám tuis.

Veneta: *At tu istac ad nos.* Vulg. *At tu isto ad vos obt.* uti Pall.

153. *si vulturios*, h. e. an vulturios. Cas. 3, 4, 1. Curc. 2, 3, 20. Merc. 5, 2, 100. 1, 2, 47. Mil. 3, 1, 18.

154. Visus est hic inserendus hicce versus, ex fragmento Ambrosiano, quod sic legit Maius: *Non edepol video. At ego video volturios duos.* Cf. Osann. Anal. crit.

155. *ut te absolvam*, ne te longius morer.

162. Hunc et praec. vs. hic iterum habent edd. cum iam supra 131 legantur, ubi vide not. Verbum autem *ductare* alias est *esse cum scorto*, *amare;* item *perductare*. Hinc ambigue dictum.

163. *Aedes dico.* Accusativus pendet a praep. *per*. Ait igitur: Non dixi, qui te perducat, sed qui ducat te per aedes.

165. Vulg. et vett. *ubi canis est?* — Veteres uti nostrates canem habebant alligatam ad portam, a qua ut sibi caverent ignoti, inscribebatur portae: Cave Canem, cui inscriptioni etiam addebatur canis imago picta.

167. Vulg. *quam est aqua: vise, ire.* Vett. et Pall. *quam est foeta. vise. ire* etc. Veneta: *Tam placida est, quam foeta: qua visere intro audacter licet.* Alii habent *aquila* pro *foeta*, ex quibus Acidalius fecit: Tam placida est, quam *ovicula*. Bothius haec Tranioni tribuens legit: *Tam pl. e. quam — foeta.* Foetae autem canes sane placidiores solent esse.

169. *intus* abest a libris, adiectum a Bothio. Possit et *aliquis*. Ven. et vulg. *abducat*, sc. domesticorum aliquis, ostiarius. Vett. *abducas*.

172. *me* praebet Ven. et habet Both. ex Pal. Deest in vulg. et vett. Personarum autem nomina mutavi. Nam consentaneum est praeire Tranionem. Vulg. priorem huius vs. partem Theuropidi, alteram Tranioni tribuit, ut et Both. Male. Cf. vs. 107.

ACTUS IV. SCENA I.

PHANISCUS. SERVUS ALIUS.

Serví, qui, quum cúlpa carínt,
Tamén [malum] metuúnt,
Hí solent ésse heris útibilés.
Nam ílli, qui nihíl metuúnt,
Postquám sunt malúm merití,
Stúlta sibi éxpetunt cónsiliá:
Exércent sese ad cúrsuram:
[Fugiúnt.]
Sed hí, si repréusi súnt,
Faciúnt a maló
Pecúlium, quód nequeúnt [a bonó].
Aúgent ex pauxíllo:
[Thesaúrum in]de paránt.
Mihi in péctore cónsilií [quod ést,
Lubét cavére] malám rem priús,
Quam út meum [térgum exsincératum fíat.]
Út adhuc fuít, mihi córium esse opórtet,
Síncerum, átque uti vérberarí vetem.
Si huíc imperábo, probé tectum habébo.
[Malum] Cum ímpluit caéteris, nón impluát mihi.

Act. IV. Sc. I. Phaniscus, Callidamatis servus, advorsum it hero suo, gratulaturque sibi ob eam obsequentiam cantico. Dein alius interloquitur servus cum eodem. Phaniscus autem ad aedem Theuropidis accedit atque pultat. — Atque haec scena in Pall. statim sequitur post superioris versum ultimum: *Sequere hac me igitur* etc. In vulgatis contra, uti et apud Bothium, hic inserta sunt ea, quae apud nos efficiunt scenam II. actus huius eiusdem quarti, tamquam actus III. scena tertia. Quivis tamen videt, non potuisse tam cito exire Theuropidem cum Tranione. — Ceterum quae sequuntur a vs. 38—58, videntur esse supposititia. Cf. not. ad vs. 36.

1. Eadem fere leguntur Men. V, 6, 22. — *carint.* Sic edidit Camerarius ex Pall., ut sit i. q. *carcant;* atque sic vulg. et vett. At Veneta: *Servi qui culpa carent: tum malum metuunt.*

2. *malum*, quod omnes habent, et loco ductus ex Men. citato, ubi deest ea vox in sententia, et eo, quod infra pluries legitur, et metri ergo, excludendum arbitror.

4. Vett. et Ven. *Nam qui.* Nostr. Pall. et Vulg.

8. *Fugiunt*, quod itidem omnes habent, fortasse scholion ad praeced. versum, ideoque extirpandum.

11. Haec Veneta sic: *Peculium, quod nequeunt augent ex pausillo. Mihi in pectore consilii* (lacuna) *mala rem prius Quam ut meum* (lacuna). Vett. *Peculio quod nequeunt facere suo.* Vulg. *Peculium, quod nequeunt facere de suo.* Nostr. ex nostro peculio. Sensus est: malum sibi augent atque poenam, quum potius debeant laudem sibi augere.

13. Haec plane absunt a Veneta, leguntur in vett. et vulg.; Pal. habet: *deparant*, omissis *Thesaurum in*-.

14. Verba *quod est lubet cavere* non leguntur in cdd.

16. *exsinceratum fiat.* Sic vulg. ex Camerario et vett. Sensus: desinat esse *sincerum*, quod v. legitur vs. 18. — Post hunc versum vett. addunt: *Aut id subiiciam culcitram vibicibus.* De quibus nec iota vel in Pall. vel vulg. vel Ven. legitur, neque apud Lambinum. V. *culcitulla* infra legitur v. 49.

18. Transposui vulg. *uti vetem verberari.*

19. *Si huic imp.* i. e. si ego tergi mei dominus ero; si cavero, ne tergum fiat exsinceratum, ne mulcer. — *probe tectum*, h. e. aeque bene tectum habebo tergum, ac si paenula tegeretur. Non enim paenula amictus est Phanicus, ut ex infra sequentibus apparet. Cf. IV, 3, 51.

Nám, ut serví volunt ésse herum, íta solet.
Bonús cum probís 'st,
Malús cum malís.
Nam núnc domi nóstrae tot péssumi vívunt;
Pecúli suí prodigí, plagigéruli.
Ubi, advórsum ut eánt,
Vocántur, heró: [Non eó;]
Moléstus ne sís:
Scio, quó properás.
Gestís aliquó
Iam hercle íre [vis, múla,] forás [pastum.]
Béne merens hoc prétium inde ábstuli: ita abií foras. [Solus]
Núnc eo advórsum hero ex plúrimis sérvis.
Hóc die crástini cúm herus rescíverit,
Máne eos castígabit búbulis éxuviis.
Póstremo minóris pendo térgum illorum, quám meum.

20. *Malum*, quod omnes habent, abundat ad versum. Vulg. *ceteros*. Nostr. vett. et Veneta, quae h. v. sic: *Cum implicuit ceteris, ne impluat mihi.* Nam ea *malum* ad praecedentia traxit.

22. Veneta: *Boni improbi sunt: malus fuit.* Vett. *Bonis cum probis est, malus cum malis.* Vulg. *Bonis boni sunt, improbi, qui malus fuit*, atque sic et Lambinus. Apparet vett. lectionem et sensu et sono melius congruere. Pall. sic: *Bonis sunt improbis sunt malus fuit.*

25. *peculi sui*, i. e. tergi.

27. *hero* refer ad *advorsum ut eant.* — *Non eo: Molestus ne sis*, verba sunt repugnantis alius cuiusdam servi et obstinati. Ceterum spuria iudico *Non eo.* Deinde *ne* dictum puto pro *non*, et corripiendum.

29. *Scio, quo — foras*, verba sunt eiusdem illius servi repugnantis ac nolentis advorsum ire, ad servum probum, qui ire paratus est. Non enim hero eum advorsum ire arguit, sed ad aliotria tendere.

30. Vulg. vett. Ven. *gestis aliquo iam hercle.*

31. In vett. desunt *vis, mula*, quae habet et vulg. et Veneta. Bene haec sic haberent: *Ubi advorsum ut eant Vocantur hero: Molestus ne sis: Scio, quo properas: Gestis aliquo Iam hercle ire foras*, reliquis omnibus ineptiis abiectis. —

32. Sensus: Hoc mihi responderunt servi improbi, quum ego officio meo fungerer. Versus similes vs. 36 et 37. Fortasse tamen addendum *ego* post *inde.* — *Solus* legitur in omnibus ab initio versus seq.

34. *die crastini*, h. e. cras. Sic antiquitus *die quarti*, *die quinti*, *die pristini* dicebant. De qua locutione cf. Gellium N. A. X, 24. Nimirum est genitivus antiquus: *des folgenden Tages.*

35. Vulg. vett. Ven. *Mane castigabit eos.*

36. *Postremo.* Sensus: *um es kurz zu sagen, kurzum*, et sic permultis locis obviam. V. ind. Ec semper eo sensu in fine demonstrationis alicuius adhibetur. Neutiquam vertendum: *endlich*, aut: *schliefslich.* — In hoc autem versu hic finiuntur in cdd. Pall., quae ad Phanisci canticum pertinent; adiiciuntur inepte, quae apud nos leguntur supra III, 2, 115. *Misericordias* etc. usque ad vs. 157. *Haec, quae possum* etc. Deinde subsequitur versus 36. *Illi bucaedae erunt multo potius, quam ego sim restio*, cui statim adduntur: Tr. *mane tu atque adsiste illico; molestus ne sis, nemo dat: age quodlubet* etc. quae apud nos leguntur III, 1, 76. usque ad vs. 109. Denique adduntur nostra: *Phanisce, etiam respice* usque ad finem huius scenae nostrae; post quam sequuntur quae apud nos scena II. *Quid tibi visum* etc. Quibus codicum vestigiis ductus quae coniecerim, haec sunt: 1) canticum Phanisci debere sequi eo loco, quo nos illud collocavimus. 2) recte idem posse finiri v. 37; ita ut, eo recitato, Phaniscus accedat ad ianuam Philolachetis, eamque pulset, dein ibi aut quietus opperiatur herum, aut etiam introspiciat. 3) subsequi tum posse colloquium inter Phaniscum et alium illum servum a vs. 38; de cuius tamen ratione statim infra dicemus. 4) post illud sequi oportere scenam: *Quid tibi visum*

Ílli erunt bucaédae multo pótius, quam ego sim réstio.
Se. Mane tu, átque adsiste íllico: Phanísce! etiam réspice!
Ph. Mihí molestus né sies. *Se*. Vide, út fastidit símia!
Ph. Mihi súm; lubet esse. Quid íd curas?
Se. Manésne íllico, impure párasite?
Ph. Qui párasitus sum? *Se*. Ego ením dicam:
Cibo pérduci poterís quovis.
Ferócem facís, quia te herús tam amát? *Ph*. Vah,
Oculí dolent! *Se*. Cúr? *Ph*. Quia fúmus moléstus.
Se. Táce, sis, faber, qui cúdere
Plúmbeos numós soles!
Ph. Nón potes tu cógere me, ut tíbi maledicam. Nóvit herus me.
Se. Súam quidem pol cúlcitullam opórtet. *Ph*. Si sis sóbrius,
Mále non dicas. *Se*. Tíbi obtemperém, quom mihi tu néqueas?
Ph. Át tu mecum, [pessume,] í advorsus. *Se*. Quaéso hercle, Phanisce, ábstine
Iám sermonem de ístis rebus. *Ph*. Fáciam, et pultabó foris.
Heus, écquis hic est, qui máxumam
Iniúriam his foribus défendat?
Ecquís, ecquis huc éxit atque

est etc. et post illam denique ea, quae apud nos faciunt scenam III, quae in vulgatis una serie cohaerent cum scena, quae apud nos est prima huiusce actus. — Bothius ita mederi se posse ratus est huic loco, si scenam: *Quid tibi visum est* etc. quae in vulgatis tertia est actus tertii, faceret primam scenam actus quarti, ut igitur, actus pausa interposita, pro lubitu posset Theuropides interiora aedium inspicere. Sed ita nihil effecit, nisi, ut, altera difficultate remota, in alteram incurreret. Sic enim Theuropidem necesse est perstare otiosum in proscenio per integrum canticum Phanisci huiusque cum conservo colloquium. Quod profecto cum rei argumento et cum vera fabulae actione non videtur esse consentaneum. Ut nihil dicam de imaginaria omnino actuum ordinatione apud nostrates. — Ceterum qui accuratius paulo examinarit colloquium hoc, quod iam sequitur, Phanisci cum servo illo, haud pauca certe inveniet, quae arguant esse suppositum seriusque adiectum, fortasse eam ob rem, ut introduceretur servolus ille alius, infra qui comparet. Nam et metrum in plerisque vacillat, et sententiae cum dictione facetiaeque non sunt optimae, imo ita ieiunae, ut vix Plautina haec esse existimari possint. Sic v. 38. *adsiste*. — vs. 40. *Mihi sum*; videlicet simiam se ait esse. Porro v. 41 ineptum, quod vocat *parasitum*. v. 44. illud *tam amat*. v. 47. *plumbei* illi *numi*. v. 49. illa *culcitulla*, locus ineptus, et a vero Plauto fortasse ubique alienus. v. 50. *quom tu mihi nequeas* plane inepta. v. 51. *Quaeso h.*, *Ph. abstine iam sermonem de istis rebus*, quum tamen non Phaniscus sed servus ipse nugas facessere instituerit. Atque similiter etiam postrema. Ut nullus dubitem integrum locum a vera fabula seiungere.

37. *bucaedae*, ut bubulis coriis caedantur. *restio*, qui funes seu restis plectar aut me suspendam. Ceterum restio alias est restium fabricator, *ein Seiler*. Sed et hic versiculus videtur esse additicius.

38. *Phanisce* deest in vett., habet vulg.

40. Veneta: *quid hic curas?* h. e. quid tu hic quasi imperatorem agis?

42. *Qui parasitus sum?* quo tu argumento parasitum me vocas?

45. *Oculi* sc. mei. — *quia fumus mol.* h. e. 'quia tu mihi ita molestus et odiosus es, ut esse solet fumus.

47. Vulg. et vett. et Ven. *soles plumbeos nummos*. Sensus fortasse: qui imponere studes hero simulatis officiis.

48. In fine versus Vett. addunt: *si sobrius sis*, omissis verbis: *Suam quidem — oportet*, quae item in Lambino desiderantur. Veneta: *maledicam. Novi te. rus me suam quidem pol culcitrulam optat. Si sobr.* etc.

51. *pessime* omnes habent.

53. Transposui verba, anapaesticos ratus. Vulg. *maximam qui his ini. for. def.*

Aperít? Nemo hinc quidem fóras exit.
Ut esse áddecet nequam hominés, ita sunt.
Séd eo magis cauto ést opus, ne huc exeát, quí male me múlcet.

ACTUS IV. SCENA II.

TRANIO. THEUROPIDES.

Tr. Quíd tibi visum ést hoc mercimóni? *Th.* Totus gaúdeo.
Tr. Núm nimio emtae tíbi videntur? *Th.* Núnquam edepol ego mé scio
Vídisse usquam abiéctas aedes, nísi modo hasce. *Tr.* Ecquíd placent?
Th. Écquid placeant, mé rogas? Imo hércle vero pérplacent.
Tr. Cúiusmodi gynaéceum! quid pórticum? *Th.* Insanúm bonam.
Nón equidem ullam in público esse máiorem hac exístumo.
Tr. Quín ego ipse et Phílolaches in público omnes pórticus
Súmus commensi. *Th.* Quíd igitur? *Tr.* Longe ómnium longíssuma est.
Th. Di ímmortales, mércimoni lépidi! Si hercle núnc ferat
Séx talenta mágna argenti pro ístis praesentária,
Núnquam accipiam. *Tr.* Si hércle accipere cúpias, ego nunquám sinam.
Th. Béne res nostra cóllocata est ístoc mercimónio.
Tr. Mé suasore atque ímpulsore id fáctum audacter dícito,
Quí subegi, foénore argentum áb danista ut súmeret,
Quód isti dedimus árrhaboni. *Th.* Sérvavisti omném ratem.
Némpe octogintá debentur huíc minae? *Tr.* Haud numo ámplius.
Th. Hódie accipiat. *Tr.* Íta enimvero, né qua causa súbsiet;
Vél mihi denumeráto; ego illi pórro denumerávero.
Th. Át enim ne quid cáptioni míhi sit, si dederím tibi.
Tr. Égone te ioculó modo ausim dícto aut facto fállere?
Th. Egon' abs te ausim nón cavere, né quid committám tibi?
Tr. Quían' tibi unquam quídquam, postquam túus sum, verborúm dedi?
Th. Égo enim cavi recte: éam mihi debeo grátiam, atque animó meo.

Act. IV. Sc. II. Prodeunt Theuropides atque Tranio ex aedibus vicini. Probat Theuropides mercimonium filii, spondetque se soluturum pro istis quod pepigerit. Non tamen committere vult argentum Tranioni. Potius rus eum abire iubet, ut arcessat filium. Abit Tranio; Theuropides in scena restat. — De ordine scenarum vide quae diximus ad IV, 1, 36.

1. Prenomen *hoc* non legitur in Pall.

2. *edepol ego.* Sic Pall. At in vulg. abest *ego*.

3. *abiectas*, tam vili venditas. Sed V. C. *ablactas*, et Pall. *umquam*, non *usquam*, uti vulg. quum tamen praecedat *Numquam*.

9. *Tò si* non videtur in Pall. legi. — *ferat* sc. Simo.

11. Pall. *accipiem* et in sqq. *cupies*.

17. *Ita enimvero, ne qua* etc. Sic interpungendum, neque, ut fecit Bothius, punctum ante *Ne* collocandum. *causa*, sc. quare nolit ratam habere venditionem.

22. *Quian'*. Sic scripsi pro vulg. *Quia*. Cf. V, 2, 11. *postquam* i. e. q. ex quo tempore.

23. *cavi*, si omnia sana sunt, uti

Sát sapio, si abs té modo uno cáveo. *Tr.* Tecum séntio.
Th. Núnc abi rus: dic, me ádvenisse, fílio. *Tr.* Faciam, út voles.
Th. Cúrriculo i, iube in úrbem veniat iám simul tecúm. *Tr.* Licet.
Núnc ego me illa pér posticum ad cóngerrones cónferam:
Dícam, ut hic res sínt quietae, atque, húnc ut hinc amóverim.

ACTUS IV. SCENA III.

PHANISCUS. ALIUS SERVOS. THEUROPIDES.

Híc quidem neque cónvivarum sónitus item ut antehác fuit,
Néque tibicinám cantantem, néque alium quemquam aúdio.
Th. Quaé illaec res est? quíd illice homines quaérunt apud aedés meas?
Quíd volunt? quid íntrospectant? *Ph.* Pérgam pultare óstium.
Heús, reclude, heus, Tránio! Etiamne áperis? *Tr.* Quae haec est fábula?
Ph. Étiamne aperis? Cállidamati nóstro advorsum vénimus.
Th. Heús vos, pueri, quíd istic agitis? quíd istas aedes frángitis?
Ph. Hérus hic noster pótat. *Th.* Herus hic vóster potat? *Ph.* Íta loquor.
Th. Púere, nimium es délicatus. *Ph.* Éi advorsum vénimus.
Th. Quói homini? *Ph.* Hero nóstro. Quaeso, quóties dicundúm est tibi?
Th. Púer, hic nemo hábitat: nam te esse árbitror puerúm probum.
Ph. Nón hic Philolachés adolescens hábitat hisce in aédibus?
Se. Híc senex cerebrósus certe est. *Ph.* Erras pervorsé, pater:

leguntur in vulg. tamquam monosyllabum legendum, quemadmodum plura, in quibus *v* litera media, ut *avus*, *avidus*, *navis*, *avunculus*. Cf. ad Aul. prol. 5. Quod ubi nolis, omitte *recte*. Ceterum pron. *mihi* deest in cdd. et pro *debeo* Pall. habent *de his*.

26. Vulg. *Curriculo abi, iube* etc. Bothius: *Curriculo iube in urbem veniat*, abiecto *abi*.

Act. IV. Sc. III. Adstant pueri ad aedes Philolachis, miranturque nullum sonitum audiri. Alloquitur eos Theuropides, et comperit ex illis, se esse deceptum. Pueri, ubi non aperiuntur sibi aedes, abeunt. — De ordine quem instituimus scenarum, cf. not. ad IV, 1, 36. Quod autem plures pueri et commemorantur ab Theuropide et revera comparent in actione, quoniam alter ipse quoque interloquitur vss. 13. 15. 16. 34. 49. id eiusdem generis est, cuius illud in Menaechmis, V, 7, 44. ubi item interloquitur Servus alius, gratulaturque Messenioni libertatem. Nimirum numquam aliqua persona vel etiam secundarum partium in scenam videtur processisse sine comitatu aliquo aut umbra quadam. Atque sic et h. l. Phaniscus habet umbram suam, haudquaquam mutam, sed lepidiuscule iocantem. Quare non opus erat addito illo figmento, quod in fine adiectum est scenae primae, quo quasi introduceretur ille conservus ab ignaro moris illius perpetui apud veteres, quodque tamquam suppositum reiiciendum esse, et illic asseruimus et hic confirmamus.

1. Omnes: *itidem*.

3. Veneta: *illic*. Vett. et vulg. *illi*. Cdd. *illis*.

5. Edd. *etiam* sine interrogativa *ne*. Sed vide vs. seq. init.

6. *nostro*, sc. herili filio.

9. *delicatus*, i. e. dicax et iocosus. Sic *delicias facis* Poen. I, 2, 68 est i. q. iocaris, et Cas. III, 1, 14. *nimias delicias facis*, i. e. q. nimium facetus es.

11. *puerum probum*, i. e. frugi; qui si non esses, non corrigerem errorem tuum.

Nám nisi hinc hodie émigravit aút heri, certó scio
Hic habitare. *Th.* Quín sex menses iam híc nemo habitat. *Se.* Sómnias.
Th. Égone? *Se.* Tu. *Th.* Tu né molestus. Síne me cum pueró loqui.
Ph. Némo habitat? Hem! *Th.* Íta. *Ph.* Profecto: nám heri et nudiustértius,
Quártus, quintus, séxtus, usque, póstquam hinc peregre eiús pater
Ábiit, nunquam hic tríduom unum désitum est esse ét bibi.
Th. Quíd ais? *Ph.* Triduom únum haud intermíssum est hic esse ét bibi,
Scórta duci, pérgraecari, fídicinas, tibícinas
Dúcere. *Th.* Quis istaéc faciebat? *Ph.* Phílolaches. *Th.* Qui Phílolaches?
Ph. Cuí patrem Theurópidem esse opínor. *Th.* Hei, hei, óccidi,
Si haéc hic vera mémorat. Pergam pórro percontárier.
Áin' tu, istic potáre solitum Phílolachem istum, quísquis est,
Cúm hero vostro? *Ph.* Hic, ínquam. *Th.* Puere, praéter speciem stúltus es.
Víde, sis, ne forte ád merendam quópiam devórteris,
Átque ibi meliúscule, quam sát fuit, biberís. *Ph.* Quíd est?
Th. Íta dico: ne ad álias aedes pérperam devéneris.
Ph. Scío, qua me ire opórtet, et, quo vénerim, noví, loci.
Phílolaches hic hábitat, quoius ést pater Theurópides,
Quí, postquam pater ád mercatum ábiit, hic tibícinam
Líberavit. *Th.* Phílolaches ergo? *Ph.* Íta: Philematiúm quidem.
Th. Quánti? *Se.* Trigintá talentis. *Ph.* Μὰ τὸν Ἀπόλλω, séd minis.
Th. Áin', minis trigínta amicam déstinatam Phílolachi?
Ph. Áio. *Th.* Atque eam manu émisisse? *Ph.* Áio. *Th.* Et postquam eius hínc pater
Sít profectus péregre, perpotásse hic adsiduó tuo
Cúm domino? *Ph.* Aió. *Th.* Quid? aedes émit hic is próxumas?

12. *in* addunt Both. et vett., omittunt Pall. vulg. et Ven.

13. Omnes: *Senex hic.*

17. Vulg. vv. *Ita profecto* Theuropidi tribuit. Verum *profecto* Phanisco competit, et est κατ' εἰρωνείαν dictum.

19. Vulg. et Pall. *triduum in unum.* At vett. et Ven. ignorant praepositionem, uti et abest in vs. seq. Quare aut non elidendum, aut producendum erit. — Pro *esse* Lamb. *essi*, propter *bibi* sequens. Verum pariter vs. 22. sequitur *ducere*, etiamsi praecesserit *duci.*

27. *ne* pro *an* positum, uti et v. 29. ubi *ne* refertur ad *vide.* Cf. Capt. 1, 2, 18. *Visam, ne nocte quidpiam turbaverint.* Et cf. Pers. 1, 2, 27.

28. Vulg. *quam satis fuerit.* Vett. *quam sat fuerit.*

32. *hic tib.* Sic vett. et Ven. atque *hic* non pronomen, sed adverbium. Vulg. et Pall. *abivit hinc, tib.*

34. Vett. *seu minis.* Pall. *et sex minis.*

35. Vett. *destinatam Philolachem.* Ven. *destinatum Philolachem.* Vulg. *destinatam Philolachi.* Lambinus in textu habet vett. lectionem; in notis autem explicat Venetae, ut *destinatum* sit i. q. *destinatum esse*, deponenti, pro *destinasse.* Potest et defendi vett., ut sit una constructio participialis cum sequentibus, interrupta autem et mutata, additis *atque eam* etc.

36. Τὸ *eius* monosyllabum, ut saepissime.

37. Vett. *istic* addunt ante *assiduo*, quod deest in vulg. et Ven.

38. Vulg. et vett. *quid, is aedes*

Ph. Nón aio. *Th.* Quadráginta etiam dédit huic, quae essent pígnori?
Ph. Néque istud aio. *Th.* Hei, pérdis! *Ph.* Ímo súum patrem illic pérdidit.
Th. Véra cantas! Vána vellem! *Ph.* Pátris amicus vídelicet.
Th. Heú, edepol patrém eum miserum praédicas! *Ph.* Nihil hóc quidem est,
Trígiuta minaé, prae quam alios dápsiles sumtús facit.
Pérdidit patrem. Únus istic sérvos est sacérrumus,
Tránio; is vel Hérculi contérere quaestum póssiet.
Édepol eius patrís me misere míseret; qui quum istaéc sciet
Fácta ita, amburét ei misero córculum carbúnculus.
Th. Sí quidem istaec véra sunt. *Ph.* Quid mérear, quamobrem méntiar?
Heús vos? ecquis hasce áperit? *Se.* Quid ita púltas, ubi nemo íntus est?
Ph. Álio credo cómissatum abísse: abeamus núnc ïam.
[*Th.* Púere, iamne abís? Libertas paénula est tergó tuo.
Ph. Míhi, nisi herum ut métuam et curem, níhil est, qui tergúm tegam.]

ACTUS IV. SCENA IV.

THEUROPIDES. SIMO.

Th. Perii hércle! quid opust vérbis? Ut verba aúdio,
Non équidem in Aegyptum hínc modo vectús fui,
Sed étiam in terras sólas orasque últimas
Sum círcumvectus: íta, ubi nunc sim, néscio.
Verúm iam scibo: nam éccum, unde aedes fílius
Meus émit. Quid agis tu? *Si.* Á foro incedó domum.
Th. Num quíd processit ád forum [tibi] hodié novi?

emit hic proximas? Veneta: *Quid, ais aedis hic proximas?*

39. *huic*, vicino Simoni; δεικτικῶς.

45. *quaestum*, nimirum decumae, quae debebatur Herculi ex praeda. Cf. Bacch. IV, 3, 29. 30. et ibi not.

46. Vulg. et Ven. *Edepol me eius patris miseret: qui c. i. sc.* Vett. *Edepol eius me p. m.* Sine dubio τὸ miseret absorpsit τὸ *misere*; quod ubi addi a memet patieris, et receperis verborum *eius patris me*, quam statui collocationem, oppido perbonum habebis versum.

47. *amburet cor carbunculus*, delebit ei cor. — Vulg. *misero ei.* Transposui. Both. *misero eii.*

49. Ven. et B. *Quid ita p.* Vulg. *q. istac p.* Vett. *q. istas p.* — *Quid ita* i. e. q. cur.

51. *Libertas paenula est tergo tuo*, tergo tuo est libertas a paenula, tergum tuum liberum est a paenula, i. e. nullam gestas paenulam. Regit igitur hic substantivum casum vel verbi vel adiectivi, a quo descendit. Hinc non opus est ut cum Bothio legamus: *paenulae*, coll. Amph. prol. 105. — Ceterum hi duo versus additicii videntur. Non enim huius loci erant hae facetiae. Nam in sequentibus lamentatur Theuropides.

52. *qui t. t.* i. e. quo t. t. — *ut* praeclare addit V. C. et Veneta, omittunt vulg. et vett. — Both. *uti.* — *herum* ne elide.

Act. IV. Sc. IV. Clarius etiam a Simone a foro redeunte senex perdiscit, se ludificatum a Tranione. Ergo hunc puniturus, expetit sibi ab Simone servos et lora; cuius in aedes introeunt.

1. In Ven. deest *verba.*

6. Sic Vett. et Both. At Veneta et Vulg. et Lamb. *Quid ais tu?* uti Pall.

Si. Etiám. *Th.* Quid tandem? *Si.* Vídi efferri mórtuum.
Th. Hem,
Novum! *Si.* Únum vidi mórtuum efferrí foras.
Modo eúm vixisse aiébant. *Th.* Vae capití tuo!
Si. Quid tu ótiosus rés novas requíritas?
Th. Quia hódie adveni péregre. *Si.* Promisí foras
Ad coénam, ne me té vocare cénseas.
Th. Haud póstulo edepol. *Si.* Vérum cras, nisi quís prius
Vocáverit me, vél apud te coenávero.
Th. Ne istúc quidem edepol póstulo. Nisi quíd magis
Es óccupatus, óperam mihi da. *Si.* Máxume.
Th. Minás quadraginta áccepisti, quód sciam,
A Phílolachete. *Si.* Númquam numum, quód sciam.
Th. Quid? a Tránione sérvo meo? *Si.* Multo íd minus.
Th. Quas árrhaboni tíbi dedit? *Si.* Quid sómnias?
Th. Egone? Át quidem tu, qui ístoc te sperás modo
Potésse dissimulándo infectum hoc réddere.
Si. Quid aútem? *Th.* Quod me absénte tecum hic filius

7. *tibi* post *forum* habent Vett. et Lamb., ignorant Pall. vulg. Ven. — Al. l. *ibi*. Quodsi recipias *tibi*, totum, ut saepe, erit elidendum. Verum enimvero an recipiendum sit, valde potest ambigi. Quaeritur enim, quis sensus sit verbi *procedere;* an significet simpliciter: evenire, an, peculiari ad Simonis negotia relatu, idem sit quod *successit*, ut vel *bene* vel *male* sit supplendum. Atque priorem illum significatum videntur quidem confirmare, quae sequuntur vs. 11. Ego tamen contenderim, nusquam alias eodem sensu hoc voc. occurrere, plerumque potius, ut sit idem quod *succedere*, quemadmodum et Terentius Adelphis 5, 9, 22. *processisti hodie pulcre.* Quo in significatu vel addendum erit *tibi*, vel certe supplendum. Si supplere malis, legendum *forumd.* Hilare alacreque occipiunt senes inter se colloquium. Atque Theuropides quaerit, ut solebat fieri in tali casu, an Simoni ipsi in foro novi quid negotii vel bene vel male acciderit aut evenerit. Utitur tamen verbo melioris potius augurii: *processit*, quod laetiorem eventum videtur significare. Simo vero, nullo ad sua negotia respectu habito, haeret in *procedere* et *novi*, interpretaturque Theuropidis quaestionem, quasi ille rogaverit, an evenerit sibi, ut ad forum novi quid aut videret aut experiretur, et an viderit ibi procedere aliquid. Quo utroque respectu respondet, se vidisse efferri mortuum, quod et est novum, et est processus aliquis. Simul sub mortuo innuit ipsum Simonem. Ille regerit, se voluisse novum audire, hoc autem nihil esse novi. Asserit Simo, modo vixisse illum mortuum, ergo novum esse, imo novissimum. Reponit Theuropides usitata in facetiis formula. Simo autem, se illud *novi* in quaestione Theuropidis potissimum respexisse, profitetur. Atque Theuropides quasi iocabundus illud arripiens, ait se modo peregre redisse. Unde Simo pariter iocans addit, se coenam ei solitam dare nequire, quia ipse sit vocatus. Atque ita de coena danda pergunt iocari, usque dum de seria re loqui incipit Theuropides. Sic mihi omnia videntur bene probeque cohaerere, ideoque Lambinum probo.

8. *etiam*, *allerdings;* intendit affirmationem. Nam *etiam* saepe aut continuationem aut intensionem habet.

9. *Novum*, sc. quaerebam an tibi aliquid contigerit. — *Unum* pleonastice, ut III, 2, 148. Amph. 2, 2, 73. Aul. 1, 2, 11. Epid. 3, 4, 17.

10. *Vae capiti tuo*, solemnis locutio in facetiis, quae a theatro ridebantur. Cf. Curc. 2, 3, 35. Ep. I, 1, 26. 68. III, 1, 15. Capt. 4, 2, 106. Merc. I, 2, 52.

13. *te*. Sic vett. et Both. — Vulg. *tu te*. Ven. *tu evocare*. Nam qui advenerat, vocabatur, non vocabat, ad coenam.

18. Vulg. et Vett. *quas sciam*. Ven. *quasi iam*. Both. *quod sciam*. Pal. *quasciam*. V. seq. vs.

20. *meo* habent vett. ignorant vulg. et Ven. Lacunam habet V. C.

Negóti gessit. ***Si.*** **Mécum ut ille hic gésserit,**
Dum tu híc abes, negóti? quidnam, aut quó die?
Th. **Minás tibi octogínta argenti débeo.**
Si. **Non míhi quidem hercle; vérum, si debés, cedo.**
Fidés servanda est. Ne íre inficias póstules.
Th. **Profécto non negábo debere, ét dabo.**
Tu cáve, quadraginta áccepisse hinc né neges.
Si. **Quaeso édepol, huc me adspécta et respondé mihi.**
Te vélle uxorem aiébat tuo nató dare:
Ideo aédificare hic vélle aiebat ín tuis.
Th. **Hic aédificare vólui?** ***Si.*** **Sic dixít mihi.**
Th. **Hei míhi, disperii! vócis non habeó satis!**
Vicíni, interii, périi! ***Si.*** **Numquid Tránio**
Turbávit? ***Th.*** **Imo éxturbavit ómnia.**
Delúdificatus ést me hodie indignís modis.
Si. **Quid tú ais?** ***Th.*** **Haec res síc est, ut narró tibi:**
Delúdificatust me hódie in perpetuúm modum.
Nunc te óbsecro, ut me béne iuves, operámque des.
Si. **Quid vís?** ***Th.*** **I mecum hac, óbsecro te, uná simul.**
Si. **Fiát.** ***Th.*** **Servorumque óperam et lora míhi cedo.**
Si. **Sume.** ***Th.*** **Eádem ego opera haéc tibi narrávero,**
Quis méd exemplis hódie [ille] ludificátus est.

ACTUS V. SCENA I.

TRANIO. THEUROPIDES.

Tr. **Quí homo timidus érit in rebus dúbiis, nauci nón erit;**

25. *ut ille hic* etc. Sensus: *Der soll hier in deiner Abwesenheit mit mir ein Geschäft geschlossen haben?* — *Negoti*, suppl. *quid*, nisi per attractionem malis referre ad sq. *quidnam?*

26. Ven. *hinc*, quod Both. — Vulg. *hic*. Cf. Amph. II, 2, 205.

31. Pro *ne neges* Lambinus mallit *te neges*, et recte, opinor. Verum Pall. *ne*.

32. Vett. *specta*.

37. Pro *vicini*, quod omnes habent, Both. ex Acid. *Vicine*.

39. Vulg. et vett. *Te ludificatus est et me hod.* At Veneta: *Si. Te ludificatus est? Te me h. i. m.* Ibi autem Theuropidis nomen scribitur *Te*. Hinc probabilis fit Bothii emendatio, quam sequor, nisi quod ille: *Deludificatust*, ut v. 41.

41. *in perpetuum modum*, ut nulla quasi sit restitutio in integrum. Eandem dictionem vide supra 3, 1, 5.

43. Sic vett. bene. Vulg. et Ven. *I mecum*, *obsecro*, *una simul*. Both. habet *te*, omittit *hac*, quod per sensum abesse non debet. Est enim δεικτικῶς pro: *domum tuam*. Nám eo abeunt.

45. Praetuli vett. *eadem ego*. Vulg. et Ven. *eademque*, uti et fere Pall. *Eadem opera* est i. q. *simul*. Cf. Bacch. I, 1, 15. III, 4, 26. Capt. 2, 3, 99. Amph. I, 1, 54. Merc. 5, 3, 46. Men. 2, 3, 78.

46. *ille* post *hodie* deest in Ven. habent vulg. et vett., atque, si praeplacuerit recipere, monosyllabum in scansione esse meminerit lector. Pall. tamen: *hodie eludificatust*. — *Quis exemplis*, quibus exemplis.

Act. V. Sc. I. Tranio procedit sibi timens, et herum senem exspectans. Exit Theuropides ex Simonis, et allocutus Tranionem postquam dixit, negare Simonem de venditione domus, se velle ait servos eius testes evocare. Quod valde approbans Tranio, interim in aram confugit. A qua dum eum abstrahere cupit Theuropides, ille autem senem ludificatur, ecce advenit Callidamates, quem patronum sibi arbitrumque Tranio optat.

(Átque equidem, quid id ésse dicam verbum, nauci, néscio.)
Nám herus me postquám rus misit, filium ut suom arcésserem:
Ábii illa per ángiportum ad hórtum nostrum clánculum.
Óstium quod in ángiportu est hórti, patefecí fores;
Éaque eduxi omném legionem, ét mares et féminas.
Póstquam ex obsidióne in tutum edúxi maniplarés meos:
Cápio consilium, út senatum cóngerronum cónvocem;
Quém quum convocávi, atque illi me é senatu ségregant.
Úbi egomet videó, vorti rem in meó foro: quantúm potest
Fácio idem, quod plúrimi alii, quíbus res timida aut túrbida est:
Pérgunt turbare úsque, ut ne quid póssit conquiéscere.
Nám scio equidem, núllo pacto iam ésse posse clám senem.
Séd quid hoc est, quod fóris concrepuit próxuma vicínia?
Hérus meus hic quidem ést. Gustare ego éius sermoném volo.
Th. Íllico intra límen adstate íllic: ut, quum extempló vocem,
Cóntinuo exsiliátis. Manicas céleriter connéctite.
Égo illum ante aedes praéstolabor lúdificatorém meum,
Quóius ego hic lúdificabo córium, si vivó, probe.
Tr. Rés palam est. Nunc té videre méliust, quid agas, Tránio.
Th. Dócte atque astuté captandum est cum ílloc, ubi huc advénerit.
Nón ego illi extempló meum ostendam sénsum: mittam líneam;
Dissimulabo, me hórum quidquam scíre. *Tr.* O mortalém malum!
Áliter hóc Athénis nemo dóctior dicí potest.
Vérba dare illi nón magis hodie quísquam, quam lapidí, potest.
Ádgrediar hominem; áppellabo. *Th.* Núnc ego ille huc veniát velim.
Tr. Sí quidem pol me quaéris, adsum praésens praesentí tibi.

2. Hic vs. quasi per parenthesin dictus esse aestimari debet. De verbo *nauci* cf. Bacch. V, 1, 16. Truc. 2, 7, 61. Festus ait, naucum alios dicere esse id, quod inest in oleae nuce, alios, in universum esse quodvis putamen, alios, fabae granum, alios, nucis iuglandis dissaepimentum. Atque fabae granum esse et dicit Charisius. Sed vel ex ipso hoc loco nostro apparet, iam Plauti tempore incertam fuisse verbi significationem.

3. *Nam* facit transitum ad narrationem. — Omnes: *ut filium suum arc.* Nostr. Both.

5. *Ostium*, elegantissima attractione pro genitivo *Ostii.* Constructio plena est: Patefeci fores ostii, quod ostium est horti nostri in angiportu. Perperam cepit Bothius, qui verba *Ostium* — *est* parenthesi includit. — Similes attractiones saepius obviam; ut illa Amp. IV, 1, 1. *Naucratem quem convenire volui, in navi non erat.*

8. *congerronum*, conservorum.

9. *segregant*, abigunt me a se, quia vident futurum ut poenas dem; ne ipsi quoque incurrant. — *atque* hic aperte est i. q. statim. V. ind.

10. Sic plane Veneta. — Vulg. et Vett. *Ubi ego video*, *rem vorti.* Sensus: in eo rem verti, ut iudicium mihi sit subeundum.

12. Pro *possit* Ven. *sit*, uti Pall.

16. Pro vulg. *intra* Ven. *contra*, quod praeferendum videtur. Nam *Illico* elisa media vocali enunciari potest, ut saepius faciendum.

21. Vulg. et vett. et Ven. *mihi* addunt ante *captandum;* quod retineri possit, si legas *astu.* Captandum i. q. agendum, sumtum a piscando, quo et pertinet seq. *mittam lineam.* Alii de re gladiatoria int. *cum illoc*, sc. Tranione. Verba *cum illoc* in vett. desunt. Ven. *cum illo.*

22. Post *extemplo* Vulg. Pall. et Ven. addunt *ita*, quod bene omittunt vett. — *mittam lineam.* Linea est linum piscatorium, quo affixus est hamus. *mittam*, demittam, simplex pro composito.

23. *malum*, astutum, fallaciarum plenum.

Th. Eúge, Tranió, quid agitur? *Tr.* Véniunt ruri rústici;
Phílolaches iam hic áderit. *Th.* Edepol míhi opportune ádvenit.
Nóstrum ego hunc vicínum opinor ésse hominem audacem ét malum.
Tr. Quídum? *Th.* Qui negát novisse vós. *Tr.* Negat? *Th.* Nec vós sibi
Númum unquam argentí dedisse. *Tr.* Abi, lúdis me, credo. Haúd negat.
[*Th.* Quíd iam? *Tr.* Scio, iocáris nunc tu: nám ille quidem haúd negat.]
Th. Ímo edepol negát profecto; néque se has aedis Phílolachi
Véndidisse. *Tr.* Eho, án negavit, síbi datum argentum, óbsecro?
Th. Quín iusiurandúm pollicitus 'st dáre se, si vellém, mihi,
Néque se hasce aedis véndidisse, néque sibi esse argentúm datum.
Díxi ego istuc idem ílli. *Tr.* Quid ait? *Th.* Sérvos pollicitúst dare
Súos mihi omnes quaéstioni. *Tr.* Núgas! nunquam edepól dabit.
Th. Dát profecto. *Tr.* Quín et illum in iús iube ire. *Th.* Iám mane:
Éxperiar, ut opínor; certum est míhi. *Tr.* Mihi huc hominém cedo!
Th. Quíd, si igitur ego arcéssam homines? *Tr.* Fáctum iam esse opórtuit.
Vél hominem iube máncupio aedes pósci. *Th.* Imo hoc primúm volo:
Quaéstioni accípere servos. *Tr.* Fáciundum edepol cénseo.
Égo interim hanc aram óccupabo. *Th.* Quíd ita? *Tr.* Nullam rém sapis:
Né enim illi huc confúgere possint, quaéstioni quós dabit,
Híc ego tibi praésidebo: ne ínterbitat quaéstio.
Th. Súrge. *Tr.* Minime. *Th.* Ne óccupassis, óbsecro, aram. *Tr.* Cúr? *Th.* Scies:
Quía enim id maxumé volo, ut illi ístoc confugiánt. Sine:
Tánto apud iudicem húnc argenti cóndemnabo fácilius.
Tr. Quód agis, id agas. Quíd tu porro sérere vis negótium?

25. *lapidi*, i. e. rei stolidissimae. Sic docto itidem opponitur Merc. 3, 4, 47.

31. Negare Simo vix potuit, quod hic negasse dicitur. Cf. III, 2, 29. sqq. Probe enim noverat.

33. Abest hic versus in Veneta, legitur in vulg. et vett. atque spurius videtur.

36. Post *dare* inserui *se*, quod deest in libris, quoque omisso mancus fit versus. Facile autem exciderit propter sequens *si*.

37. *esse* addunt vett. hic, Ven. et Pall. in fine, omittit vulg.

40. Veneta: *quin et illum in ius inveniam. mane.* Nostr. vulg. et vett.

41. Ven. *certum est mihi. Tr. hominem cedo.* Vett. *certum est. Tr. Mihi huc hominem cedo.* Item vulg. nisi quod ea ignorat v. *huc*. Apparet *mihi* dupliciter esse ponendum.

42. Hunc vs. Bothius ante 45 collocatum habet.

43. Vulg. et Ven. *iube aedes manc. poscere.* Vett. *Vel iube aedes mancupi poscere. Th. immo primum volo qu.* Nostr. Both. ex Dousa, Cent. p. 312. Sensus: iube eum posci, ut tibi aedes ab illo mancupii tradantur, h. e. proprietariae.

49. Vulg. vett. *Quia id enim.* Nostr. Ven.

51. Omnes: *vis serere.*

Néscis tu, quam méticulosa rés sit, ire ad iúdicem.
Th. Súrgedum huc: est cónsulere igitur quíddam quod tecúm volo.
Tr. Síc tamen hinc consílium dedero: nímio plus sapió sedens.
Túm consilia fírmiora súnt de diviníe locis.
Th. Súrge! ne nugáre! adspicedum cóntra me! *Tr.* Adspexí.
Th. Vides?
Tr. Vídeo, huc si quis íntercedat tértius, pereát fame.
Th. Quídum? *Tr.* Quia nihíl quaesti sit: quía mali hercle ambó sumus.
Th. Périi! *Tr.* Quid tibi ést? *Th.* Dedisti vérba. *Tr.* Quí tandém? *Th.* Probe
Méd emunxti. *Tr.* Víde, sis, satine récte: num muccí fluont?
Th. Ímo etiam cerebrúm quoque omnem e cápite emunxistí meum.
Nam ómnia malefácta vostra réperi radícitus;
Nón radicitús quidem hercle, vérum etiam eradícitus.
Núnquam edepol hoc hódie inultus déstinaverís. Tibi
Iám iubebo ignem ét sarmenta, cárnufex, circúmdari.
Tr. Né faxis: nam elíxus esse, quam ássus, soleo suávior.
Th. Éxempla edepol fáciam ego in te. *Tr.* Quía placeo, exemplum éxpetis.
Th. Lóquere: quoiusmodí reliqui, quom hínc abibam, fílium?
Tr. Cúm pedibus, manibús, cum digitis, aúribus, oculís, labris.
Th. Aliud te rogo. *Tr.* Áliud ergo núnc tibi respóndeo.
Séd eccum tui gnatí sodalem vídeod huc incedere,
Cállidamatem: illó praesente mécum agito, si quíd voles.

ACTUS V. SCENA II.

CALLIDAMATES. THEUROPIDES. TRANIO.

Ca. Úbi somnum sepelívi omnem, omnemque édormivi crápulam,

53. Omnes *huc*. Both. *hinc*.

57. Unam puto esse constructionem, sed mutatam in fine, ut pro infinitivo futuri posuerit definitivum. Sensus: Video nos duos esse astutissimos (*malos* vs. 59.) homines, adeo ut, si accedat tertius aliquis, nihil possit lucri facere prae nostra astutia.

58. Addidi alterum *quia*. Pro *sit* Vulg. et vett. *siet*. Both. *Quia enim quaesti nil siet: mali hercle a. s.* Sed causalis coni. non videtur abesse posse.

61. Vett. vulg. *meum*. Veneta: *herum*. Both. *meo*. Vett. *emunxisti*. Vulg. et Ven. *emunxti*.

64. Vulg. et vett. *Nunquam ed. hodie inultus destinaverim tibi*. Ven. *N. e. h. invitus destinavit tibi*. Mpti et hoc et alii: *destinant*. Legendum aut quod nos dedimus, aut ut *tibi* ad praecedentia trahatur, pleonastice. *inultus* i. e. q. impunitus.

65. Pro *iubebo*, quod vulg. et vett., Ven. *iubeo*. — Ven. et Vett. *sarmenta*. Vulg. et V. C. *sarmen*.

71. Ven. *video hic cedere*. Nostr. Vulg. et vett. cui addidit Both. *d* paragogicam.

Act. V. Sc. II. Callidamates primum pro Philolache, deinde et pro Tranione veniam et petit et impetrat.

1. Veneta: *Ubi somnum sepelivi omnemque obdormivi crapulam*. Vett. *sepelivi omnem, atque edormivi cr.* Vulg. *s. omnem, atque obdormivi cr.* ut et Bothius; quod tamen ferri nequit. Nam *obdormire* est incipere dormire. Deinde non credo statim primo versu hiatum esse admissum a poeta. Recipio igitur *edormivi* e vett. et ex Ven. *omnemque*, ita tamen, ut repetitum ponam *omnem*, uti crebro faciendum. Quod quin recte fecerim, neminem puto iustum aestimatorem dubitaturum. De v. *edor-*

Phílolaches venísse mihi narrávit suum peregre húc patrem,
Quóque modo hominem ádvenientem sérvos ludificátus sit;
Áit, sese metúere in conspectum íllius occédere.
Núnc ego de sodálitate sólus sum oratór datus,
Qui á patre eius cónciliarem pácem. Atque eccum óptume.
Iúbeo te salvére, et, salvus quom ádvenis, Theurópides,
Péregre, gaudeo. Hic apud nos hódie coenes. Síc face.
Th. Cállidamate, dí te ament. De coéna facio grátiam.
Ca. Quín venis? *Tr.* Promítte: ego ibo pró te, si tibi nón libet.
Th. Vérbero, etiam irrídes? *Tr.* Quian' me pró te ire ad coenam aútumo?
Th. Nón enim ibis: égo ferare fáxo, ut meruisti, ín crucem.
Tr. Áge, mitte istaec, ét me ad coenam díc iturum. Quíd taces?
Ca. Séd tu istuc quid cónfugisti in áram, inscitíssumus?
Tr. Ádveniens pertérruit me. — Lóquere nunc, quid fécerim.
Núnc utrisque dísceptator, éccum, adest: age, díspnta.
Th. Fílium corrúpisse aio té meum. *Tr.* Auscultá modo.
Fáteor peccavísse; amicam líberasse; absénte te
Foénori argentúm sumsisse; id ésse absumtum praédico.
Númquid aliud fécit, nisi quod [faciunt] súmmis gnati géneribus?
Th. Hércle mihi tecúm cavendum est: nímis quam es oratór catus.
Ca. Síne me dum istuc iúdicare. Súrge: ego isti adsédero.
Th. Máxume. Accípito hanc ad te lítem. *Tr.* Enim istaec cáptio est.
Fác, ego ne metuam, ígitur, et tu út meam timeás vicem.
Th. Iám minoris ómnia fació, prae quam quibus mé modis
Lúdificatus ést. *Tr.* Bene hercle fáctum, et factum gaúdeo.

mire cf Amph. 2, 2, 73. Ter. Adelph. 5, 2, 11. Cic. Philipp. II, 12.

2. Vulg. et Pall. *Phil. ven. mihi suum peregre huc patrem*, omisso verbo finito. Vett. *narravit* addunt post *suum*, ego praeposui. Bothius *dixit* post *venisse*. Ignoravit enim, ut videtur, lectionem vett.

4. Veneta: *Aut se metuere in conspectu accedere*. Ex quibus patet locum corruptum. Nostr. vulg. — Vett. *procedere*. Verbum *occedere* cf. Stich. 5, 2, 24.

8. Veneta: *coenes. Th. sic tale Call. te di am.* atque sic scripti. Vulg. *Th. Sic talem.* Vett. *coenes. T. salve et tu.* Lamb. *coenes, te rogo.* Nostr. Both. ex Scioppio, Susp. lectt. p. 11.

11. Ven. *Quin me.* Vett. *Qui me.*

13. Vulg. *Ca. Age, mitte ista, et ito ad me ad coenam. Tr. Dic venturum. Quid taces?* Vett. *Age mitto ista, et ito ad me ad coenam. Tr. dic iturum. quid taces?* Veneta autem sub Tranionis persona: *Age mitte ista haec et me ad coenam dic iturum. quid taces?* Both. *Age, mitte ista atque ito ad coenam.* reliqua ut vulg. Praeclare, opinor, Veneta. Pall. ut vulg.

14. Ven. *Sed tu istic.* Vulg. et vett. *istuc.*

16. Ven. et Pall. *utrisque.* Vulg. et vett. *utriusque.*

18. Omnes: *peccavisse*, quod Acid. voluit mutari in *potavisse*, Bothiusque mutavit.

20. Omnes: *Numquid aliud fecit, n. q. faciunt s. g. g.* Bothius omisit *aliud.*

21. Sic vulg. — Veneta et Pall. *Nimis quis orator catus.* Vett. *Nimis orator clues catus.*

23. Omnes: *enim istic captio est.* Nostr. Both. ex Pal.

24. Vulg. et vett. *et ut tu.* Ven. *et tu m.* omisso *igitur.*

25. Versus corruptus in Veneta: *Iam minori scio praedum. Th. quibus modis Me ludificatus est.* Vulg. *prae quam quibus modis Me l. e.* ut et vett. In Pall. lacuna: *Iam minoris........cio praequam q. m.*

Sápere istac aetáte oportet, quí sunt capite cándido.
Th. Quíd ego nunc faciám, si amicus Démipho aut Philónides...,
Tr. Dícito iis, quo pácto tuos te sérvos ludificáverit:
Óptumas frustrátiones déderis in comoédiis.
Ca. Táce parumper: síne vicissim mé loqui. — Auscultá.
Th. Licet.
Ca. Ómnium primúm sodalem me ésse scis gnató tuo.
Is adiit me: nam íllum prodire púdet in conspectúm tuum
Própterea, quae fécit, quia te scíre scit. Nunc te óbsecro,
Stúltitiae adulescéntiaeque éius ignoscás. Tuust;
Scís, solere illánc aetatem táli ludo lúdere;
Quídquid fecit, nóbiscum una fécit; nos delíquimus:
Foénus, sortem, súmtumque omnem, quí amica [emta] est, ómnia
Nós dabimus, nos cónferemus, nóstro sumtu, nón tuo.
Th. Nón potuit veníre orator mágis ad me impetrábilis,
Quám tu: neque illi súmd iratus, néque quidquam succénseo;
Ímo me praesénte amato, bíbito, facito quód lubet.
Si hóc pudet, fecísse sumtum, súpplicii habeó satis.
Ca. Díspudet. *Tr.* Dat ístam veniam. Quíd me fiet núnc iam?
Th. Vérberibus, lutúm, caedere péndens! *Tr.* Tamenetsí pudet?
Th. Ínterimam hercle te égo, si vivo! *Ca.* Fác istam cunctam grátiam:
Tránioni remítte, quaeso, hanc nóxiam causá mea.
Th. Áliud quidvis ímpetrari a mé facilius pérferam,
Quam út non ego istum pró suis factis péssumis pessúm premam.
Ca. Mítte istunc, quaeso. *Tr.* Mítte tu me. *Th.* Hem, víden', ut restat fúrcifer?

28. Veneta cum mptis: *Delphilo aut philomontes.* Both. *Diphilus aut Ph.* Sensus: Quid ego dicam Demiphoni aut Philonidi amicis, si illi quaerent ex me, quid factum meae sit domi?

30. Sensus: Narratione tua exhibueris optimas frustrationes, quas possint adhibere poetae in comoediis. Frustrationes sunt senum deceptiones, aut lenonum aliorumque.

38. Vulg. Pall. et Ven. *qui amica est.* Vett. *quanti amica est.* Cf. III, 1, 6. *Danista adest, qui amica est emta, qui dedit.* — *Qui* i. o. q. quo sc. argento.

40. *impetrabilis*, qui magis impetrare posset. Similis v. Ep. 4, 2, 8. 36. Bacch. 4, 2, 3. Mil. 2, 6, 63.

41. Apparet *sumd* aut *sumde* legendum esse. Bothius ante *illi* addiderat *iam*.

44. Veneta et Pall. *Tr. Dispudet istam veniam: quid me fiet nunc iam.* Vett. *Ca. Dispudet istam veniam. Tr. Qu.* Nostr. vulg. — Both. *Ca. Dispudet. Th. Dabo istam v. Tr. Qu.* etc.

45. Veneta: *Verberibus cedere lutum pendens: tam et si pudet Interimam hercle.* Vett. *Verberibus caedere dudum pendens, tametsi me pudet, Interimam hercle ego, sivivo.* Vulg. *caedere, lutum*, uti Pall.

46. Cum Bothio addidi *te*.

47. In v. *Tranioni* elidenda *i* media. Nihil opus mutatione in *Tranio*, quod Bothius fecit.

50. Veneta: *Tr. Mitte quaeso tu me. Th. Viden' ut restat furcifer?* Vulg. et vett. *Ca. Mitte quaeso istunc. Th. Hem, viden' ut r. f.* Both. *Tr. Mitte, quaeso, sis, tu med. Th. Hem, v., ut r. f.* Lamb. mallt: *hem, se viden' ut iactat furcifer?* Tranionem aliquid obloqui, prodit ex versu seq., atque v. *restat* necessario debet accipi pro: resistere. Cf. not. ad Amph. 3, 2, 3. Sic Prop. 3, 8, 31. *Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector.* Ter. Heaut. 5, 3, 6. *In qua re nunc tam confidenter restas stulta?* — Pal. *mitteque sis tu me.* Ego ex vulgata et Veneta versum consarcinavi.

Ca. Tránio, quiésce, si sapis. *Th.* Tú quiesce hanc rém modo
Pétere; ego illum verbéribus, ut quiétus sit, subégero.
Ca. Níhil opus est profécto. Age iam, síne ted exorárier.
Th. Nólo ores. *Ca.* Quaeso hércle. *Th.* Nolo, inquam, óres.
Ca. Nequidquám nevis:
Hánc modo unam nóxae veniam, quaéso, fac causá mea.
Tr. Quíd gravaris? Quási non cras iam cómmeream aliam nóxiam:
Íbi utrumque, et hóc et illud, póteris ulciscí probe.
Ca. Síne te exorem. *Th.* Age, hábe; abi impune! Hem, húic habeto grátiam.
Spéctatores, fábula haec est ácta: vos plausúm date.

55. Vulg. et vett. *Hanc modo unam noxiam, unam, quaeso, fac causa mea.* Ven. *quaeso hanc c. m.* Nostr. Both. Cf. 44.

56. Sic vulg. — Vett. *Q. gr., quasi gratiam non commeream? si aliam noxiam.*

58. *habe* ex vett. et Ven. dedi. Vulg. *abi, abi, imp.*

METRORUM IN MOSTELLARIA

DESCRIPTIO.

Act. I. Sc. I. senarii iambici.
Act. I. Sc. II. v. 1 — 6 bacch. tetr.
v. 7 et 15. 19. 42. 44. dimetri iamb. catal.
v. 8 — 14 et 16 — 18 bacchiaci.
v. 20 tetr. iamb. acat.
v. 22, 23 cretici tetr.
v. 24 tetr. iamb. acat.
v. 25 — 31 tetr. cretici.
v. 32, 33 trochaici tetr. cat.
v. 34 — 36 iamb. tetr. acat.
v. 37 — 41, 43 bacchiaci.
v. 45 iamb. tetr. acat.
v. 46 dipodia iamb.
v. 47 — 50 tetr. iamb. acatal.
v. 51 — 58 cretici tetr., uno catal. 57.
v. 59 tetr. iamb. acat.
v. 60 creticus tetr.
v. 61, 62 troch. tetr. catal.
v. 63, 64 tetr. iamb. acat.
v. 65 — 68 cretici tetr.
v. 69 — 71 troch. tetr. catal.
Act. I. Sc. III. v. 1 — 90 iambici tetrametri catal.
v. 91 — 154 troch. tetr. catal.
Act. I. Sc. IV. 1 — 4 bacchiaci, uno (3) et in fine et medio pede imminuto.
v. 5 — 32 cretici, intermixtis catalecticis.
v. 33 — 38 dipodiae creticae, partim catal.
Act. II. Sc. I. v. 1 — 60 tetr. troch. catal.
v. 61 — 82 senarii iamb.
Act. II. Sc. II. et Act. III. Sc. I. senarii iamb.
Act. III. Sc. II. v. 1 — 37 cretici tetr. partim catal.
v. 38 dipodia cret. catal.
v. 39 senar. iamb.
v. 40 — 47 cretici tetr.
v. 48 dipodia cret.
v. 49 — 59 cret. tetr.
v. 60 — 95 senarii iamb.
v. 96 — 118 bacchiaci tetr. interposita dipodia catal. 117.
v. 119 — 172 tetr. troch. catal.
Act. IV. Sc. I. v. 1. bacch. tripodia catal.
v. 2 dipodia bacch. catal.
v. 3 dipod. cret. cum choriambo.
v. 4, 5 cretici monom. cum choriambis.
v. 6 dipod. cret. cum choriambo.
v. 7 anapaest. tetr.
v. 8 anapaestus.
v. 9 dipod. bacch. hyperm.
v. 10 dochmiacus.

v. 11 bacch. tetr. catal.
v. 12 trispondaeus.
v. 13 dochmiacus.
v. 14, 15 anapaestici cum iambis.
v. 16 — 18 cretici tetr.
v. 19 bacchiac. tetr.
v. 20 — 21 cretici.
v. 22, 23 dochmiaci.
v. 24 creticus cum anacrusi.
v. 25 bacchiacus.
v. 26 — 28 dochmiaci.
v. 29 — 31 dipodiae anapaest.
v. 32 troch. tetr. catal.
v. 33 — 35 cretici.
v. 36, 37 troch. tetr. catal.
v. 38, 39 tetr. iamb. acat.
v. 40 — 43 anap. dimetri.
v. 44 bacchiac. tetr.
v. 45 creticus cum anacrusi.
v. 46, 47 troch. dimetri catal.
v. 48 — 52 troch. tetr. partim pleni, partim catal. partim etiam imminuti.
v. 53 — 57 dimetri anap. cum iambis.
v. 58 troch. tetr. catal.
Act. IV. Sc. II. tetr. troch. catal.
Act. IV. Sc. III. tetr. troch. catal.
Act. IV. Sc. IV. senar. iamb.
Act. V. troch. tetr. catal.

PERSA.

DRAMATIS PERSONAE.

TOXILUS, servus.
SAGARISTIO, servus alius heri.
SATURIO, parasitus.
SOPHOCLIDISCA, subserva Lemniselenae.
LEMNISELENE, meretrix, amica Toxili.
PAEGNIUM, puer.
VIRGO, filia Saturionis.
DORDALUS, leno.

SUMMARIUM.

Toxilus servus, absente hero suo, cupit ab lenone Dordalo amicam suam Lemniselenem emere. Petit igitur ab sodali suo Sagaristione, ut ille sibi mutuam praebeat pecuniam. Ipse autem viam invenit lenonis decipiendi. Subornat parasitum Saturionem, ut is filiam suam lenoni, tamquam captivam e Persia adductam, per Sagaristionem vendi patiatur, postea vindicaturus. Idque eo consilio, ut argentum ab lenone recipiat, quod dandum foret pro Lemniselene.

Inter haec Lemniselene subservam suam Sophoclidiscam cum epistola mittit ad Toxilum; isque item Paegnium puerum cum mandatis ad Lemniselenem. Sagaristio autem, pecuniam nactus ab hero, a quo iussus erat boves in mercatu emere, eam pecuniam Toxilo tradit. Is igitur illa redimit amicam ab lenone. Tum vero Sagaristio, tamquam Persa Persico ornatu indutus, adducit Virginem, tamquam captivam e Persia missam. Eam emit leno. Paullo post accedit Saturio, filiamque asserit. Epulantur servi, lenonemque deludunt.

(Metra negligentius in hac fabula a poeta servata reperiuntur. — Scena Athenis.)

ARGUMENTUM.

Profécto domino súos amores Tóxilus
Emit, átque curat, léno ut emittát manu;
Raptámque ut emeret dé praedone virginem,
Subórnata suadét [sui] parasiti filia,
Atque intricatum lúdit potans Dórdalum.

ACTUS I. SCENA I.

TOXILUS SAGARISTIO.

To. Qui amáns egens ingréssus est princéps in amorís vias,
Superávit aerumnís suis [omnés] aerumnas Hérculis.
Nam cúm leone et cum éxcetra, cum cérvo, cum apro Aetólico,
Cum avibús Stymphalicís, cum Antaeo, déluctari mávelim,
Quam cúm amore. Ita fió miser quaeréndo argento mútuo;
Nec quídquam nisi „Non ést", sciunt mihi résponderc, quós rogo.
Sa. Qui heró suo servíre volt bene sérvos servitútem,
Nae illum édepol multa in péctore suo cóllocare opórtet,
Quae heró placere cénseat praeséntí atque absentí suo.
Ego néc lubenter sérvio, nec sátis sum hero ex senténtia;
Sed, quási lippo oculo, me hérus meus manum ábstinere haud quít tamen,

Argum. v. 3. Constructio est: Et, subornata parasiti filia, suadet lenoni, ut emat eam, tamquam sit virgo rapta a praedone ac deinde de eo emta. Sequor vulg. — Vett. *Raptamque ut is emat de pr. v. Subornatam — filiam.* Pall. *filia.* Veneta: *Raptamque vi emeret — Subornatam — virginem.*

4. Omnes: *sui.*

Act. I. Sc. I. Toxilus servus prodit, de penuria sua conquerens. Vult enim amicam suam Lemniselenem liberare. Petit a Sagaristione, item servo, sed alius domini, ut sibi potestatem faciat pecuniae. Is operam suam ei promittit; disceduntque uterque, capto consilio, ut aliquid excogitent, quod ad rem faciat.

1. Restitui lectionem codicum: *in amoris vias*, pro qua Bothius dederat *amoris in vias*. Verum haud pauci extant loci, in quibus *amare* producitur. Cf. Epid. 2, 2, 32. Pseud. 3, 1, 7. Merc. 1, 1, 4. Cas. 3, 3, 2. al. Quare quoniam in Persa omnino negligentius rhythmi servantur, abstinendum duxi a mutatione. — *princeps* interpretor: qui primus ausus est, quum pauper esset, amare. Sed fortasse legendum *praeceps*, uti et quidam habent. Verum Pall. *princeps*.

2. Vulg. et vett. *Sup. aerumnis is suis aerumnas Herculis.* Veneta item, omisso tamen *is*. Bothius: *S. aer. suis aer. Herculaneas.* Addidi *omnes*.

8. Edd. *Nae edepol illum.* Nostr. Both.

11. Vett. post *herus meus* addunt: *utitur*, quod deest in vulg. et Ven. — Lippi qui sunt, non possunt abstinere quin crebro manum ad oculum admoveant. Veneta: *manu*. Vulg. et vett. *manum*. — *me* i. e. q. *a me*. Constr. Sed herus tamen a me manum nequit abstinere, quasi a lippo oculo, i. e. nequit me carere. Plane simile legitur Bacch. IV, 7, 72 sqq.

Quin mi ímperet, quin mé suis negótiis praefúlciat.
To. Quís illic est, qui cóntra me adstat? *Sa.* Quís hic est, qui contrá med adstat?
To. Símilis est Sagarístionis. *Sa.* Tóxilus hic quidem méus amicust.
To. Is ést profecto. *Sa.* Eum ésse opinor. *To.* Cóngrediar. *Sa.* Aggrédiar contra.
To. Ó Sagaristió, di ament te. *Sa.* O Tóxile, dabunt dí, quae exoptes.
Út vales? *To.* Út queo. *Sa.* Quíd agitur? *To.* Vívitur.
Sa. Sátin' ergo ex senténtia? *To.* Si evéniunt, quae exoptó: satis.
Sa. Nimis stúlte amicis útere. *To.* Quid iam? *Sa.* Quia ímperare opórtet.
To. Mihi quídem tu iam eras mórtuus, quia té non visitávi.
Sa. Negótium edepol .... *To.* Férreum fortásse? *Sa.* Pluscúlum ánnum
Fui praéferratus ápud molas tribúnus vapuláris.
To. Vetus iam ístaec militia ést tua. *Sa.* Satin' tu úsque valuisti? *To.* Haúd probe.
Sa. Ergo édepol palles. *To.* Saúcius factús sum in Veneris proélio;
Sagittá cupido cór meum transfíxit. *Sa.* Iam servi híc amant?
To. Quíd ergo [faciam]? dixne advórser? quasi Titáni, cum dis bélligerem,
Quíbus sat esse nón queam?
Sa. Víde modo, uimeaé catapultae túum ne transfigánt latus.
To. Básilice agito Eleútheria.
Sa. Quid iám?
To. Quia herús peregre est. *Sa.* Ain tú? peregre est?
To. Si túte tibi bene ésse potes patí: veni: vives mécum:
Básilico accipiére victu. *Sa.* Váh, iam scapulae prúriunt,
Quia te ístaec audiví loqui. *To.* Sed hóc med unum excrúciat...
Sa. Quid[nam id] ést? *To.* Haec dies summa hódie est, mea amíca sitne líbera,
An sémpiternam sérvitutem sérviat. *Sa.* Quid núnc vis ergo?
To. Fácere amicum tíbi me potis es sémpiternum. *Sa.* Quémadmodum?

15. Omnes edd.: *contra aggrediar.* Quod si retinere malis, legendum ante: *congredibor.* Ceterum Pall. *contra adgredior.*

17. Interpositus iocose et exsultanter creticus tetrameter.

19. Omnes edd.: *Quia iam imperare oportet.* Bothius abiecit *Quia iam.* Retinui tamen *Quia*, quod, ut saepius, totum elidendum.

20. *non visitavi*, quia diu est, quod te non vidi; quia non crebro, ut solebam antehac, te vidi per integrum annum.

21. *ferreum*, h. e. in quo catenae essent gerendae, sc. in pistrino. Cf. Asin. 1, 1, 21. Trin. 4, 3, 14. Most. 1, 1, 18. Bacch. 4, 5, 11. — *Plusculum annum* dubio procul i. q. paullo longius anno.

22. *praeferratus*, i. e. vinctus. Exspectari autem potuit: *praefectus*.

25. *Sagitta* correptim puto pronunciandum, uti multa in Plauto, et ut Trin. II, 1, 20. *E'xtemplo sáviis sagittátis percússus est*, versu cretico.

26. Omnes: *Quid ergo faciam?* Haud uno autem in loco *ergo* venit corripiendum, uti et alia, v. c. *obsecro*, *inter*, *inde* etc. Cf. II, 2, 3.

35. Vulg. vett. Ven. *Quidnam id est?* — Ad *dies summa est* suppl. *qua decernetur.*

To. Út mihi des numós sexcentos, quós pro capite illius pendam,
Quós continuo tíbi reponam ín hoc triduo aút quatriduo.
Age, fí benignus, súbveni.
Sa. Qua cónfidentiá rogare tu á med argentúm tantum audes,
Ímpudens? Quia, si égomet totus véneam, vix récipi potis est,
Quód tu me rogás: nam tu aquam a púmice nunc póstulas;
Qui ípsus sitiat. *To.* Sícine hoc te mihi fácere? *Sa.* Quid faciám? *To.* Rogas?
Alicúnde exora mútuum. *Sa.* Tu fác idem, quod rogás me.
To. Quaesívi; nusquam réperi. *Sa.* Quaeram équidem, si quis crédat.
To. Nempe hábeo in mundo? *Sa.* Si íd domi esset míhi, iam pollicérer.
Hoc meum ést, ut faciam sédulo. *To.* Quidquíd erit, recipe te ád me.
Sa. Quaeré tamen: ego item sédulo. Si quíd erit, faxo iam út scias.
To. Obsecró, resecro te, operám da hanc mihi fidélem! *Sa.* Ah, odio me énicas!
To. Amóris vitio, nón meo, nunc tíbi morologus fío.
Sa. At pól ego abs te concéssero. *To.* Iamne ábis? Bene ambuláto.
Sed récipe te, quantúm potes! cave fúas mihi in quaestióne:
Usque éro domi, dum excóxero lenoní malum.

ACTUS I. SCENA II.

SATURIO.

Veterem átque antiquom quaéstum maiorúm meûm

39. Omnes: *in hoc triduo aut quatriduo*. Both. tamen omittit praep. *in*, et versum catalecticum habet, ut syllabae *tri* sint producendae. Atqui ese alibi corripiuntur, ut et *Postriduo* Mil. 4, 2, 92.

40. *fi benignus.* Sic vulg. At vett. cum V. C. *si ben.* et Veneta: *Age sis benignus: subveni*, uti Decurt.

42. Vulg. et vett. *potessit*. Ven. et Pall. *potis est*.

43. Vett. *e pumice*.

44. Ven. et Pall. *rogas*. Vulg. *rogasne?* ut et vett.

46. *si quis credat*, h. e. an quis credat.

47. *Nempe habeo in mundo?* nempe igitur mihi paratum est? sc. argentum. Mundus est ornatus muliebris, imprimis linteus. Cf. Lucret. VI, 107. ubi *patuli mundi* sunt lintea expansa super aquam. Ubi autem mulieres in mundo sunt, paratae sunt ad foras eundum. Hinc locutio proverbialis saepe obvia. Cas. 3, 3, 3. As. 2, 1, 16. Ep. 5, 1, 12. Hallucinatus est Restius, dum obloquitur huic certissimae interpretationi.

48. *Quidquid* etc. h. e. si quid erit, statim tu ad me revertere.

49. Sic vett. — Vulg. *faciam ut scias*. Ven. *iam ut scias*, omisso *faxo*, uti et Pall.

50. Omnes: *Obsecro te*, *resecro*. De dictione cf. Aul. 4, 7, 2 et 3. Sensus: Etiam atque etiam te obsecro. Ceterum vox *Obsecro* et alibi correpta legitur. Bacch. 5, 2, 55. Rud. 1, 5, 27. IV, 3, 104. Pseud. 1, 1, 127. IV, 6, 11.

53. Omnes *te* addunt; id quod tamen versus nequaquam pati videtur posse, si legas *quamprimum*, quod omnes habent. Igitur aut *te* erit expellendum, aut leg. *quantum potest* ut I, 3, 62 et ut centies obvium. *te* omissum in simili re v. Aul. 4, 4, 33. Merc. 2, 4, 30.

Act. I. *Sc.* II. Philosophatur de quadruplatoribus parasitus, ad Toxilum introiturus.

1. V. C. *quaestum mali* *** cum lacuna. At Decurt. et Veneta: *Veterem*

Servo átque obtineo et mágna cum curá colo.
Nam núnquam quisquam meórum maiorúm fuit,
Quin párasitando páverint ventrés suos;
Patér, avos, proavos, ábavos, atavos, trítavos,
Quasi múres, semper édere alienúm cibum,
Neque edácitate eos quísquam poterat víncere.
His cógnomentum erat dúris Capitónibus.
Unde húnc ego quaestum obtíneo et maiorúm locum;
Neque quádruplari-mé volo: neque ením decet
Sine méo periclo ire áliena ereptúm bona;
Neque illí, qui faciunt, míhi placent: plané loquor.
Nam públicae rei caúsa quicunque íd facit
Mage, quám sui quaesti, ánimus induci potest,
Eum ésse civem ét fidelem ét bonum;
Sed légirupam ni dámnet, det in públicum
Dimídium. Atque etiam ín ea lege adscríbitor:
Ubi quádruplator quémpiam iniexít manum,
Tantídem ille illi rúrsus iniiciát manum,
Et aéqua parti pródeant ad Trésviros.
Si id fíat, nae isti fáxim nusquam appáreant,
Qui hic álbo rete áliena oppugnánt bona.

atque ant. quaestum malo servo: atque obt. unde patet, lacunam esse in v. *malo* aut *mali*, quam sic explet Camer.: *meum alimoniae*, uti et vett. habent. — Both. *quaesitum malo*. — Sensus quod feci postulat: *maiorum meûm*, ut legitur III, 1, 62. Cf. et vs. 3 et 9. Nam in codd. plerisque vel *malo* legitur, vel *meum*, quorum alterum ortum ex *maio*, omisseis postremis, alterum inde, quod *meum* traherent ad *quaestum* et vocem *maiorum* omitterent. Unde dubium nullum esse debet, memet recte emendasse.

2. Vett. et Ven. *et cum magna cura colo*. Nostr. V. C.

8. Veneta et Decurt. *Neque his*, omisso *erat*, quod legitur in vulg. et vett., quae omittunt *Neque*. Bothius: *Neque his cognomen erat duris capitonibus*. Coni. *neque* facile huc devenire potuit ex vs. praecedenti. Al. malunt: *Namque his*. Sensus: Ili dicebantur cognomento duri Capitones, nimirum ob capitis duritiem, qua praestiterunt reliquis. Inter alios enim locos, qui cum parasitis agebantur, etiam hic erat, ut aulas in caput eis frangerent, colaphosque infligerent. Cf. Capt. 1, 1, 21. Unde qui fortiter eiusmodi perpetiebantur, dicebantur *duri* Capitones. Plagae enim in caput infligebantur. Qua explicatione certius nihil. Ceterum sic scandendum duco, uti feci, *Căpitonibus*que per licentiam producendum.

10. *quadruplari*, h. e. neque volo me esse quadruplatorem. Quadruplatores erant delatores criminum publicorum, in qua re quartam de proscriptorum bonis, quos detulerant, assequebantur. Ascon. in Divin. Verr. p. 26.

16. Veneta et vett.: *Sed legirupam quidem ni det in publicum Dimidium*. Vulg. *qui damnet, det in p.*, uti Pall. sensu tamen non adeo expedito; qui expeditior fiet, si legas, quod dedimus: *ni damnet*, ut sensus sit: Sed quadruplator, ubi non possit damnare legirupam, h. e. testibus idoneis probare, esse vere legirupam, poenae loco in publicum det dimidium eius quod proventurum fuisset ex bonis delati, si damnatus esset.

18. *iniexit manum*, h. e. in iudicium vocaverit. — *quempiam*, h. e. *in quempiam*, ut I, 1, 11. *me* pro *a me*.

19. *Tantidem* etc., h. e. ut, si non probaverit, accusatus illum vicissim accuset, poenamque eandem ab illo petat, quam ipse fuisset daturus, si damnatus esset. Qua tamen lege tollitur superior lex ab eo proposita. Verum hoc non curat parasiti logica.

20. *parti* pro *parte*, ut *tempori* pro *tempore*.

22. *albo rete* interpretantur: honeste praetextu. Alii: occulte, insidiose, dolose. Sensus postulat, ut sit i. q. pure rete, h. e. nullo suo damno aut periculo. Al. *albo pariete*, ex quo Acidalius facit *albod ariete*, ut albus sit *εὐπρόσωπος*.

Sed súmne ego stultus, quí rem curo públicam,
Ubi súnt magistratus, quós curare opórteat?
Nunc húc introibo: vísam hesternas réliquias,
Quiérint recte, néc ne; num infuerít febris;
Opértaen' fuerint: né quis obreptáverit.
Sed áperiuntur aédes: remorandúst gradus.

ACTUS I. SCENA III.

TOXILUS. SATURIO.

To. Omném rem inveni, ut súa sibi pecúnia
Hodie íllam faciat léno libertám suam.
Sed eccúm parasitum, quóius mihi auxilio ést opus.
Simulábo, quasi non vídeam: ita alliciám virum.
Curáte istic vos, átque approperate ócius:
Ne míhi morae sit quídquam, ubi ego intro advénero!
Commísce mulsum! strúthea coluteaque áppara,
Bene ut ín scutris concáleant, et calamum íniice!
Iam pól ille hic aderit, crédo, congerró meus.
Sa. Me dícit! euge! *To.* Laútum credo a bálineis
Iam hic ádfuturum. *Sa.* Ut órdine omnem rém tenet!
To. Collýrae facite ut mádeant et collíphia:
Ne míhi incocta détis. *Sa.* Rem loquitúr meram:
Nihíl sunt crudae, nísi, quas madidas glútias.
Tum nísi cremore crásso est ius collýricum,
Nihil ést macrum illud, épicrocum, perlúcidum.
Quasi iúream esse iús decet collýricum.

Male opinor. Atque peius etiam alii *albo* de edicto accipiunt.

26. Sensus est: an suo loco quietae manserint, an commotae fuerint ab esurientibus, quasi febrim habuerint. Nam qui febrim habet, commovetur.

Act. I. Sc. III. Persuadet Parasito Toxilus, ut ille suam filiam patiatur vendi leneni, tamquam raptam ex Persia, quam postea statim vindicet ab eo. Ergo abit parasitus, filiam adducturus; Toxilus autem, nuncium missurus ad amicam suam, qui ei nunciet, fore ut brevi eam possit liberare.

2. *illam*, Lemniselenem. *libertam suam*. Nam Lemniselene serva est Dordali lenonis. Eadem, ubi liberata fuerit, erit Dordali liberta. Nam veteres heri libertorum patroni manebant.

4. Vulg. *alliciam*. Ven. *eliciam*. *verum*. Vett. *elliciam virum*. V. C. *allictam venum*. Decurt. *allictam verum*. Fortasse leg. *ita allectem virum*, aut *ita oblectem v.* Cf. As. II, 2, 103. ut sensus sit: *so will ich ihn eine Weile zum Besten haben; hinhalten*. Cf. v. 46.

7. *struthea*, malorum genus, quae et vocabantur mala Cydonia, a Cydone, Cretae oppido. Ex iis mulsum fiebat dulcissimum. Cf. Plin. XV, 11. — *coluthea*, tragemata, bellaria. Ceterum fere codd. *colutea: aquam appara*.

8. *scutris*. Scutra i. e. q. caldarium, *ein Tiegel*. — *calamum*, sc. odoratum, aromaticum, Plin. 12, 22. *Gewürze*.

12. *Collyrae* panes sunt, oleo inspersi, placentae genus. — *madeant*, coctae sint. *Madere* enim coqui est. Cf. Men. 2, 2, 51. — *colliphia*, panes recenti caseo commixti.

13. Vett. *Ne mihi haec inc. d.* Nostr. vulg. et Ven.

14. *madidas*, coctas. Constr. Nihili sunt crudae; ego nolo collyras, nisi madidas, quas glutiam. Tum nihili est ius collyricum, si macrum est. Nolo ego ius collyricum, nisi cum est crasso cremore.

16. *epicrocum*, croceo tantum colore, perlucidum.

17. *iuream*. Iurea est popanum crassius, libum.

Nolo ín vesicam quód est, in ventrém volo.
To. Prope me híc nescio quis lóquitur. *Sa.* O mi Iúpiter
Terréstris, te coepulónus compellát tuus.
To. O Sáturio, opportúne advenistí mihi!
Sa. Mendácium edepol dícis, atque haud té decet:
Nam Esúrio venio, nón advenio Sáturio.
To. At edés: nam iam intus véntris fumant fócula.
Calefíeri iussi réliquias. *Sa.* Pernám quidem
Ius ést apponi frígidam postrídie.
To. Ita fíeri iussi. *Sa.* Écquid halecis? *To.* Váh, rogas?
Sa. Sapis múltum ad Genium. Séd ecquid meministí, here
Qua dé re ego tecum méntionem féceram?
To. Memini: út muraena et cónger ne calefíerent:
Nam nímio melius óppectuntur frígida.
Sa. Sed quíd cessamus proélium commíttere?
Dum máne est, omnes ésse mortalés decet.
To. Nimis paéne mane est. *Sa.* Máne quod tu occéperis
Negótium agere, id tótum procedít diem.
To. Quaeso ánimum advorte hoc. Nám here narraví tibi
Tecúmque oravi, ut númos sexcentós mihi
Darés utendos mútuos. *Sa.* Memini ét scio,
Et té me orare, et míhi non esse, quód darem.
Nihilí parasitus ést, quoi argentúm domi est:
Lubído extemplo coépere est convívium,
Tubúrcinari dé suo, si quíd domi est.

18. Sensus: Nolo ius tenue, sed crassum.

20. Sic omnes edd. — Both. *Te, o mi Iup. Terrester coep. c. t.* — Vox *coepulonus* correptim proferenda, ut vocalis *o* quasi elidatur. Descendit autem a *coĕpulari* h. e. epulari cum aliquo. Similiter *o* liquescit in *coagmenta, coaddere*, al.

24. *focula*, nutrimenta, ut int. Nonius. Cf. Capt. 4, 2, 68 ubi v. not. Vox descendere videtur a fovendo.

25. *Pernam quidem* etc. non quasi vellet pernam sibi cras apponi, sed hodie potius, quae heri sit cocta. Adamabant enim quosdam cibos sibi frigidos apponi veteres. De qua re v. Mil. 3, 1, 163. sqq. Eloquitur igitur commune praeceptum.

27. Malim: *Ecquid est halecis?*

28. *ad Genium*, sc. colendum et placandum, sive ut legitur Stich. 4, 2, 42. meliorem faciendum, h. e. bene curandum. Sic contrarium: genium suum defraudare, cf. Aul. 4, 9, 11.

31. Et hi quoque cibi adamabantur magis frigidi, quam calidi. Cf. Mil. 3, 1, 163. — *oppectuntur*. Sic vulg. et vett. — Ven. *oppetuntur*. Oppectere autem est: manibus quasi pectinibus circum carpere, *abklauben*.

36. Omnes: *Quaeso an. advorte: hoc enim iam here narravi tibi.* In Pall. non legebatur *enim*. Hinc Bothius: *advorte huc. Iam heri n. t.* Tueor tamen *hoc*, et int. *ad hoc*, ut I, 1, 11. *me* pro *a me*, et I, 2, 18, *quempiam* pro *in quempiam*. — Pro *enim iam* puto legendum: *Nam*. Ortum illud ex defectu interpunctionis, et ex ignorantia constructionis *animum advorte hoc*. Eo enim factum ut *hoc* traheretur ad sequentia: *hoc nam here* etc. Quod quoniam contra grammaticas leges peccaret, alii dedere, *hoc enim*, alii autem *hoc iam*. Quae duae diversae lectiones deinde, ut saepe numero factum, coniunctae sunt et iuxta se positae.

37. *tecum oravi* i. e. q. te oravi. Bacch. 3, 3, 90. As. 3, 3, 72. Cas. 3, 4, 5. Curc. 3, 62.

41. Pro *coepere* Ven. *rapere*. — Praesens *coepio* v. Truc. II, 1, 23.

42. *Tuburcinari*, raptim comesse, vorare, ut faciunt pueruli, buccis plenis. Sensus est: parasitum semper oportet esse paratum vel ad prandendum, ubi invitatus fuerit, vel, ubi non fuerit ve-

Cynicum ésse egentem opórtet parasitúm probe:
Ampúllam, strigilem, scáphium, soccos, pállium,
Marsúpium habeat; ínibi paulum praésidii,
Qui fámiliarem súam vitam oblectét modo.
To. Iam nólo argentum: filiam utendám tuam
Mihi dá. *Sa.* Nunquam edepol quoíquam etiam utendám dedi.
To. Non ád istuc, quod tu insímulas. *Sa.* Quid eam vís?
To. Scies:
Quia fórma lepida et líberali est. *Sa.* Rés ita est.
To. Hic léno neque te nóvit neque gnatám tuam.
Sa. Me ut quísquam norit, nísi ille, qui praebét cibum!
To. Ita ést. Hoc tu mihi réperire argentúm potes.
Sa. Cupio hércle. *To.* Tum tu mé sine illam véndere.
Sa. Tun' íllam vendas? *To.* Ímo alium allegávero,
Qui véndat, qui esse sé peregrinum praédicet;
Siquidem ístic leno nón sex menses Mégaribus
Huc ést quum commigrávit. *Sa.* Pereunt réliquiae;
Postérius istuc támen potest. *To.* Scin', quám potest?
Nunquam hércle hodie hic príus edis, ne frústra sis,
Quam, te hóc facturum, quód rogo, affirmés mihi;
Atqué nisi gnatam técum huc iam, quantúm potest,
Addúcis: exigam hércle ego te ex hac décuria.
Quid núnc? quid est? quin dícis, quid factúrus sis?
Sa. Quaeso hércle, me quoque étiam vendas, sí lubet,
Dum sáturum vendas. *To.* Hóc si facturús, face.
Sa. Faciam équidem, quae vis. *To.* Béne facis. Propera, ábi domum:
Praemónstra docte, praécipe astu filiae,
Quid fábuletur: úbi se natam praédicet;
Qui síbi parentes fúerint, ut subrépta sit.

catus, ad tuburcinandum aliquid domi de suo. Atque sic eadem sibi opponuntur Rud. I, 2, 53. Cf. Poen. III, 1, 26.

43. Sic vett. et Ven. — Vulg. *Cynica esse e gente op. paras. probe*, ex emendat. Acid., qui tamen et *probe* mutari voluit in *probum*. Perperam. Nam vett. recte habent. *probe* trahe ad *egentem*. — Pall. *Cynicum esse gentem p.*

45. *paullum praesidii*, h. e. nummorum.

46. *oblectet* nequaquam est h. l. delectet, sed potius: detineat, sustentet, *hinhalten*, *fristen*, quo sensu et aliis locis legitur, ut As. II, 2, 103. Cf. supra ad vs. 4 et Pseud. I, 5, 151. Ter. Hec. I, 2, 9. Ovid. Trist. V, 12, 1. Cic. Ep. Fam. II, 16. Atque sic et As. I, 2, 16. *Sordido vitam oblectabas* pane etc. interpretanda sunt, nec de delectatione aliqua ibi cogitandum.

57. Sic vett. et vulg. At Pall. et Veneta: *sic ut istic leno nondum sex menses megaribus Huc commigravit.* Pall. *Huc est cum comm.* Vulg. *Siquidem hic leno nondum s. m. Meg. Huc est cum comm.* Patet legendum *istic*, et *non* pro *nondum* esse reponendum, quo facto omnia saria tecta erunt.

59. *Posterius*, h. e. post prandium. — *Scin' quam potest?* comminandi formula, ut *scin' quomodo?* Amph. I, 1, 203. Aul. I, 1, 8. V, 1, 21. Sensus: *Ich will dir gleich sagen, wie!*

60. *edis* omnes habent. Both. *edes*. Idem *sies*, perperam.

63. *decuria*. Militaris est locutio, quales saepe adhibentur in re parasitica. Sensus: ex nostro sodalitio et ex hoc convivio excludam et eiiciam.

66. Omnes: *etiam*. Both. ex Pal. *ut iam*. *Quoque etiam* coniunctum saepius, ut Ps. I, 3, 119. As. 2, 4, 95. Amph. prol. 81.

70. Both. *surrepta unde sit*. Vulg.

Sed lónge ab Athenis ésse se gnatam aútumet;
Et ut áffleat, quom ea mémoret. *Sa.* Etiam tú taces?
Ter tánto peior ípsa est, quam illam tu ésse vis.
To. Lepide hércle dicis. Séd scin', quid faciás? Cape
Tunicam átque zonam, et chlámydem afferto et caúsiam,
Quam ille hábeat, qui hanc lenóni huic vendat.... *Sa.* Heú probe!
To. Quasi sít peregrinus. *Sa.* Laúdo. *To.* Et tu gnatám tuam
Ornátam adduce lépide in peregrinúm modum.
Sa. *Πόθεν* órnamenta? *To.* Ábs chorago súmito.
Dare débet: praebenda Aédiles locáverunt.
Sa. Iam fáxo hic aderunt. Séd ego horum níhil scio.
To. Nihil hércle vero. Nam úbi ego argentum accépero,
Contínuo tu illam a lénone adseritó manu.
Sa. Sibi hábeat, si non éxtemplo ab eo abdúxero.
To. Abi ét istuc cura. Intéribi ego puerúm volo
Mittére ad amicam meam: út habeat animúm bonum:
Med ésse effecturum hódie. Nimis longúm loquor.

ACTUS II. SCENA I.

SOPHOCLIDISCA. LEMNISELENE.

So. Sátis fuit, indóctae, immemori, ínsipienti dícere toties;
Nímis tandem me quídem pro barda et rústica reor hábitam esse abs te.
Quámquam ego vinum bíbo, at mandata nón consuevi simúl bibere una.
Mé quidem iam satis tíbi spectatam cénsueram esse, ét meos mores:

unde surrepta sit. Vett. et Ven. *unde surrupta sit.* Legendum: *ut surr. sit*, h. e. quomodo surrepta sit, qua occasione; quemadmodum hoc plerumque adiici solet. Ceterum Acidalius malit: *unde surpta sit.* Verum non locus, sed modus erat demonstrandus; nam de loco iam agunt praecedentia. Atque sic et legitur infra III, 1, 52. *Et id, ut surrepta fueris?*

76. Similis ornatus describitur in simili re Mil. 4, 4, 41. sq.

77. Vulg. vett. Ven. *Et tu tuam gnatam tamen.* Acidalius: *Et tu tuam gnatam item.* Both. *Tum gnatam tuam.*

79. Vett. *Sed πόθεν ornamenta?* — Vulg. et Ven. omittunt *Sed*, uti et Pall.

80. Sic vulg. et Ven. At vett. *Praebenda aediles locavere; inde petito.* Perfecta saepius corripienda obviam in Plauto et aliis antiquis. Sed forsitan totus versus supposititius. Ceterum verborum: *praebenda* etc. hic sensus est: *die Aedilen haben die Lieferung von der Garderobe verdungen*, ut recte Goellerus int. ad Aulul. pag. 102.

85. In vett. et Ven. deest v. *interibi*, quod legitur in vulg. Libri partim: *To. Abi, et istuc cura. Sa. me tibi. To. ego puerum volo.* Unde nostr. Acid.

Act. II. Sc. I. Sophoclidisca conserva, sive potius subserva (Cf. v. 11) ab Lemniselene ad Toxilum mittitur. Monita ergo, ut probe omnia memoria teneat, hortatur illam, ut desinat se monere, quia probe omnem rem perceperit. Introit igitur Lemniselene, Sophoclidisca autem in scena manet.

1. *Satis fuit* pro: Satis fuisset, aut satis esset, si sim indocta, toties iterare praecepta tua. Scripserim tamen: *Satis pol fuit.* — Ven. *totiens.* Vulg. et vett. *toties.*

2. Edd. *et pro rustica.* Nostr. Both. — *bardus*, *βραδύς*.

3. *Bibere mandata* i. e. q. oblivisci. Edd. *non consuevi simul bibere. Unam quidem iam s.*

4. *et meos mores*, et meam rationem, qualis sim ingenio. Potest tamen et de

Nam équidem te iam séctor quintum hunc ánnum, quom interea étiam, credo,
Cúcus si in ludum irét, potuisset iám fieri ut probe lítteras sciret,
Quom ínterim tu méum ingenium fáns non edidicísti atque infans.
Pótin' ut taceas? pótin' ne moneas? Mémini, et scio, ét calleo, ét commemini:
Ámas pol, misera; id tuús scatet animus. Égo, istuc placidum tíbi ut sit, faciam.
Le. Míser est, qui amat. *So.* Certe ís quidem nihili est, quí nihil amat. Quid ei hómini opus vita est?
Íre decet me, ut herae óbsequens fiam: líbera meâ operâ ócius ut sit.
Cónveniam hunc Toxílum: eius aures, quaé mandata súnt, onerabo.

ACTUS II. SCENA II.

TOXILUS. PAEGNIUM. SOPHOCLIDISCA.

To. Sátin' haec tibi sunt plána et certa? sátin' haec meministi ét tenes?
P. Mélius, quam qui dócuisti. *To.* Aiin' véro, verbereúm caput?
P. Áio enimvero. *To.* Quíd ergo dixi? *P.* Ego récte apud illam díxero.
To. Nón edepol scis. *P.* Da hércle pignus, ni ómnia memini ét scio.
To. Équidem, si scis túte, quot habeas hódie digitos ín manu,
Eó dem pignus técum. *P.* Audacter, sí lubido est pérdere.
To. Bóna pax sit potiús. *P.* Tum tu igitur síne me ire. *To.* Et iubeo ét sino.
Séd ita volo curáre, ut domi sis, quum égo te esse illi cénseam.
P. Fáciam. *To.* Quo ergo is núnc? *P.* Domum: uti dómi sim, quum illi cénseas.
To. Scélus tu pueri es, átque ob istanc rem ego áliquid te pecúliabo.

morigeratione accipi, ut Most. I, 3, 128 accipit Dousa.

5. Vulg. et Ven. *cum interim credo.* Mss. *inter iam.* Vett. *interea iam credo,* Scripsi *etiam.*

6. *cucus.* Sic vulg. — Ven. *cuculus.* Vett. *canis.* V. C. *Cuis.* Dec. *cuius.* Cuculus media producta legitur As. V, 2, 73. et infra II, 4, 11.

7. Sensus: Tu tamen per tantum temporis spatium nondum etiam perspexisti, quam sim callida, sive loquereris mihique aliquid mandares, sive non.

8. Sic omnes, atque *scio,* ut saepius, integrum liquescit, ut Merc. 4, 3, 27. iisdem *calleo* contractim enunciandum.

10. *Miser est, qui amat.* Haec ubi elocuta, introit. — Omnes: *Certe is quidem nihil est* (vulg. *nihili est.*).

Act. II. Sc. II. Lepidissima scena. Toxilus adducit Paegnium puerum, suum quasi subservum, (cf. v. 11) quem ad Lemniselenem mittit cum epistola; dein abit. Rixantur inter se Sophoclidisca et Paegnium, cupiuntque scire alter ex altero, quae mandata sint. Denique in fine confitentur, disceduntque.

8. Omnes: *volo te curare.* Omittit *te* Both. — Vulg. *illi.* Vett. et Ven. *illic.* Sensus: ut quam celerrime rem cures. *illi* i. e. illic sc. apud Lemniselenem. Sic Amph. 3, 3, 14. *Iam hic ero, cum illic censebis esse me.* Ut autem domi sint praesto sibi, saepius requirunt heri ab servis suis.

P. Scío, fidei hercle herili ut soleat ímpudicitia ópprobrari,
Néc subigi queántur unquam, ut pro éa fide habeant iúdicem.
To. Ábi modo. *P.* Ego laudábis faxo. *To.* Séd has tabellas, Paégnium,
Ípsi Lemniselénae fac des ét, quae iussi, núntiato.
So. Césso ire ego, quo míssa sum?
P. Éo ego. *To.* I sane; égo domum ibo. Fáce rem hanc cum curá geras!
Vóla curriculo! *P.* Istúc marinus pásser per Circúm solet.
Íllic abiit hinc íntro huc. Sed quis haec ést, quae med advórsum incedit?
So. Paégnium hic quidem est. *P.* Sóphoclidisca haec ést, peculiáris eius,
Quo égo sum missus. *So.* Núllus esse hodie péior hoc perhibétur puero.
Cómpellabo. *P.* Cómmorandum ést mihi apud hanc óbiicem.
So. Paégnium, delíciae pueri, sálve. Quid agis? út vales?
P. Sóphoclidisca, dí me amabunt. *So.* Quíd me? utrum? *P.* Hercle néscio.
Séd, si, ut digna es, fáciant, odio hercle hábeant et faciánt male.
So. Mítte male loquí. *P.* Quum, ut digna es, díco, bene, non mále, loquor.
So. Quíd agis? *P.* Feminám scelestam te, ádstans contra, cóntuor.
So. Cérte equidem puerúm peiorem, quám te, novi néminem.
P. Quíd mali facio aut cuí male dico? *So.* Cuí pol cunque occásio est.
P. Némo homo unquam ita árbitratust. *So.* Át pol multi esse íta sciunt.
P. Heía! *So.* Heia! *P.* Tuo éx ingenio móres alienós probas.
So Fáteor ego profécto me esse, ut décet lenonis fámiliae.

10. *peculiabo*, donabo te aliqua re. Cf. Most. I, 3, 96. *Dabo aliquid hodie peculi tibi*, *Philematium mea.*

11. Sensus debet esse: Scio, heros non stare solere promissis. *impudicitia* autem hic non de rebus Venereis accipienda, sed de impudentia, qua vel negant se promisisse, vel non stant promissis. Vs. seq. sensus: et ut cogi nequeant ad promissa facienda, iudicemque nullum habeant de istis promissis. Male Acidalius *fidem herilem* int. servum qui hero suo fidelis sit, additque: Impudici a conservis insimulantur in Comoediis persaepe servi, qui dominis se student esse fideliores.

17. Festus passerem marinum Struthiocamelum ait esse. Nimirum quia trans mare advectus. Graecis στρουθὸς διαπόντιος. Is autem currit volans.

18. Veneta: *Sed quis haec est*, *qu.* Vett. et vulg. omittunt *est*. Habent Pall.

19. Vulg. et vett. et Ven. *haec peculiaris est eius.* Transposuit Bothius.

20. Vulg. et Ven. *Nullus esse hodie hoc puero peior perhibetur.* Vett. *hoc peior perhibetur puero.*

21. Vett. c. *est mihi apud hanc*, omisso *obicem*, quod habet vulg. in qua, ut in Ven. deest *mihi.* Ven. et Pall. *obieci.* Nostrum Lambinus, bene.

23. *di me amabunt*, iocanter ait pro: *di te amabunt.* — *Hercle nescio.* Sic vett. et vulg. At Ven. *Quid me? utrum.* P*AE*. *Hercle si ut digna* etc. Vett. *Verum si ut.* Vulg. *Sed si ut.* Pall. *Hercle sed si ut.*, omissa voce *nescio.* Both. *Quid med? utrum? P. Hercle te*, *Si uti digna es.*;

29. *arbitratus est*, i. e. vidit seu testis fuit, audivit me hoc facientem. Nam arbiter est testis vel ocularis vel auditor. Cf. Aul. 4, 1, 21. Capt. II, 1, 28.

30. *Tuo ex* etc. h. e. mala es.

31. *decet* dativo constructum, ut Amph. 2, 2, 197. Asin. 3, 2, 31. Fatetur autem his, se esse malam.

P. Sátis iam dictum habeó. *So.* Sed quid tu? cónfitere, ut te aútumo?
P. Fátear, si ita sim. *So.* Iám abi: vicisti. *P.* Ábi nunc iam. *So.* Ergo hoc mi éxpedi,
Quó abis? *P.* Quo tu? *So.* Díc tu. *P.* Dic tu. *So.* Príor rogavi. *P.* At póst scies.
So. Éo ego hinc haud lónge. *P.* Et quidem ego haud lónge. *So.* Quo ergó, scelus?
P. Ní sciero prius éx te, tu ex me númquam hoc, quod rogitás, scies.
So. Númquam ecastor hódie scibis, priúsquam ex ted audívero.
P. Ítane est? *So.* Itane est? *P.* Mála es. *So.* Scelestus. *P.* Décet me. *So.* Me quidem haúd decet.
P. Quíd ais? certumne ést celare, quó iter facias, péssuma?
So. Óbfirmastin' ócultare, quó te immittas, péssume?
P. Pár pari respóndes dicto: ábi iam, quando ita cérta res 'st.
Níhili facio scíre. Valeas. *So.* Ádsta! *P.* At propero. *So.* Et pól ego item.
P. Écquid habes? *So.* Ecquid tú? *P.* Nihil equidem. *So.* Cédo manum ergo. *P.* Estne haéc manus?
So. Úbi illa altera est furtífica laeva? *P.* Dómi eccam: huc nullam áttuli.
So. Hábes nescio quid. *P.* Né me attrecta, súbagitatrix! *So.* Sín te amo?
P. Mále operam locás. *So.* Qui? *P.* Quia enim níhil amas, quum ingrátum amas.
So. Témperi hanc vigiláre oportet fórmulam atque aetátulam:
Ne, úbi capillus vérsipellis fíat, foede [semper] sérvias.
Tú quidem haud etiam es óctoginta póndo. *P.* At confidéntia
Ílla militia mílitatur múlto magis, quam póndere.
Át ego hanc operam pérdo. *So.* Quid iam? *P.* Quía peritis praédico.
Séd ego cesso. *So.* Máne. *P.* Molesta es. *So.* Érgo ero quoque, nísi scio,

32. *Satis iam dictum habeo*, h. e. Satis iam habeo, satis factum mihi eo est, quod modo dixisti, te malam esse. — *ut te autumo?* h. e. te etiam esse talem, qualem modo dixi, i. e. malum. Vult igitur, quoniam ipsa sit confessa, ut ipse quoque confiteatur.

34. Duplicavi verba *Dic tu*, quae non nisi semel in libris leguntur. Acidalius sic mallt: *Quo abis? P. Quo tu. S. Dic tu: prior rogavi. P. at posterior scies.* Nam *abis* idem praebere ait veteres libros, et Ven. habet: *Quo is.* Vulg. et vett. *Quo agis.*

35. *Quo* ante *ergo* ne elidatur.

45. *subagitatrix.* Subagitare dicuntur, qui attrectant alios, amoris ergo; qui blandiuntur. Cf. Merc. 1, 2, 93. Mil. 3, 1, 57.

46. *cum ingratum amas*, cum invitum amas. Lamb. cum eum amas cui ingrata sis. Sic *ingratiis* saepenumero est i. q. contra voluntatem. Cf. Merc. 2, 4, 11. Mil. 3, 1, 151.

47. *vigilare*, h. e. ea uti.

48. Bothius eiecit *capillus* et scripsit *fias*. Ego *semper* abesse posse ratus, illud retinui. Pro *fiat* vett. *fuat*.

49. *pondo.* Veluit dicere *annos*.

50. *Illa* monosyllabum.

51. Omnes: *Atque ego hanc nunc operam perdo.* Nostr. Both. atque sic opust est legi. Pro *peritis*, quod habet Both. cum Veneta, vulg. et vett. *peritae*.

52. Veneta et Mpti: *Ergo quoque,*

Quó agas te. *P.* Ad vos. *So.* Ét pol ego ad vos. *P.* Quíd eo? *So.* Quid id ad te áttinet?
P. Énim non ibis núnc vicissim, nísi scio. *So.* Odiosús's. *P.* Lubet.
So. Númquam hercle istuc éxterebrabis tu, út sis peior, quam égo siem.
P. Málitia certáre tecum, míseria est. *So.* Merx tú mala es.
P. Quíd est, quod metuas? *So.* Ídem istuc, quod tu. *P.* Díc ergo. *So.* At vétita sum,
Ne hóc cuiquam homini edícerem, omnes múti ut loquerentúr prius.
P. Édictum est magnópere mihi, ne cuíquam homini créderem,
Ómnes muti út loquerentur príus hoc, quam ego. *So.* At tu hóc face:
Fíde data credámus. *P.* Novi. Omnés sunt lenae lévifidae,
Néque tipullae lévius pondust, quám fides lenónia.
So. Díc, amabo. *P.* Díc, amabo. *So.* Nólo ames. *P.* Facile ímpetras.
So. Técum habeto. *P.* Et tu hóc taceto. *So.* Tácitum erit. *P.* Celábitur.
So. Tóxilo has feró tabellas, túo hero. *P.* Abi: eccillúm domi.
Ást ego hanc ad Lémniselenem, túam heram, obsignatam ábietem.
So. Quíd istic scriptum? *P.* Iúxta tecum, sí tu nescis, néscio,
Nísi fortasse blánda verba. *So.* Ábeo. *P.* Et ego abeo. *So.* Ámbula.

---

nisi scio. Vulg. et vett. *Ero quoque, nisi scio.* Both. *Ἔργῳ ero quoque, nisi scio.*

55. Ab hoc versu ad versum 60. secus sunt ordinata personarum nomina in vulg. et Both. atque nos dedimus, sensum secuti, et verum rei argumentum. Atque *merx mala* de viro occurrit Pseud. IV, 1, 53.

57. In Veneta et Pall. desunt verba *quid est* in fine versus, quae addunt vulg. et vett. quae legunt: *Dic ergo, quid est.* Lambinus autem: *Dic ergo, quid est? So. At vetita sum, Ne hoc* etc. et notam addit ad verba: *Ne hoc cuiquam homini dicerem* his verbis: „sic habent libri nostri vet. hoc primum. deinde *at vet. s.* ordo est: at vetita sum, ne hoc cuiquam homini dicerem, et omnes muti loquerentur prius, subintell. quam ego.“ Oportet igitur Lambinum legisse illa *At vetita sum* in codicibus suis. Quibus receptis quoniam optimus sensus et parallelismus elegantissimus, denique versus bellissimus evadit, neminem puto adversaturum huic emendationi. Ceterum *ut loquerentur* est i. q. *utut l.* aut *si vel loquerentur.* Bothii ratio haec est: *So. Quid id est, quod metuas? P. Idem istuc quod tu. So. Dic ergo. P. Dic ergo. Ne hoc — prius, Edictum e. magnopere mi. So. Et mihi, ne cuiquam* etc.

62. *tipullae.* Sic Both. propter metrum. Vulg. et Ven. *tippulae.* Vett. *tipulae.* Tipula, *eine Wasserspinne.* — *quam fides lenonia.* Sic omnes. Both. *Quam fidei lenoniae*, nulla necessitate. Nam non tipulae, sed levi ponderi comparatur fides lenonia.

68. *Et ego* Acid. — Libri et vulg. etc. *At ego abiero.* Verum *At* et *Et* saepe permutatae deprehenduntur in Plautinis libris. Nisi fortasse veteres interdum dixerint *at* pro *atque*, ut *et* pro *etenim*, *enim* pro *enimvero* etc. V. nos ad Lucanum VIII, 641. VI, 823. De scansione, liquere videtur in prima verbi *Abeo* accentum poni debere. Quare fortasse pro *abiero* leg. *abeo.*

ACTUS II. SCENA III.

SAGARISTIO.

Iovi ópulento, incluto, Ope gnato, suprémo, valido, víripotenti,
Opés, spes, bonás copiás commodánti,
Lubéns meritoque vítulor,
Quia méo amico amíciter
Hanc cómmoditatis cópiam
Danúnt argenti mútui,
Ut éi egenti opem ǽfferam.
Quód ego non magis sómniabam, néque opinabar, néque censebam,
Eám fore mihi occásionem, ea núnc quasi decidít de coelo.
Nám herus meus me Erétriam misit, dómitos boves ut síbi mercarer;
Dédit argentum: nam íbi mercatum díxit esse die séptimi;
Stúltus, qui hoc mihi dáret argentum, cúius ingenium nóverat:
Nam hóc argentum álibi abutar; bóves quos emerem, nón erant.
Núnc et amico meó prosperabo, et génio meo multá bona faciam!
Díu quod bene erit, die úno absolvam! Táx tax tergo meo érit: non curo.
Núnc amico homini bóbus domitis mea éx crumena lárgiar:

Act. II. Sc. III. Sibi Toxiloque Sagaristio gratulatur, quod casu sibi argentum oblatum sit ab hero suo, quo boves emeret. Id amico daturus, eum quaerere instituit.

1. *Ope gnato*, i. e. Opis filio. Nam Ops eadem cum Rhea.

2. Versus bacchiacus; sequentes autem dimetri iambici. — In Veneta non legitur *spes*.

3. Vett. et Ven. *Lubens vitulorque merito*. Nostr. vulg. ex emend. Dousae et Gulielmi. *Vitula* dea erat laetitiae lubentiaeque, ut exponit Macrobius III, 2. Vitulari ergo est i. q. laetari. Atque sic et Nonius, qui vocabulum deducit a *vita*. Festus contra a *vitulo*, ut sit laetari, tamquam vitulus in prato. Perperam. Nam hic prosodia litem dirimit. Atqui ipse adducit senarium versum Ennii: *Habet is coronam vitulans victoria*, ex quo syllabam *vi* produci clarum est. — *Lubens merito* solemnis formula in dedicationibus. Sic multae inscriptiones habent in fine: L. M. P., i. e. lubens merito posuit.

7. Omnes: *Uti egenti*, ex quo feci: *Ut ei eg.*

6. Omnes: *Danunt argenti mutui*. Atqui tamen unus invocatur Iupiter. Ergo mutavit Bothius, scripsitque: *Dat nunc arg. m.* In qua emendatione nimis gravis est syllaba *Dat*, in iambo. Duae autem sunt rationes, quibus excusari possit pluralis: primum ut referatur ad *Opes*, *spes et copias;* deinde ut cogitemus, ipsam laetitiam effecisse ut oblivisceretur se solum Iovem invocasse.

11. *esse* monosyllabum. — *die septimi*, i. e. die septimo abhinc. Sic *die quarti*, *die pristini*. De qua locutione cf. Gell. X, 24 et Macrob. I, 4. Est autem genitivus: *des siebenten Tages*.

13. *abutar* constr. accusativo, ut As. 1, 3, 44. Poen. 5, 2, 128. *uti* construitur. Et cf. Bacch. II, 3, 126. Poen. V, 4, 43. V. Ind.

14. Omnes *meo* post *amico* addunt, quod omisit Bothius. Quod si tuearis, verbum *prosperabo* erit legendum *pros-p'rabo*. Cf. Amph. 1, 2, 1. — Both. *bona multa*. Nostr. omnes.

15. Edd. *Diu quod bene erit*. Both. *Diu quo bene sit* ex coniectura. Sensus: Uno die prodigam omne argentum, quod, si parce vivere vellem, effecturum fuerit, ut diu mihi bene esset. Hic autem sensus longo melius provenit ex vulg., quam ex Bothii emendatione, cuius secundum linguae leges hic foret: ut mihi diu eam ob rem bene sit.

16. *bobus domitis largiar*, abl. loco accusativi. Sic enim coniungendum. Boves autem iocose vocat nummos quos gerit in crumena, ut asinis comparantur similem ob causam in Asinaria 3, 2, 44. Largiri cum abl. v. Pseud. I, 4, 3. *Largitus dictis dapsilis*. Et *largus* item Asin. 3, 3, 8.

Nam íd demum lepidum ést, triparcos, vétulos, avidos, áridos,
Béne admordere, quí salinum sérvo obsignant cúm sale.
Vírtust, ubi occásio admonet, dispícere. Quid faciét mihi?
Verbéribus caedi iússerit, compedés ímponi. Vápulem.
Ne síbi me credat súpplicem fore! Vaé illi! mihi iam níhil novi
Obférri potest, quin sím peritus. Sed Tóxili puerum Paégnium eccum!

ACTUS II. SCENA IV.

PAEGNIUM. SAGARISTIO.

P. Pensúm meum, quod datúm est, confeci; núnc propero domum. *SA.* Máne, etsi properas,
Paégnium! ausculta! *P.* Émere oportet, quém tibi obediré velis. *SA.* Adsta!
P. Éxhibeas moléstiam, ut opínor, si quid débeam,
Quí nunc sic tam és molestus. *SA.* Scélerate, etiam réspicis?
P. Scío ego, quid sim aetátis: eo istuc máledictum impune aúferes.
SA. Úbi Toxilus est, túus herus? *P.* Ubi illí libet, neque te cónsulit.
SA. Etiámne dicis, úbi siet, venéfice? *P.* Nescio, inquam, úlmitriba.
SA. Maledícis maiorí. *P.* Prior proméritus perpetiáre.
Servam óperam, linguam líberam herus méus me iussit habére.
SA. Dicísne mi, ubi sit Tóxilus? *P.* Dico, út perpetuo péreas.
SA. Caedére hodie tu réstibus. *P.* Tua quídem, cucule, caúsa
Non hércle, si os percíderim tibi, métuam, morticíne.
SA. Video égo te, iam incubitátus es. *P.* Ita súm. Quid id attinet ád te?

18. Pall. *quis alienum.* Ven. *qui alienum.* Both. *qui alliatum.* Nostr. Vulg. Et de istis obsignationibus cf. Persium sat. VI, v. 17.

19. *dispicere*, suppl. unde possis aliquid nancisci. — In voce *occasio* vocalis *i* elidenda.

20. Vulg. et Both. *Vapulet!* Vett. et Ven. *Vapulem*, i. e. esto, caedat me verberibus, nihil est novi.

Act. II. Sc. IV. Paegnium redit a Lemniselene ad Toxilum. Quaerit ex eo Sagaristio, ubi sit Toxilus. Ille negat se scire, et rixatur cum eo. Denique abit Paegnium, restat Sagaristio.

4. *tam* lege *tamde*, nisi malis post *es* addere *mihi*. Both. fecit *tamen*, quod sane, iunctum v. *sic*, haud raro occurrit. — *etiam respicis?* h. e. iterum iterumque te iubeo respicere, h. e. me adspicere.

6. Omnes: *ubi illi libet.*

7. Edd. *sit.* — In v. *Nescio* non modo ultima, sed et penultima eliditur, ut *scio* passim monosyllabum esse solet. — Post *ulmitriba* vett. et vulg. addunt *tu*, quod abest in Veneta.

9. Legam: *habere iussit.*

11. *Tua — causa*, ironice, ex distinctione Venetae, quae post *causa* habet interrogationis signum, ut Bothius; Vett. punctum, vulg. colon. Dousa comma, ut una sit constructio usque ad *morticine*. Quod praefero.

12. Vulg. et Ven. *perciderim.* Vett. et Both. *praecederim.* — *Os* est totum caput, ut Cas. 5, 1, 8. *Obtunso ore nunc pervelim progrediri Senem.* Cf. et Mil. 2, 2, 58. IV, 2, 74. Capt. 3, 4, 123. Sensus: Non hercle, si tibi colaphum inflixerim, propter te metuam. — *morticine*, o morticine. Morticinus dicitur homo, qui est taetra et exsangui facie, Plutarcho νεκρώδης, Terentio *cadaverosa facies.* Hecyr. 3, 4, 27.

At nón sum ita, ut tu, grátiis. *Sa*. Confídens! *P*. Sum hercle véro:
Nam ego mé confido líberum fore, tú te nunquam spéras.
Sa. Potin', út molestus né sies. *P*. Quod dicis, facere nón quis.
Sa. Abi in malam rem! *P*. At tú domum: nam ibi tíbi parata praésto est.
Sa. Vadátur hic me. *P*. Utinám vades desínt, in carcere út sis!
Sa. Quid hóc? *P*. Quid est? *Sa*. Etiám, scelus, male lóquere? *P*. Tandem ut líceat,
Quum sérvos sis, servóm tibi maledícere. *Sa*. Itane? Spécta, Quid dédero. *P*. Nihil: nam níhil habes. *Sa*. Di deaéque me omnes pérdant,
Nisi te hódie, si prehéndero, defígam in terram cólaphis!
P. Amícus sum: eveniánt volo tibi, quae óptas; atque id fíat,
Tu [ut] mé défigas, té cruci ipsum própediem alii affígant.
Sa. Quin té di deaeque .... Scís, quid hinc porró dicturus fúerim,
Ni línguae moderarí queam. Potin', ábeas? *P*. Abigis fácile:
Nam [iam] úmbra mea intus vápulat. *Sa*. Ut istúnc di deaeque pérdant!
Tamquám proserpens béstia, est bilínguis et sceléstus.
Hercle íllum abiisse gaúdeo. Fores áperite! Eccere aútem,
Quem cónvenire máxume cupiébam, egreditur íntus!

ACTUS II. SCENA V.

TOXILUS. SAGARISTIO. SOPHOCLIDISCA.

To. Parátum iam esse dícito, unde argéntum sit futúrum.
Iubéto habere animúm bonum: dic me íllam amare múltum.
Ubi se ádlevat, ibi me ádlevat. Quae díxi ut nuntiáres,
Satin' éa tenes? *So*. Magis cálleo, quam aprúgnum callum cállet.

13. *incubitatus*, stupratus, paedicatus.

16. *Quod dicis*, *facere non quis*, sc. ut sis molestus.

17. Vulg. et Both. *praes est*. Pall. Vett. et Ven. *praesto est*. Lambinus lat.: Nam tibi demi parata et praesens est mala res.

18. *Vadatur hic me*, hic me in ius vocat, vadibus a me acceptis. Significat sibi a Paegnio plagas domesticas praesagiri et denunciari. — *Utinam vades des*. Asconius: Praes in lite numaria, vas in capitali iudicio.

19. *Tandem ut liceat*, postulo, ut liceat tandem mihi tibi maledicere.

20. *Quid dedero*. Haec ait cum gestu minantis. Supple: malum tibi.

24. Veneta: *tum me defigas*. Vulg. et vett. *Tu me defigas*. Both. *Tu ut me d.* — Vulg. vett. Ven. *adfigent alii*. Both. *alii adfigant*.

27. *iam* ex Bothii coni. adiectum. Lamb. *iam intus*. Vult autem hoc: nam iam imminent mihi verbera, quod tamdiu apud te hic moror. Umbra enim proxima est corpori. Quae si vapulat, parum abest, quin et corpus vapulet.

28. *proserpens bestia*, i. e. serpens. V. Stich. 5, 4, 42. Asin. 3, 3, 105. Poen. 5, 2, 74.

Act. II. Sc. V. Ab initio scenae Toxilus Sophoclidiscam ad Lemniscelenem suam remittit cum bona spe. Deinde ab Sagaristione argentum accipit.

3. Vett. et Ven. *Ubi se alluat*, *ibi me alluat*. Pall. et Ven. *adluat*. Nostr. vulg. Se allevare i. e. q. habere animum bonum.

4. *aprugnum callum* est nihil aliud quam cutis apri callosa.

To. Properáto, abi domum. *Sa.* Núnc ego huic graphicé facetus fíam:
Subníxis alis me ínferam, atque amicíbor glorióse.
To. Sed quis híc ansatus ámbulat? *Sa.* Magnífice conscreábor.
To. Sagarístio hic quidem est. Quíd agitur, Sagarístio? ut valétur?
Ecquid, quód mandavi tíbi, estne in te spéculae? *Sa.* Adíto:
Vidébitur: factúm volo. Veníto: promovéto!
To. Quid hoc híc in collo tíbi tumet? *Sa.* Vomica ést: pressare párce:
Nam ubi quí mala tetigít manu, dolóres cooriúntur.
To. Quando ístaec innata ést tibi? *Sa.* Hodié. *To.* Secari iúbeas.
Sa. Metuó, ne immaturám secem: ne exhíbeat plus negóti.
To. Inspícere morbum tuóm lubet. *Sa.* Abi átque cave tibí, sis,
A córnu. *To.* Quid iam? *Sa.* Quía boves bini híc sunt in cruména.
To. Emítte, sodes: ne énices famé! sine ire pástum.
Sa. Enim métuo, ut possim réicere in bubílem, ne vagéntur.
To. Ego réiciam: habe animúm bonum. *Sa.* Credétur; commodábo.
Sequere hác, sis: argentum híc inest, quod dúdum me rogásti.
To. Quid tú ais? *Sa.* Dominus mé boves mercátum Eretriam mísit;
Nunc mi Éretria erit haec túa domus. *To.* Nimis tú facete lóquere;
Atque égo omne argentúm tibi actútum incolume rédigam:
Nam iam ómnes sycophántias instrúxi et comparávi,
Quo pácto ab lenone aúferam hoc argéntum.... *Sa.* Tanto mélior.
To. Et múlier ut sit líbera, atque ipse últro det argéntum.
Sed séquere me: ad eam rem úsus est tua mihi ópera. *Sa.* Utere, út vis.

---

5. Omnes: *Propera, abi domum. S. Nunc ego huic.* Verum eae formae crebro inter se sunt permutatae, ut pro simplici imperativo scriberetur imp. futuri, et contra.

6. Qui enim magnifice incedunt, brachia lacertis habent innixa, unde fit, ut amiculum largius extendatur ampliusque appareat. *Se inferre* est: magnifice gestu corpus suum movere, superbire, ut Mil. 4, 2, 55.

7. *ansatus*, i. e. subnixis alis, ut quasi ansas habere videatur.

9. Veneta: *Ecquid quod mandavi tibi, estne in te speculae?* Vulg. et vett. *estne quid in te spec.* Lamb. *est mihi in te specula?* Nostr. Pareus et Both. atque elidendum *tibi*, non autem *estne* et *speculae*.

11. *Vomica, ein Geschwür*, quia dixerat: *quid tibi tumet?* Nam in vomica tumor. Dicta autem est vomica a vomendo saniem. *pressare parce*, noli pressare.

13. Sic Veneta. Vett. *est innata.* Vulg. *nam* addit ante *tibi*.

15. Omnes: *Abi, atque cavesis A cornu.* Addidi *tibi* ad explendum versum. Ad rem cf. Asin. 3, 2, 44.

17. *enices*, sc. boves.

18. Omnes: *in bubilem reiicere.* Nostr. Both.

19. Omnes: *creditur.* Nostr. Both.

20. Omnes: *argentum hic est, quod me dudum rogasti.* Nostr. B. — *dudum*, paullo ante.

25. *Tanto melior*, solemnis formula in probando aliquo et eius facto. Sensus: probo te laudoque. Conferendus de hac formula Seneca Epist. 31 et 71. Et v. ind.

ACTUS III. SCENA I.

SATURIO. VIRGO.

Sat. Quae rés bene vortat mi, ét tibi, et ventrí meo,
Perénnitatisque ádeo huic perpetuó cibo:
Ut míhi supersit, súppetat, supérstitet:
Sequere hác, mea gnata, mé, cum dis voléntibus.
Quoi rei ópera detur, scís, tenes, intéllegis:
Commúnicavi técum consilia ómnia.
Ea caúsa ad hoc exémplum te exornávi ego:
Veníbis tu hodie, vírgo. *V.* Amabo, mí pater,
Quamquám libenter éscis alienís studes,
Tuin' véntris causa filiam vendís tuam?
Sat. Mirúm, quin regis Philíppi causa aut Áttali
Te pótius vendam, quám mea, quae sís mea.
V. Utrum tú pro ancilla mé habes, an pro filia?
Sat. Utrum hércle magis in véntris rem vidébitur:
Meum, opínor, imperium ín te, non in mé tibi est.
V. Tua istaéc potestas ést, pater; verúmtamen,
Quamquám res nostrae súnt, pater, paupérculae,
Modice ét modeste méliust vitam vívere:
Nam ad paúpertatem si ádmigrant infámiae,
Graviór paupertas fít, fides subléstior.
Sat. Enimvéro odiosa es. *V.* Nón sum, neque me esse árbitror,
Quum párva natu récte praecipió patri.
Nam inimíci famam nón ita, ut nata ést, ferunt.
Sat. Feránt, eantque in máxumam malám crucem!
Non égo inimicitias ómnes pluris aéstumo,

Act. III. Sc. I. Parasitus filiam suam virginem adducit, aitque, se velle eam vendere. Dehortatur virgo, et quoniam pater aperit, saltem innuit, non vero sed simulato tantum eam venundatum iri, illa tamen metuit sibi in posterum propter famam inde consequuturam. Denique patre volente ac iubente, concedit seque obedientem praestat.

2. Patet *perennitatis cibo* i. esse q. *perenni cibo*, ut igitur *cibo* habeat duo adiuncta idem significantia. Sic Capt. 4, 2, 118. *Aeternum tibi dapinato victum, si vera autumas.* Omnes autem hos terminos Lamb. pro dativis habet, et pron. *huic* ad cibum trahit, ut sit δεικτικῶς: et huic, quem spero apud Toxilum, cibo perenni ac perpetuo se. haec res bene vortat. Sed *huic* et ad ventrem possit referri, ut sensus sit: et adeo ventri huic meo ita bene vortat, ut ei in perpetuum perennemque cibum evadat, *perpetuoque cibo* non sit dativus, sed ablativus.

11. *Mirum, quin: Also soll ich dich wohl wegen* etc. Sensus: *Es wäre doch gewiſs thöricht, wenn ich dich vielmehr zum Vortheile des Philippus verkaufte, als zu meinem.* Cf. Amph. 2, 2, 127. Cist. 4, 2, 68. Merc. 1, 2, 94. Regem Philippum in simili re v. Aul. 1, 3, 7.

13. Similiter *utram tu* legenda Bacch. 4, 8, 118.

19. Both. ex Pall. *Nam ad p. si admigrant inf.* Vett. *Nam si paupertatem adm. inf.* Vulg. *Nam si ad p. adm. inf.* Veneta: *Nam ubi ad paupertatem immigrant inf.* Lamb. cum vulg.

23. Sensus: inimici non ex vero de nostra fama loquuntur, sed affingunt alia, alia augent. *Ferre* enim est *loqui* hac locutione.

25. En tibi luculentum exemplum pronunciationis longiorum, qualia *amicitia*, *pudicitia* et opposita. Hic enim versus plane versus esse nequit, nisi legas: *Non égo inimitias ómnes pluris aestimo.* Nam transponere hic, id quod Both. fecit, est contra verum bonumque committere. Similia v. Amph. 3, 2, 49.

Quam, ménsa inanis núnc si apponatúr mihi.
V. Pater, hóminum immortális est infámia;
Etiám tum vivit, quum ésse credas mórtuam.
Sat. Quid? métuis, ne te véndam? *V.* Non metuó, pater;
Verum ínsimulari nólo. *Sat.* At nequidquám nevis:
Meó modo istuc pótius fiet, quám tuo.
V. Fiét! *Sat.* Quae haec res sunt? *V.* Cógita hoc verbúm, pater:
Herus sí minatus ést malum servó suo:
Tametsi íd futurum nón est, ubi captúm 'st flagrum,
Dum túnicas ponit, quánta afficitur míseria!
Ego núnc, quod non futúrum est, formidó tamen.
Sat. Virgo átque mulier núlla erit, quin sít mala,
Quae praéter sapiet, quám placet paréntibus.
V. Virgo átque mulier núlla erit, quin sít mala,
Quae réticet, si quid fíeri pervorsé videt.
Sat. Maló cavere méliust te. *V.* At si nón licet
Cavére, quid agam? Nam égo tibi cautúm volo.
Sat. Malusne égo sum? *V.* Non es, néque me dignum est dícere;
Verum éi rei operam do, ne álii dicant, quíbus licet.
Sat. Dicát, quod quisque vólt; ego de hac senténtia
Non démovebor. *V.* Át, meo si liceát modo,
Sapiénter potius fácias, quam stulté. *Sat.* Lubet.
V. Lubére per me tíbi licere intéllego;
Verúm lubere haud lúbeat, si liceát, mihi.
Sat. Futúra es dicto obédiens, an nón, patri?
V. Futúra. *Sat.* Scisnam, tíbi quae praecepi? *V.* Ómnia.
Sat. Et id, út subrepta fúeris? *V.* Docte cálleo.

Cist. 1, 1, 89. Epid. 3, 3, 24. IV, 1, 16. Merc. 5, 2, 5.

27. *hominum*, i. e. apud homines, inter homines.

30. *insimulari*, specie quoque me vendi nolo.

31. *Meo modo*, meo arbitrio. Idem v. Men. 2, 1, 25.

32. Vett. *Vir. Fiet. P. Quae hae res sunt? Vir. Cogita* etc. Vulg. *quamtuo. Fiat. quae hae res sunt? Vi. Cog.* etc. Veneta: *quam tuo Fiat: qu. hae r. sunt? Vir. cog.* etc. Lamb. *Vir. Fiat. quae hae res sunt?* c. etc. Both. *quam tuo Fiat. Quae haec res sunt? V. Cogita* etc. Omnes perperam. Nam ad *tuo* oratio debet finiri. Dein virgo sui miserata repetit horrens verbum *Fiet!* quasi dicat: An nescis, quid sibi velit hoc quod modo effatus? Id mirans quaerit pater: *Quae haec res sunt?* i. e. Quid est tibi? quid tibi vis cum hac exclamatione? Atque illa ei ob oculos ponit imaginem servitutis, videlicet servum, qui in eo sit, ut flagris caedatur. — *hoc verbum* potest referri ad illud, quod dixit: *Fiet!* potest et idem esse quod *res*, ut sit: Cogita hanc rem, quam tibi iam ob oculos ponam. Similiter verbum pro re positum legitur Trin. 2, 2, 65.

41. *Malo cavere meliust te*, cave, ne a me malo afficiare. Id virgo alio sensu accipit, quasi non poenam dixerit, sed damnum, quasique ipsa patri voluerit cavere, et quasi non sibi liceat, per ipsum patrem.

43. Iocose rursus alio sensu accipit parasitus illud *malo*, quasi dativo dictum interpretata esset filia, *nam ego tibi cautum volo;* quasi innuerit: *tibi* sc. *malo*, h. e. qui malus es. Nam *malo cavere* vero est: *a malo sibi cavere.*

48. Sensus: ego non possum tibi obsistere, quin tibi liceat facere, quod lubet.

49. Sic vulg. At Vett. et Ven. *haud liceat, si lubeat mihi*, quibus Bothius ultra modum hic obsequens fuit. Sensus enim: mihi, si liceat, profecto luberet non lubere.

Sat. Et quí parentes fúerint? *V.* Habeo in mémoria.
Necéssitate mé, mala ut fiám, facis;
Verúm videto, ubi mé voles nuptúm dare,
Ne haec fáma faciat répudiosas núptias.
Sat. Tace, stúlta: non tu núnc hominum morés vides,
Quoiúsmodi hic cum fáma facile núbitur?
Dum dós sit, nullum vítium vitio vórtitur.
V. Ergo ístuc facito ut véniat in mentém tibi,
Me esse índotatam. *Sat.* Cáve, sis, tu istuc díxeris.
Pol (deúm virtute dícam et maiorúm meum)
Ne te índotatam dícas, quoi dos sít domi.
Librórum eccillum hábeo plenum sóracum.
Si hoc áccurassis lépide, quoi rei operám damus,
Dabúntur dotis tíbi inde sexcentí logi,
Atque Áttici omnes, núllum Siculum accéperis.
Cum hac dóte poteris vél mendico núbere.
V. Quin tú me ducis, sí quo ducturús, pater?
Vel tú me vende, vél, quod tibi lubét, face.
Sat. Bonum aéquomque oras. Séquere hac. *V.* Dicto sum aúdiens.

ACTUS III. SCENA II.

DORDALUS.

Quidnam ésse acturum hunc dícam vicinúm meum,
Qui míhi iuratust, sése hodie argentúm dare?
Quodsí non dederit, átque hic dies praetérierit,
Ego árgentum, ille iúsiurandum amíserit.
Sed íbi concrepuit fóris. Quisnam egreditúr foras?

---

52. Et hic quoque vett. et Ven. *surrupta*, ut supra 1, 3, 70.

54. *mala*, i. e. fallax, mendax, astuta.

58. *Quoiusmodi cum fama* h. e. cum qua saepe fama, vel in qua saepe fama, h. e. quam infames saepe virgines nubant hic?

62, 63. Transposuit hos versus Both. ex mente Acidalii. Verum non opus transpositione. Sensus quippe est: Edepol, ne dicas te indotatam esse, scito, me soracum habere librorum plenum, ex quo tibi sexcentos logos dotis dabo.

64. *Soracum*, vehiculi seu arcae genus, quod et *sarracum* et *sorracum* scribitur, a Gr. σώρακος, i. e. ἅμαξα, ut int. Pollux. Verum *sarracum* mediam longam, *soracum* nostrum magis ad Graecum verbum accommodate brevem habet.

67. Nam Attici ut lepore et salibus, ita et linguae ipsius puritate Siculis praestabant. Cf. Men. prol. 12. Errant tamen, qui credant, Siculum i. esse quod stultum.

70. Omnes: *vel face, quod tibi lubet*. Transposui. Both. *vel face, quidquid tibi lubet*, quia Palat. habent *vel face quid tibi lubet*. Verum *quid* et *quod* centies inter se permutantur in huiusmodi dictione.

Act. III. Sc. II. Dordalus prodit, visum an Toxilus soluturus sit hoc die argentum pro Lemniselene.

1. *Quid esse acturum dicam*, pereleganti forma, pro: quidnam acturus est, seu: cupio videre, quid sit acturus Toxilus. Cf. Bacch. 1, 1, 7.

2. *iuratus* est, qui iuravit. Cf. Amph. I, 1, 284. *Nam iniurato, scio, plus credet mihi, quam iurato tibi.* Cf. scen. seq. v. 11.

3. Sic vulg. Pall. et Ven. At vett. *haec dies*.

4. Sensus: ego frustra argentum speraverim, ille frustra iuraverit.

ACTUS III. SCENA III.

TOXILUS. DORDALUS.

To. Curáte istuc intus; iam égo domum me récipiam.
D. Toxíle, quid agitur? *To.* Ého, lutum lenónium,
Commíxtum coeno! eho stérquilinium públicum!
Impúre, inhoneste, iniúre, illex, labés popli,
Pecúniai accípiter, avide atque ínvide,
Procáx, rapax, traháx (trecentis vérsibus
Tuas ímpuritias tráloqui nemó potest),
Accípin' argentum? accípe, sis, argentum, ímpudens!
Tene, sís, argentum! étiam tu argentúm tenes?
Possúm te facere ut árgentum accipiás, lutum?
Non míhi censebas tántum argentí fore,
Qui nísi iurato míhi nil ausus crédere?
D. Sine réspirare mé, tibi ut respóndeam.
Vir súmme populi, stábulum servitrítium,
Scortórum liberátor, subiculúm flagri,
Compédium tritor, pístrinorum civitas,
Perénniserve, lúrco edax, furáx, fugax,
Cedo, sís, mi argentum! dá mihi argentum, ímpudens!
Possum á te exigere argéntum? argentum, inquám, cedo!
Quin tú mi argentum réddis? nilne té pudet?
Lenó te argentum póscit, solida sérvitus,
Pro líberanda amíca, ut omnes aúdiant.
To. Tace, óbsecro, hercle! naé tua vox validé valet!
D. Referúndae ego habeo línguam natam grátiae.
Eodém mihi pretio sál praehibetur, quó tibi.

Act. III. Sc. III. Prodit Toxilus, argentumque, quod acceperat a Sagaristione, lenoni exhibet, qui ei missurus Lemniselenem abit.

1. Omnes edd. *Curate istuc intus.* At Bothius: *Cura istuc intus,* nulla auctoritate. *istuc* correptim pronunciandum. — *iam* — *recipiam*, i. e. statim revertar. V. ind. v. *iam.*

3. Vulg. *commictum coenum.* Vett. *commixtum coeno.* Veneta: *Eo lutum lenonium commixtum. eo sterquilinium publ.* Sequor vett. et *eho* alterum addo ex Veneta, in qua per similitudinem scripturae *coeno* omissum, *eo* i. e. *eho* servatum. *coenum lutulentum* v. Bacch. 3, 1, 17. Cf. et Most. 1, 1, 40. *Canis capra commixta.*

4. *iniure.* Sic vett. et vulg. At Nonius v. *illex* hunc vs. citans, legit: *iniurie.* Ego *iniure* interpretor: *periure*, ut iniurium i. e. q. periurium, de Festi sententia. Cf. Cist. 1, 1, 101. — *illex* vel a *lege* vel ab alliciendo deducendum. Cf. Asin. 1, 3, 68. Magis tamen eo videtur pertinere, quod ab lenonibus leges nihili habebantur.

10. Hic vs. post 9. a Bothio illatus est ex Maii cod. Ambrosiano, ubi tamen legitur *censebam.* Nam in edd. ne vestigium quidem. Ego vero non decimum faciendum duco, sed undecimum, licet Maius scribat ibi legi in codice. Nam crebro transpositos esse versus inter se, veteres libri satis docent. Sic autem omnia bene cohaerent concinnaque sunt.

14. Sic edd. — Both. *servitutium*, quemadmodum et aliae edd. habuere, ut sit genitivus pluralis. Nam et in reliquis, quae sequuntur, genitivus vocativo iungitur.

15. *subiculum flagri*, qui assidue subiectus es flagris. Both. ex Meursio: *sudiculum.*

16. *pistrinorum civitas*, Lamb. qui pistrina assidue incolis. Potius: quem pistrina assidue habent.

17. Edd. post *lurco* habent interpunctionem, quam omittit Both.

24. Sensus: Ego eum in usum linguam habeo, ut par pari referam.

Nisi me haéc defendet, númquam delingét salem.
To. Iam omítto iratus ésse. Id tibi succénsui,
Quia té negabas crédere argentúm mihi.
D. Mirúm, quin tibi ego créderem: ut idém mihi
Facerés, quod partim fáciunt argentárii!
Ubi quíd credideris, cítius extemplo á foro
Fugiúnt, quam ex porta lúdis quom emissúst lepus.
To. Cape hóc, sis. *D.* Quin das? *To.* Númi sexcenti híc erunt
Probí, numerati: fác sit mulier líbera,
Atque húc continuo addúce. *D.* Iam faxo híc erit.
Non hércle, cui nunc hóc dem spectandúm, scio.
To. Fortásse metuis ín manum concrédere.
D. Mirúm, quin. Citius iam á foro argentárii
Abeúnt, quam in cursu rótula circumvórtitur.
To. Abi istác travorsis ángiportis ád forum;
Eàdem ístaec facito múlier ad me tránseat
Per hórtum. *D.* Iam hic faxo áderit. *To.* At ne própalam.
D. Sapiénter sane. *To.* Súpplicatum crás eat.
D. Ita hércle vero. *To.* Dúm stas, reditum opórtuit.

ACTUS IV. SCENA I.

TOXILUS.

Si quám rem accures sóbrie aut frugáliter,
Solet ílla recte súb manus succédere.
Atque édepol ferme, ut quísque rem accurát suam,
Sic éi procedunt póstprincipia dénique.

25. *perhibetur* vett. et Veneta. Vulg. et Both. *praehibetur.* Et praepositio *prae*, sequente vocali, saepenumero corripitur.

29. Vulg. *ut idem mihi.* Both. *ut tu idem mihi.* Veneta: *ut ipse mihi.* Vett. *ut ipse idem mihi.* At non elidendum *crederem.* — Dictionis: *Mirum quin* etc. hic sensus: *Ich sollte wohl*, sive: *Es fehlte noch, dafs.* V. supra 3, 1, 11. et loca ibi allata. Cf. infra v. 38.

35. *Iam* referto ad *hic erit.* Est enim i. q. brevi. Cf. v. 1.

36. *spectandum*, h. e. inspiciendum argentum, an probum sit, anne adulterinum.

37. *concredere* sc. argentario, qui spectet, an probum sit.

38. *Mirum quin: das fehlte noch, dafs ich das Geld aus den Händen einem Geldwechsler in die Hände geben sollte.* Sic autem distinguendum, de Acidalii sententia, uti et fecit Bothius. Ceterum est iteratio eiusdem dicti, quod supra legitur, v. 29. sqq.

40. Veneta et Both. *advorsis.* Vett. et vulg. *avorsis.* Lambini codices: *travorsis*, i. e. *querdurch.* Quód quare non statim receperit, non video causam, quum neque *avorsis* neque *advorsis* sensum ullum verum praebeant. V. C. *abis tracta vorsis.* Decurt. *abis tacta vorsis.*

41. *Eadem* sc. operâ, i. e. simul. Cf. Bacch. 1, 1, 15. Capt. 2, 3, 99. Merc. 5, 3, 47. Men. 2, 3, 78. Most. 4, 4, 45.

43. *supplicatum*, sc. diis pro adepta libertate.

Act. IV. Sc. I. Toxilus evocat intus Sagaristionem, ut ille educat iam parasiti filiam tamquam ex Persia emtam, ipse quoque ornatu Persico indutus, ad decipiendum Dordalum.

1. Sic omnes edd. — Both. tamen: *ac frugaliter*, nulla causa nec auctoritate.

4. *postprincipia* rerum sunt, quae sequuntur principia, h. e. processus, exitus, ut apud Gellium XVI, 18 ex Varrone: *Utilitas disciplinarum in postprincipiis existit.*

Si málus aut nequam est, mále res vortunt, quás agit;
Sin aútem frugi est, éveniunt frugáliter.
Hanc égo rem exorsus súm facete et cállide:
Igitúr bene proventúram confidó mihi.
Nunc égo lenonem ita hódie intricatúm dabo,
Ut ípsus sese, quá se expediat, nésciat.
Sagarístio, heus, exí, átque educe vírginem,
Et istás tabellas, quás consignaví tibi,
Quas tu áttulisti mihi áb hero meo usque e Pérsia.

ACTUS IV. SCENA II.

TOXILUS. SAGARISTIO. VIRGO.

SA. Numquíd moror? *To*. Euge, euge, éxornatus básilice!
Tiára ornatum lépide condecorát tuum.
Tum hanc hóspitam autem crépidula ut graphicé decet!
Sed sátin' estis meditáti? *SA*. Tragici et cómici
Nunquam aéque sunt meditáti. *To*. Lepide hercle ádiuvas.
Age, illúc abscede prócul e conspectu, ét tace.
Ubi cúm lenone mé videbis cólloqui,
Id erít adeundi témpus; nunc agite, íte vos.

ACTUS IV. SCENA III.

DORDALUS. TOXILUS.

D. Cuí homini di própitii sunt, áliquid obiiciúnt lucri.
Nam égo hodie compéndi feci bínos panes índies;
Íta, ancilla mea quaé fuit hodie, súa nunc est: argénto vicit:
Iám hodie alienúm coenabit, níl gustabit dé meo.

8. Veneta: *Igitur proventura bene confido mihi*. Vulg. *proventuram bene*, ut et vett. Both. *bene proventuram*.

13. Et vett. et Veneta *mihi* addunt, quod omittunt vulg. et Both.

ACT. IV. Sc. II. Prodit cum virgine Sagaristio, Persico ornatu. Dein recedunt paulisper, ut lenonem exspectent.

2. Priscianus libro VI. hunc vs. sic adducit: *Theatrum lepidum cum decora schema*, ex quo fecit Acidalius: *Tiara ut lepidam lepide condecorat schemam*, quod recepit Bothe. Pall. Vulg. et vett. nostram. Item Veneta, quae tamen l. *condecora*.

3. *crepidula*, crepida Persica, *Pantoffel*.

6. Et vett. et Ven. *SA*. *Age illuc adspice de procul in conspectum*. *To*. *Tace*. Nostr. vulg. et Both. ex emend. Dousae Acidaliique. Eadem enim infra recurrunt IV, 7, 18. 19.

8. Veneta: *nunc agite vos*. Pal. *age rite*. Both. *nunc egerite vos*. Nostr. vulg. et vett.

ACT. IV. Sc. III. Semotis reliquis prodit leno, a foro rediens, sibique gratulans rem bene gestam. Adit eum Toxilus, et comperit eum suam amicam liberam iam amisisse. Deinde ei narrat, sibi missam esse ab hero suo captivam e Persia, quam vendat; et epistolam ostendit. Vult igitur eam videre Dordalus. Atque advenit Sagaristio, tamquam si esset hospes e Persia qui illam adduxerit. Recedunt igitur paullum, ut contemplentur eam taciti.

3. *sua* i. e. Toxili, ut *suus* saepe pro *eius* in Plauto, ut et *se* pro *eum*. Cf. Merc. 5, 4, 37. Men. prol. 19. Sic in Milite, 2, 2, 27 *se ut videant domi* pro: *eam ut v. d.*

Súmne probus, sum lépidus civis, qui Átticam hodie civitatem
Máxumam maiórem feci, atque aúxi civi fémina?
Séd ut ego hodie fúi benignus! út ego multis crédidi,
Néc satis a quiquam hómine accepi: ita prórsum credebam ómnibus;
Néc metuo, quibus crédidi hodie, né quis mi in iure ábiurassit.
Bónus volo iam ex hóc die esse; — quód neque fiet, néque fuit.
To. Húnc ego hominem hodie ín transennam dóctis inducám dolis;
Ítaque huic insidiaé paratae súnt probe: aggrediár virum.
Quíd agis? *D.* Credo. *To.* Únde agis te, Dórdale? *D.* Credó tibi.
To. Dí dent, quae velís! Eho, an iam manu émisisti múlierem?
D. Crédo pol, credo, ínquam, tibi. *To.* Iam líberta auctus?
D. Énicas.
Quin tíbi me dico crédere. *To.* Dic bóna fide: iam líbera est?
D. I, i ád forum ad praetórem: exquire, síquidem crederé mihi
non vis.
Líbera, inquam, est. Écquid audis? *To.* Át tibi di benefáciant
omnes!
Núnquam enim posthac tíbi nec tuorum, quód nolis, volam.
D. Ábi; ne iura.
Satis crédo. *To.* Ubi nunc tua líberta est?
D. Apud téd. *To.* Ain? Apud me est? *D.* Áio, inquam;
Apud téd est, inquam. *To.* Ita mé di ament,
Ob istánc rem tibi multá bona instant [a me]:
Nam est rés quaedam, quam occúltabam
Tibi dícere; nunc eam nárrabo,
Unde tú pergrande lucrúm facias.
Faciam, út mei memineris, dúm vitam
Vivás. *D.* Benedictis tuís benefacta
Aurés meae expóstulant aúxilium.
To. Tuum prómeritum est, merito út faciam.
Et út me scias esse fácturum,
Tabellás tene has; pellege. *D.* Haé quid ad me?
To. Imo ád te attinent; et túa refert.
Nam e Pérsia ad me adlataé modo sunt
A meó domino. *D.* Quando? *To.* Haúd dudum.

6. *civi*, ut alias *parti*. De quo v. ind.
7. Omnes: *Sed ut et ego*.
8. Nec satis accepi a quoquam, nec sponsorem petii a quoquam, cui credidi aliquid.
9. Pall. Vulg. et Ven. *Nec metuo*, quod et Both. At vett. *Nec metui*.
10. *Bonus*, benignus, liberalis, beneficus.
11. *transenna* laqueus est, quo capiuntur aves. Bacch. 4, 6, 22. *Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit*. Cf. Rud. 4, 7, 10. — *inducam* dedit Bothius, libri omnes *ducam*.
12. *Itaque* h. e. *ita*. Cf. v. 44.
13. Vett. *nunc* addunt post *Unde agis te*.
14. *mulierem*, sc. Lemniselenem, amicam meam. Quam maxime enim hoc eius interest scire.
15. *Iam liberta auctus* sc. es? Iamne eam liberam manu emisisti?
20. Qui sequuntur versus, sunt dimetri anapaestici.
23. Vulg. et vett. *ut ob ist. r. tibi m. b. i. a me*. Atque sic et Veneta.
26. Vett. et fere Nonius *praegrande*. Eaedem non habent *tu*. Pall. *pergrande*.
28. Sensus: postquam audivi benedicta tua, cupio etiam me videre benefacta.
29. Vulg. vett. Ven. *auxilium expostulant*. Nostr. Both. bene.
35. Patet, *istae*, quod adiiciunt edd.

D. Quid istaéc narrant? *To*. Percóntare ex
Ipsís: ipsae tibi nárrabunt.
D. Cedo sáne. *To*. At clare récitato.
D. Tace, dúm pellego. *To*. Haud verbúm faciam.
D. „Salútem dicit Tóxilo Timárchides
„Et fámiliae omni. Sí valetis, gaúdeo;
„Ego váleo recte, et rém gero, et fació lucrum,
„Neque istó redire his ócto possum ménsibus:
„Itaque híc est, quod me détinet, negótium.
„Chrysópolim Persae cépere urbem in Árabia,
„Plenám bonarum rérum, atque antiquom óppidum;
„Ea cómparatur praéda, ut fiat aúctio
„Publícitus: ea res mé domo expertém facit.
„Operam átque hospitium ego ísti praehiberí volo,
„Qui tíbi tabellas ádfert. Cura, quae ís volet:
„Nam is míhi honores súae domi habuit máxumos."
Quíd id ad me, aut ad méam rem refert, Pérsae quid rerúm gerant,
Aút, quid herus tuus? *To*. Táce, stultiloque: néscis, quid te instét boni.
Nequídquam tibi Fortúna façulam lúcrificam adlucére volt.
D. Quae ístaec lucrifica ést Fortuna? *To*. Ístas, quae norúnt, roga;
Égo tantundem scío, quantum tu, nísi quod perlegí prior.
Séd, ut occepisti, éx tabellis nósce rem. *D*. Bene mé mones.
Fác silentiúm. *To*. Nunc ad illud vénies, quod refért tua.
D. „Iste, quí tabellas ádfert, adduxít simul
„Forma éxpetenda líberalem múlierem
„Furtívam, advectam ex Árabia penitíssuma;
„Eam té volo adcuráre, ut istic véneat;
„At súo periclo is émat, qui eam mercábitur:
„Mancípio neque promíttet, neque quisquám dabit.
„Probum ét numeratum argéntum ut accipiát, face.
„Haec cúra; et hospes cúra ut curetúr. Vale."
To. Quíd igitur? postquám recitasti, quód erat cerae créditum,
Iám mihi credis? *D*. Úbi nunc ille est hóspes, qui hasce áttulit?
To. Iam híc, credo, aderit: árcessivit íllam a navi. *D*. Níhil mihi opus est

a̤te *a meo domino*, et ad sensum et ad versum abundare.

38. Edd. addunt *mihi* post *sane*.

43. *isto*, i. e. Athenas.

44. *itaque*, h. e. *ita*, cf. v. 12. *ita* autem pro *talis*, e. Cf. Aul. 2, 2, 2. III, 1, 7. Bacch. 2, 3, 8. Epid. 1, 1, 87. Rud. 2, 7, 31. Poen. 1, 2, 187.

45. Sic. Ms. Ambros. At edd. *Eleusipolim*.

49. Sic vulg. — Vett. *praeberi*. Ven. *perhiberi*.

53. *te*, quod abest a vulg., habet V. C. et Both.

55. Vulg. etc. *fortuna lucrifica est?* — *Istas*, literas.

61. *Furtivam*. Sic omnes libri, idemque recurrit infra v. 83 et IV, 7, 4. Cf. Poen. 4, 2, 77. Curc. 5, 2, 22. Unde profecto Bothio non mutandum erat, qui scripsit *furtive*, nulla auctoritate. Sensus: furto ablatam, clam abductam, separatim captam, non ex praeda publica.

63. *qui* nec elidendum, ~~et producendum~~, ut v. 68.

64. Sensus: non tamen hospes promittet aut quisquam spondebit, eum puellae esse dominum; ut ergo emtor suo periculo eam sit emturus.

Lítibus neque trícis. Quamobrem ego árgentum numerém foras?
Nísi mancupio accípio, quid eo míhi opus mercimónio?
To. Táceen' an non tacés? Nunquam ego te tam ésse matulam crédidi.
Quíd metuis? *D.* Metuo hércle vero: sénsi ego iam complúries,
Néque mi haud imperíto eveniet, táli ut in luto haéream.
To. Níhil periculí videtur. *D.* Scío istuc; sed metuó mihi.
To. Méa quidem nihil ístuc refert; túa ego refero grátia,
Út tibi recte cónciliandi prímo facerem cópiam.
D. Grátiam habeo; séd te de aliis, quam álios de te, suáviust
Fíeri doctos. *To.* Né quis vero ex Árabia penitíssuma
Pérsequatur! Étiam tu illam déstinas? *D.* Vidcám modo
Mércimonium. *To.* Aéqua dicis. Séd optume, eccum, ipse ádvenit
Hóspes ille, qui hás tabellas áttulit. *D.* Hicine ést? *To.* Hic est.
D. Haécine illa est furtíva virgo? *To.* Iúxta tecum aequé scio,
Nísi quia adspexi. Équidem edepol líberalist, quísquis est.
D. Sát edepol concínna est facie. *To.* Út contemtim cárnufex! —
Táciti contemplémur formam. *D.* Laúdo consiliúm tuum.

ACTUS IV. SCENA IV.

SAGARISTIO. VIRGO. TOXILUS. DORDALUS.

Sa. Sátin' Athenae tíbi sunt visae fórtunatae atque ópiparae?
V. Úrbis speciem vídi, hominum móres perspexí parum.
To. Númquid in principió cessavit vérbum docte dícere?
D. Haúd potui etiam in prímo verbo pérspicere sapiéntiam.
Sa. Quíd id, quod vidisti? út munitum múro tibi visum óppidum est?
V. Si íncolae bene súnt morati, púlcre moenitum árbitror;
Pérfidia et Peculátus ex urbe ét Avaritia si éxulant,
Quárta Invidia, quínta Ambitio, séxta Obtrectátio,

65. Vett. *Probum, numeratum*, omissa copula.

69. Ven. et Pall. *arcessivit*, h. e. arcessitum ivit; vulg. et vett. *arcessit*.

77. *conciliandi*, emendi. Cf. Epid. 3, 4, 40. Capt. 1, 2, 59. *recte* i. e. q. commode. Cf. Bacch. 1, 1, 13. et ind.

78. *sed te de aliis* etc. γνώμην eloquitur. Melius est, te de aliorum damnis fieri doctum, quam alios de tuo.

79. Pall. Vulg. Ven. *ex Barbaria*, Vett. *ex Arabia*, ut v. 61. *Barbaria* in Plauto plerumque est Italia.

80. *Etiam tu* etc. *Wirst du sie wohl kaufen?* V. ind. v. *etiam* et v. *destinare*.

83. *furtiva*. Cf. ad vs. 61.

84. Et vett. et Ven. *Nisi qui*. Nostr. vulg.

Act. IV. Sc. IV. Sagaristio, Persica veste indutus, adducit Virginem, itidem ornatu Persico. Colloquuntur inter se de urbe Athenarum. Perplacet Dordalo puella. Igitur advocat Toxilus Persam, Dordalo autem suadet, ut prius eam examinet de parentibus etc. Illa ad quaesita respondet cate et docte. Denique emit Dordalus, atque intro abit, ut argentum adferat.

1. *Satine tibi visae sunt* i. e. q. Nonne tibi visae sunt? uti centies. V. indicem v. *Satine*. Nam *satis* neutiquam cum *fortunatae* iungendum. Ceterum in omnibus libris deest *sunt*, quod addidit Bothius. Fortasse leg. *tibi videntur*, aut *Satine visae tibi Athenae*.

2. Non liquescit *vidi*. Sic autem omnes edd. Transposuit Both. *mores hominum*. Vett. *hominum morem*. Ven. et Vulg. *h. mores prospexi p.* uti et Pall. Nostr. vett. et Both.

3. Both. *cessat*. Nostr. omnes.

Séptimum Periúrium .... *To.* Euge! *V.* Octáva Indiligéntia,
Nóna Iniuriá, decimum, quod péssumum adgressú, Scelus.
Haéc nisi unde aberunt, céntuplex murus rébus servandís parum est.
***To.* Quíd ais tu? *D.* Quid vís? *To.* Tu in illis és decem sodálibus:**
Té in exilium ire hínc oportet. *D.* Quíd iam? *To.* Quia periúrus es.
***D.* Vérba quidem haud indócte fecit. *To.* Éx tuo, inquam, usú est: eme hanc.**
***D.* Édepol qui quum hanc mágis contemplo, mágis placet. *To.* Si hanc émeris:**
Di ímmortales! núllus leno te álter erit opuléntior;
Évortes tuo árbitratu hómines fundis, fámiliis;
Cum óptumis virís rem habebis; grátiam cupiént tuam;
Vénient ad te cómissatum. *D.* At égo intromitti nón sinam.
***To.* Át enim illi noctu óccentabunt óstium, exurént fores:**
Proínde tu tibi iúbeas concludi aédes foribus férreis,
Férreas aedés commutes, límina indas férrea,
Férream seram átque anellum: né, si ferro párseris,
Férreas tuté tibi impingi iúbeas crassas cómpedes.
***D.* I ín malum cruciátum! *To.* I sane! — Hanc éme, atque auscultá mihi.**
***D.* Módo ut sciam, quanti índicet. *To.* Vin' húc vocem? *D.* Ego illo accéssero.**
***To.* Quíd agis, hospes? *SA.* Vénio; adduco hánc, uti dudum díxeram.**
Nám heri in portum nóctu navis vénit; venire hánc volo,
Sí potest; si nón potest, ire hínc volo, quantúm potest.
***D.* Sálvos sis, aduléscens. *SA.* Si quidem hanc véndidero pretió suo.**

10. *aggressu*, h. e. quum adgreditur, quum accedit ad civitatem. Lambinus tamen int. pessimum ad aggrediendum i. e. suscipiendum.

11. Sic Ven. Pall. et vett. — Vulg. *inde aberunt*. *Unde* autem elegantius. Nam eloquitur commune praeceptum, non de Athenis solum. Nullum oppidum vel centuplici muro satis est munitum, nisi illud, unde illa aberunt.

12. *Quid ais?* usurpatur, ubi quis novi quid animadvertere vult. V. indicem. Veluti nostrum: *Höre einmal!*

13. *Quid iam?* quamobrem?

15. *Edepol qui.* Sic omnes edd. — Both. *quin*. Lamb. *qui* nominativum existimat, et ad Dordalum refert. Fortasse simile quoddam est cum dictione *qui illum di omnes perdant*, in qua *qui* loco coni. ut positum, ita tamen, ut hic sequatur indicativus. Cf. Pseud. 1, 5. 58.

19. In Veneta, ut et in codd., verba *non sinam* non leguntur, neque quidquam aliud eorum loco. Vett. *intromitti vereor*. Nostr. Vulg. et Lambinus, qui non adnotat in suis codd. esse lacunam, quum tamen de verbo *comissatum* accurate animadverterit, sic legi apud se. Bothius: *intromitti veluero*.

20. *exurent fores*, videlicet facibus accensis. Cf. Ovid. Art. am. III, 567. *Nec franget postes, nec saevis ignibus uret.* Sic in Mercatore 2, 3, 73. *elogiorum carbones*.

22. *commutes*, h. e. facias ex ligneis.

23. edd. *annulum*. Nostr. Both.

24. Apodosis praeter exspectationem habet irrisionem Dordali et maledictum, aut potius male consultum. Nam sensus: Sin non vis tibi ferreas construere aedes, velim, te tibi ipsi iubere fieri ferreas compedes.

26. *ego illo accessero*, ego potius illuc ad illum accedam.

27. Vulg. et vett. et Ven. *Quid ais*. Nostr. Both. ex Acidalio. — Ne elide *adduco*. — *dudum* est: paullo ante.

To. Átqui aut hoc emtóre vendes púlcre, aut alio nón potes.
Sa. Ésne tu huic amícus? *To.* Tanquam di ómnes, qui coelúm colunt.
D. Túm tu mi es inimícus certus: nám generi lenónio,
Núnquam ullus deus tám benignus fúit, qui fuerit própitius.
Sa. Hóc age. Opusne est hác tibi empta? *D.* Sí tibi vaenisse ést opus,
Mihi quoque emptâ est; sí tibi subiti níhil est, tantundem ést mihi.
Sa. Índica; fac prétium. *D.* Tua merx ést: tua indicátio est.
To. Aéquom hic orat. *Sa.* Vin' bene emere? *D.* Vín' tu pulcre véndere?
To. Égo scio hercle, utrúmque velle. *D.* Age, índica prognáriter.
Sa. Príus dico: hanc mancúpio nemo tíbi dabit. Iam scis? *D.* Scio.
Índica, minumó daturus quí sis, qui ducí queat.
To. Táce, tace: nimis tú quidem hercle homo stúltus ès pueríliter.
D. Quíd ita? *To.* Quia enim te éx puella príus percontarí volo,
Quae ád rem referunt. *D.* Ét quidem hercle tú me monuisti haúd male.
Víde, sis: ego ilie dóctus leno paéne in foveam décidi,
Ni hic adesses. Quántum est adhibere hóminem amicum, ubi quíd geras!
To. Quó genere aut qua in pátria sit nata, aút quibus paréntibus,
Né temere hanc te emísse dicas suásu aut impulsú meo,
Vólo, te percontári. *D.* Quin laudo, ínquam, consiliúm tuum. —
To. Nísi molestum est, pércontari hanc paúcis hic volt. *Sa.* Máxume;
Suo árbitratu. *To.* Quíd stas? adi eum túte, atque ipse itidém roga,
Út tibi percontári liceat, quaé velis; etsí mihi
Díxit dare potéstatem eius; séd ego te maló tamen
Eum ípsum adire: ut né contemnat te ílle. *D.* Satis recté mones.
Hóspes, volo ego hanc pércontari. *Sa.* A térra ad coelum, quíd lubet.
D. Iúbedum ea huc accédat ad me. *Sa.* I sáne, ac morem illí gere. —

36. *emtá* sc. opus est. — *subiti*, ut Mil. 2, 2, 72. *res subitaria est.* Subitum est, quo ante omnia opus est facto. Curc. 2, 3, 23. Epid. 1, 2, 58.

39. *prognariter.* Lamb. mallt *prognaviter.* Illud tamen omnes libri.

49. *Volo te p.* Hic versus ex Codice Ambrosiano accessit. Idem codex versu praec. legit: *dicas me impulsore aut inlice.* Atque haec melior videtur. Ceterum, ut verum fatear, ille versus, huc ex eo cod. insertus a Bothio, abesse etiam possit, ut subintelligantur illa: *Volo te percontari.* Nam, eo recepto, ter in hoc loco legitur verbum *percontari.* Reliqua autem: *Quin laudo — tuum*, paullo ieiuna videntur. Atque simile quid in plerisque illis insititiis ex Ambrosiano animadvertitur.

60. *Maxime* concedentis est. Cf. Curc. 3, 57. Most. 4, 3, 17.

51. Vulg. Ven. et vett. *abi tute, atque ipse itidem roga.* Sed cf. v. 54, unde addidi *eum.* Bothius: *adi tute, atque ipsus itidem roga.*

55. *quid lubet*, i. e. quod lubet, uti et v. 57, et saepe *quid vis* pro *quod vis.* Sic autem divisim omnes edd. — Both. *quidlubet.*

56. *I sane.* Apparet, haec eum dicere ad virginem. — *illi*, sc. Dordalo.

Pércontare, exquíre, quid vis. — Áge, age nunc tu, i, praépara. —
Víde, ut ingrediare aúspicato. *V.* Líquidum est auspiciúm. *To.* Tace;
Cóncede huc, sis: iam égo illam adducam. *D.* Age, út rem esse in nostrám putas.
To. Séquere me. — Adduco hánc, si quid vís éx hac percontárier.
D. Énim volo te adésse. *To.* Haud possum, quín huic operam dem hóspiti,
Quoí herus iussit. Quíd, si hic non volt mé adesse una? *Sa.* Imo í modo.
To. Do érgo tibi operam. *D.* Tíbi ibidem das, úbi tu tuum amicum ádiuvas.
To. Éxquire. — Heus tu, advígila. *V.* Satis est díctum. Quamquam ego sérva sum,
Scío ego officium méum, ut, quae rogitet, véra, ut accepi, éloquar.
To. Vírgo, hic homo próbus est. *V.* Credo. *To.* Nón diu apud hunc sérvies.
V. Íta pol spero, sí parentes fácient officiúm suum.
D. Nólo ego te mirári, si nos éx te percontábimur
Aút patriam tuam, aút parentes. *V.* Cúr ego id mirer, mí homo?
Sérvitus mea mi ínterdixit, né quid mirer méum malum.
To. Dí istam perdant! [ita cata est et callida] hábet cor: [Quam] dicit, quód opust! *D.* Quid nomén tibi est?
To. Núnc metuo ne péccet. *V.* Lucridi nómen in patriá fuit.
To. Nómen atque omén quantivis ést preti. Quin tu hánc emis? —

57. *Percontare*, *exquire*, *quid vis.* Haec ad Dordalum. — Vulg. *To.* *Age*, *age nunc tu*, *i prae; vide Ut ingr.* Male, quum *vide* aperte sit sequentis versus. Veneta: *Dord.* *age age nunc tu impera.* *Vide* — *auspicato.* *To.* *Liquidum* etc. Vett. *To.* *Age*, *age nunc tu i praepara.* *Vide* — *ausp.* *Do.* *Liq.* etc. V. C. *nunc tu in proe.* Decurt. *nunc in inper.* Cum Vulgata Bothius, qui ista omnia: *I sane* — *auspicato* Sagaristioni tribuit, verba autem: *Liquidum est ausp.* virgini, sequentia Toxilo. — Adstant autem histriones ita, ut remotissimi inter se consistant dextra sinistraque Dordalus et puella, in media autem parte nunc huc nunc illuc transcurrat Toxilus. Is denique v. 59. ad verba *Concede huc sis* Dordalum in medicam scenae partem adducit, et eodem puellam v. 60. ad verba *Sequere me.* Deinde idem puellam adhortatur, ut advigilet, neque metuat Dordalum. Itaque praeparat quasi omnem rem, nec in sequentibus desinit interloqui et monere aut hortari. Ergo existimo, verba *Age*, *age* — *praepara* a Sagaristione dici ad Toxilum; deinde sequentia: *Vide* — *auspicato* ab eodem ad virginem, cui respondet virgo: *Liquidum e. ausp.* Dein Toxilus rem adparare atque incboare aggreditur. Atque sic Bothius, qui tamen legit *Age*, *age nunc tu* — *impera.*

59. Deest *huc* in libris, quod addidi et sensus et versus causa.

61. *haud possum.* Sic Ven. et Pareus et vett. — Vulg. *h. possim.*

62. *me adesse una*, sc. tibi.

63. Cum Lambino scripsi: *Do ergo t. o.* quod et Acidalius videtur approbare. Vulg. Ven. Vett. *Do ego t. o.* — *tibi* in totum elidendum: nisi malis *ergo* correptim pronunciare, uti sane faciendum est Mil. 4, 2, 18.

69. *mi homo*, uti Cist. 4, 2, 58. Truc. 5, 50. Corripitur *mi* Cist. 4, 2, 54.

71. Ex duobus unum feci versum inclusis supposititiis; quae tamen in omnibus edd. leguntur. Bothius *Divi* scripsit, et duos senarios dedit, quum tamen nonnisi tetrametri hic legantur. — *Quid nomen.* Sic omnes edd. At Both. *Quod n.* — Ceterum Lambinus: *To. Noli flere. V. Ah! To. Di ist. p.*

74. *quantivis*, i. e. maximi, quippe quod a *lucro* descendat. Cf. Epid. 3, 3, 29.

Nímis pavebam né peccaret. Éxpedivit. *D.* Sí te emam,
Mihi quoque Lucridém confido fóre te. *To.* Tu si hanc émeris,
Núnquam hercle hunc menaém vortentem, crédo, servibít tibi.
D. Íta velim quidem hércle. *To.* Optata ut éveniant, operam áddito. —
Nihil adhuc peccávit etiam. *D.* Úbi tu nata es? *V.* Út mihi
Máter dixit, ín culina, in ángulo ad laevám manum.
To. Haéc erit tibi faústa meretrix: náta est in calidó loco,
Úbi rerum omniúm bonarum cópia est saepíssume. —
Táctust leno, quí rogarat, úbi nata esset, díceret.
Lépide lusit. *D.* Át ego patriam té rogo quae sít tua.
V. Quaé mihi sit, nisi haéc, ubi nunc sum? *D.* At égo illam quaero, quaé fuit.
V. Ómne ego pro nihilo ésse duco, quód fuit, quandó fuit.
Támquam hominem, quando ánimam efflavit, quíd eum quaeras, quí fuit?
To. Íta me di bene amént, sapienter! átque equidem miserét tamen.
D. Séd tamen, virgo, quaé patria est tua, áge, mihi actutum éxpedi. [Quid taces?]
V. Díco equidem patriám. Quandoquidem hic sérvio, haec patria ést mea.
To. Iám de istoc rogáre omitte. Nón vides, nolle éloqui,
Né suarum se míseriarum in mémoriam inducás? *D.* Quid est?
Cáptusne est patér? *V.* Non captus; séd, quod habuit, pérdidit.
To. Haéc erit bono génere nata: níl scit, nisi verúm, loqui.
D. Quís fuit? dic nómen. *V.* Quid illum míserum memorem, quí fuit?
Núnc et illum Miserum ét me Miseram aéquom est nominárier.
D. Quoíusmodi is in pópulo habitus est? *V.* Némo quisquam accéptior.
Sérvi liberíque amabant. *To.* Hóminem miserum praédicas,
Quúm prope ipsus pérditus est, et bénevolentis pérdidit.
D. Émam, opinor. *To.* Étiam „opinor?“ *D.* Súmmo genere esse árbitror.
To. Dívitias tu ex ístac facies. *D.* Íta di faxint! *To.* Éme modo.
V. Iam hóc tibi dico: actútum ecastor méus pater, ubi mé sciet

76. *Mihi* lege *mi*, et *Lucridem* producta prima, uti *lucrum* producitur 1, 2, 118.
78. Vett. et Ven. *optata ut conveniant.* Nostr. vulg.
80. Pro *in culina* Lipsius maluerit: *inquilina*, nulla causa.
82. Omnes edd. *saepissime.* Bothius ex Taubmanno: *sapidissima.* Acidalius: *copia est copissima.* Nam *saepissime* languere visum.
86. *duco* scripsi pro vulg. *ducto*, quod foret ἅπαξ λεγόμενον hoc sensu. Habent tamen omnes.
89. Vett. *age nunc act. exp.* Nostr. Pall. Ven. et vulg. — Verba *Quid taces?* quae in omnibus leguntur, inepta et spuria esse quivis videt.
90. Inconsulto Bothius eiecerat v. *patriam*, retinuerat: *Quid taces?*
93. Omnes: *id perdidit.* — Apta autem haec sunt patri virginis vero, i. e. parasito, qui sua perdiderat.
99. Vett. *probe*, ut et Both. — Ven. et vulg. *Quum ipsus probe perditus est.* Nostr. Acidal. — *benevolentes perdidit*, h. e. fautores amisit.
102. Omnes edd. *iam actutum.*

Vénisse, aderit ét me absentem rédimet.... *To.* Quid [ais] núnc? *D.* Quid est?
To. Aúdin', quid ait? *V.* Nám etsi res sunt fráctae, amici súnt tamen.
D. Né, sis, plora: líbera eris actútum, si — crebró cades.
Vín' mea esse? *V.* Dúm quidem ne nímis diu tua sím, volo.
To. Sátin' ut meminit líbertatis? Dábit haec tibi grandés bolos.
Áge, si quid agis! Égo ad hunc redeo. — Séquere. — Reduco hánc tibi.
D. Ádulescens, vin' véndere istanc? *Sa.* Mágis lubet, quam pérdere.
D. Túm tu pauca in vérba confer: quí datur, tanti índica.
Sa. Fáciam ita, ut te vélle video. Hábe tibi centúm minis.
D. Nímium est. *Sa.* Octogínta. *D.* Nimium est. *Sa.* Númus abesse hinc nón potest,
Quód nunc dicam. *D.* Quíd id est ergo? elóquere actutum, atque índica.
Sa. Túo periculó sexaginta haéc datur argentí minis.
D. Tóxile, quid agó? *To.* Di deaeque te ágitant iratí, scelus,
Qui hánc non properes déstinare! *D.* Habébo. *To.* Eu, praedatús probe!
[Abi, argentum effer huc.]
Nón edepol minís trecentis cára est. Fecistí lucri.
Sa. Heús tu, etiam pro véstimentis húc decem accedánt minae.
D. Ábscedent enim, nón accedent. *To.* Táce, sis: non tu illúm vides
Quaérere ansam, inféctum ut faciat? Ábin', atque argentúm petis?
D. Heús tu, serva istúnc! *To.* Quin tu is intro? *D.* Ábeo atque argentum ádfero.

---

103. Omnes: *Venisse huc, aderit hic, et me absentem redimet. T. Quid nunc? D. Quid est?* Primum *venisse* non est a *venio*, sed a *vaeneo*. Ideo abliciendum *huc*. Deinde non mutarim *absentem* in *abs te*, quod fecit Bothius. Denique accentus postulat, ut *redimet* primus sit trochaeus alterius dimidiae partis tetrametri. Hinc colligo, et *hic* et *huc* oportere abiici, et pro *Quid nunc?* legendum esse vel *Quid ais nunc?* vel *Quid agis nunc?*

105. Verba *crebro cades* aversus a puella ad spectatores dicit.

107. *Satin' ut*, i. e. Nonne? Cf. Bacch. 3, 3, 87. Merc. 2, 4, 13. Men. 1, 2, 67. Mil. 4, 3, 41. — *bolos dare*, lucrum facere ex aliquo. Truc. 4, 2, 15. et I, 1, 10. et 4, 3, 70. Poen. prol. 101. Curc. 5, 2, 13. 14. Rud. 2, 3, 30.

108. *ad hunc*, sc. Sagaristionem. — *Sequere.* Hoc ad virginem ait. — *Reduco hanc tibi;* haec ad Sagaristionem. Atque memorabile exemplum productae re compositivae in praesenti, per licentiam videlicet.

109. *Adulescens, guter Freund.* Non enim cogitandum de adolescentulo ex nostro more. Cf. not. ad Most. 3, 1, 120.

110. Vulg. *qui datur, tanti indica.* Pall. et Vett. *quid datur, tanti indica.* Veneta: *quid datur quanti indica.* Cf. supra v. 41. *qui* i. e. q. *quanti.*

111. Post *video*, (pro quo Pall. Ven. et Vett. *videam*,) omnes addunt *ut emas.* Nostr. Both.

116. *Habeto.* Sic V. C. et vulgata. Interim Ven. Dec. *Habebo.* Cf. Merc. 2, 3, 101. Atque sic Both., ut sit sensus: *mea esto puella.*

117. Haec, quae in omnibus leguntur, recte meo quidem iudicio inclusit Bothius.

119. *etiam*, adhuc, praeterea. — Vulg. *accedent.* Vett. et Ven. *accedant.* Illud ex mutatione Acidalii. Sed et Pareus habet.

ACTUS IV. SCENA V.

TOXILUS. VIRGO. SAGARISTIO.

To. Edepól dedisti, vírgo, operam adlaudábilem,
Probam ét sapientem et sóbriam. *V.* Si quíd bonis
Boní fit, esse idem ét grave et gratúm solet.
To. Audín' tu, Persa, ubi árgentum ab hoc accéperis,
Simuláto, quasi eas prórsum in navem. *Sa.* Né doce.
To. Per ángiportum rúrsum te ad me récipito
Illác per hortum. *Sa.* Quód futurum est, praédicas.
To. At, né cum argento prótinam permutés domum,
Moneó te. *Sa.* Quod te dígnum est, me dignum ésse vis?
To. Tace; párce voci: praéda progreditúr foras.

ACTUS IV. SCENA VI.

DORDALUS. SAGARISTIO. TOXILUS.

D. Probáti argenti hic súnt sexagintá minae,
Duóbus numis mínus. *Sa.* Quid ei numí sciunt?
D. Cruménam hanc emere, aut fácere ut remigrét domum.
Sa. Ne nón sat esses léno, id metuebás, miser,
Impúre, avare, né crumenam amítteres?
To. Sine, quaéso: quando léno est, nihil mirúm facit.
D. Lucró faciundo ego aúspicavi in húnc diem:
Nil míhi tam parvi est, quín me id pigeat pérdere.
Age, áccipe hoc, sis. *Sa.* Húnc in collum, nísi piget,
Impóne. *D.* Vero fíat. *Sa.* Numquid céterum
Me vóltis? *To.* Quid tam próperas? *Sa.* Ita negótium est:
Mandátae quae sunt, vólo deferre epístolas;
Geminum aútem fratrem sérvire audivi híc meum:
Eum ego út requiram átque ut redimam, pérgere

Act. IV. Sc. V. Postquam introiit leno, primum Toxilus laudat puellam ob rem bene gestam, deinde Sagaristionem edocet, quid sit ei faciendum, ubi argentum a Dordalo acceperit.

1. *allaudabilem.* Sic V. C. et vulg. et vett. At Ven. cum Dec. *laudabilem.*

3. *grave*, h. e. magni faciunt illud boni. *gratum*, i. e. gratiam habent. De sententia, cf. similia Amph. prol. 47—49.

4. *Persa.* Per iocum sic alloquitur ipsum Sagaristionem.

8. *permutes*, h. e. in aliam domum divertas, ad te domum abeas.

Act. IV. Sc. VI. Affert leno argentum. Id accipit Sagaristio, abiensque ait, se velle liberare aliquem fratrem suum, interroganteque lenone quod nomen ei sit, perlongum fictumque eloquitur nomen, et abit.

1. Omnes: *Probati hic arg. sunt.* Both. *Probae hic arg. sunt s. m.* Cdd. *probat.*

2. Omnes: *minus est.* — *sciunt*, i. e. sibi volunt. Sic in omnibus legitur. Cf. infra V, 2, 76. Curc. V, 2, 22. Trin. III, 3, 39.

3. *Crumenam emere;* volunt aut iubent, ut haec crumena ematur separatim a te, aut domum ad me remigret. — *facere* non elidendum, uti neque Amph. prol. 152. Cf. ibi 36. aut leg. *facered*, uti Bothius illic fecit. An *remigret* in init. producendum, ut IV, 4, 108. *reduco?*

8. *quin me id.* Sic Veneta. Vulg. et vett. *quin id me.*

9. *Collus* masculinum v. Capt. 2, 2, 107. IV, 3, 2.

14. *ut redimam*, *volo.* Sic omnes, omisso *pergere.* At Lamb. qui sane

Volo. *To.* Átque edepol tu mé commonuisti haúd male:
Videór vidisse hic fórma persimilém tui,
Eàdém staturà. *Sa.* Quíppe qui fratér siet.
D. Sed scíre velimus, quód tibi nomén siet.
To. Quid áttinet, nos scíre? *Sa.* Ausculta ergo, út scias:
Vaníloquidorus, Vírginisvendónides,
Nugípolyloquides, Árgentiexterebrónides,
Tedígniloquides, Númmorumexpalpónides,
Quodsémelarripides, Núnqusmposteaéddides.
D. Heu hércle nomen múltis modis scriptúm est tuom.
Sa. Ita súnt Persarum móres: longa nómina
Contórtiplicata habémus. Numquid céterum
Voltís? *D.* Vale. *Sa.* Et vos: nam ánimus in navi ést meus.
D. Cras íres potius, hódie hic coenarés. Vale.

ACTUS IV. SCENA VII.

TOXILUS. DORDALUS. VIRGO. SATURIO.

To. Postquam íllic abiit, dícere hic quidvís licet.
Nae hic tíbi dies illúxit lucrificábilis:
Nam nón emisti hanc, vérum fecistí lucri.
D. Illé quidem iam scit, quíd negoti gésserit,
Qui míhi furtivam méo periclo véndidit;
Argéntum accepit, ábiit; qui ego núnc scio,
An iam ádseratur haéc manu? Quo illúm sequar?
In Pérsas? nugas. *To.* Crédidi gratúm fore
Benefícium meum apúd te. *D.* Imo equidem grátiam
Tibi, Tóxile, habeo: nám sensi te sédulo
Mihi dáre bonam operam. *To.* Tíbin' ego? *D.* Imo sério.
Attát! oblitus sum íntus dudum edícere,
Quae vólui edicta. Adsérva hanc. *To.* Salva est ,haéc quidem.

plura h. l. ex codd. suis emendavit, (v. vs. 18.) scripsit: *pergere volo.* Unde forsitan leg. *atque ut redimam*, *pergere Volo*, praesertim quum sic et sequens versiculus melius constet.

18. Hunc versum dedit Lambinus ex vetere codice. Nam in Veneta et Pall. prorsus desideratur. Ex Lambino habent Vett. et vulg.

19. Vett. *Quid attinet nomen scire?*

23. *Numquampostеareddides.* Sic scripsi pro vulg. *Numquamposteaeripides.* Veneta mutilate: *nunquam eripi.* Neque Pall. habent *postea.* Both. *Numquameripides postea.* Quod non videtur aptum, quia integrùm nomen decet terminari, uti reliqua, in *ides*, et *postea* potius inseri. *ea* autem in *postea* contrahenda.

Act. IV. Sc. VII. Gratulatur Toxilus Dordalo emtam puellam. Is tamen sibi metuit, ne asseratur manu. Ceterum gratum se profitetur Toxilo. Deinde aliquid servis intus imperatum abiturus, Toxilo servandam interim mandat puellam, atque introit. Toxilus evocat Saturionem, ut iam asserat filiam.

5. *furtivam.* Cf. 4, 3, 61.

6. *Qui ego.* Sic Both. cum Veneta. Vulg. et Vett. *Quid ego.*

7. *iam* i. e. q. brevi, mox. Sic: *iam redeo* i. q. statim redibo.

9. *gratum fore apud te.* Cf. Amphitr. prol. 48.

11. Both. *To. Tibin' ego? — Numo servii.* Quod foret languidum, minimeque facetum. Vulg. *To. Tibin' ego? imo servii*, quod nullum sensum habet. Vett. et Ven. *Tibin ego? immo servi.* At Lambinus ex codd. *imo serio*, quod Dordalo assignandum esse vidit Acidalius.

12. *dudum*, paullo ante.

V. Patér nunc cessat. *To.* Quíd, si admoneam? *V.* Témpus est.
To. Heus, Sáturio, exi! núnc est illa occásio
Inimícum ulcisci. *Sat.* Écce me! numquíd moror?
To. Age, illúc abscede prócul e conspectú; tace.
Ubi cúm lenone mé videbis cólloqui,
Tum túrbam facito. *Sat.* Díctum sapientí sat est.

ACTUS IV. SCENA VIII.

DORDALUS. TOXILUS.

D. Transcídi loris ómneis adveniéns domi,
Ita míhi supellex squálet atque aedés meae.
To. Redís tu tandem? *D.* Rédeo. *To.* Nae ego hodié tibi
Bona múlta feci. *D.* Fáteor: habeo grátiam.
To. Num quídpiam aliud mé vis? *D.* Ut bene sít tibi.
To. Pol istúc quidem omne iám ego usurpabó domi:
Nam iam ínclinabo mé cum libertá tua.
[Tu, quándo abiero ..... *D.* Quín taces? Scio, quíd velis.]

ACTUS IV. SCENA IX.

SATURIO. DORDALUS. VIRGO.

Sat. Nisi égo illunc hominem pérdo. *D.* Perii. *Sat.* Atque óptume
Eccum ípsum ante aedes! *V.* Sálve multum, mí pater.
Sat. Salvé, mea gnata. *D.* Pérsa me pessúmdedit!
V. Pater híc meus est. *D.* Hem, quíd? pater? Perii óppido!
Quid ego ígitur cesso infélix lamentárier
Minás sexaginta? *Sat.* Égo pol te faciám, scelus,

17. Vulg. et vett. *e conspectu. Sat. Tace. To. Ubi* etc. Nostr. Veneta. Both. *e conspectu, et tace.*

Act. IV. Sc. VIII. Redit Dordalus. Abit Toxilus. Ceterum scenas hic male dirimi quivis facile videt.

1. *Transcidi, ich habe sie alle durchgehauen.* Verbum deducunt a *transcaedere* aut a *transcindere*, ut *conscindere.* Praep. *trans* saepenumero habet significatum pervadendi, ut *transigere vitam* est: per vitam *pervadere*, et *transire per gulam* de cibis, pervadere per gulam. Cf. V, 2, 47. ubi Dordalus: *Di faciant, ut id bibatis, quod vos numquam transeat.* Sic *transcindere* est conscindere ita ut perscindatur corium. — Rem ipsam quod attinet digna quae conferatur est ex Pseudoli Actu I, scena II.

4. Vulg. Vett. Ven. *Bonam vitam feci.* At ego quidem Lambinum sequor. Cf. IV, 3, 23. — Deinde vulg. et Ven. *Fateor habere gratiam.* Vett. *Fateor, habeoque gratiam.* At V. C. *habeo* absque copula.

6. Sic vett. et Veneta. Vulg. *iam ego omne.* — Sensus est: Ego faciam, domi ut mihi bene sit.

8. Hic versus in codice Ambrosiano ab Angelo Maio repertus est, ubi tamen sic legitur: *Tunc qu.* Ceterum bene etiam eo omisso scena finietur, ac fortasse melius.

Act. IV. Sc. IX. Advenit Saturio, filiamque asserit, et Dordalum ad praetorem abducit.

1. Sic edd., atque in primis Saturionis verbis est aposiopesis. Bothius verbum *perii* eidem Saturioni tribuit, Acidalium secutus, qui tamen ambiguus haesit inter utramque rationem.

3. Vulg. ante *Persa* habet interi. *Hei*, quam ignorant vett. et Veneta. Pall. *et Persa.*

Te quóque etiam ipsum ut lámenteris. *D.* Óccidi!
Sat. Age, ámbula in ius, léno. *D.* Quid me in iús vocas?
Sat. Illi ápud praetorem dícam. Sed ego in iús voco.
D. Nonne ántestaris? *Sat.* Tuán' ego causa, carnufex,
Quoiquám mortali líbero aures átteram,
Qui hic cómmercaris cíves homines líberos?
D. Sine dícam. *Sat.* Nolo. *D.* Aúdi. *Sat.* Surdus sum. Ámbula!
Sequere hác, scelesta féles virginária!
Sequere hác, mea nata, me úsque ad praetorém. *V.* Sequor.

ACTUS V. SCENA I.

TOXILUS. SAGARISTIO. LEMNISELENE.

To. Hóstibus victis, cívibus salvis, ré placida, pacíbus perfectis,
Béllo extincto, ré bene gesta, íntegro exercitu ét praesidiis,
Cúm bene nos, Iupitér, iuvisti, díque alii omnes coélipotentes,
Éà vobis gratés habeo atque ago: quía probe sum ultús meum inimicum.
Núnc ob eam rem intér participes dívidam praedam et párticipabo.
Íte foras: hic volo ante óstium et ianuam méos participes béne accipere.
Státuite hic lectulos! pónite hic, quae adsolent! Híc statui volo prímum aquilam mihi;
Únde ego omnes hilarós, lubentis, laétificantis fáciam ut fiant,
Quórum opera haec mihi fácilia factu fácta sunt, quae vólui effieri:
Nam ímprobus est homo, quí beneficium scít accipere, et réddere nescit.
Le. Tóxile mi, cur égo sine te sum? Cúr autem tu sine me és? *To.* Agedum ergo,

9. *Illi*, i. e. illic. — *Sed — voco.* Both. D. *Sed ego... Sat. In ius voco.* Quodsi sequamur vulgatae rationem, coni. *Sed* erit accipienda pro *Sedenim*.

11. Antestatio ita fiebat, ut is, qui aliquem in ius vocabat, eorum aliquem, qui aderant, prehensa eius auricula, moneret, ut testaretur, se illum in ius vocasse. Cf. ad Curc. V, 2, 23. Hor. Sat. I, 9, fin. Liberum autem esse oportebat eum, qui testaretur. Servum testari non licebat.

14. *scelesta feles virginaria* est ipse leno, quia quasi feles virgines captabat.

Act. V. Sc. I. Gratulabundus sibi prodit Toxilus, et subservos suos iubet convivium apparare. Accedit Lemniselene, eumque amplectitur. Porro Sagaristio, cui aliam puellam praebet Toxilus. Ergo accumbunt, laetique potant.

1. *pacibus perfectis*, plur. pro singulari: pace facta.

4. *Ea*, i. e. ea de re.

6. *Ite foras.* Haec loquitur ad conservos suos, quos iubet apparare convivium.

7. Vulg. vett. Ven. *aquilam.* (Ven. et Dec. *aquila) mihi unde* etc. tamquam signum bellicum, ut maneat in allegoria. Lambinus autem iubet deleri verba *aquilam mihi.* Bothius nulla causa adiecta, fortasse per mendum, habet *aquolam mihi.*

8. Pro *lubentes*, i. e. laetes, quod habet vulg., vett. *ludentes*, ut et Veneta et mpl.

9. Versus a scansione impeditus, uti plures in hac fabula, dubio procul haud Plautina.

10. Edd. et Dec. *scit sumere.* V. C. *scit accipere.*

11. Sic omnes edd., atque *autem* corripiendum, quasi sit *a'tem* aut *'tem.* Cf. ad Amph. prol. 36. Merc. 2, 3, 84. Mil. 3, 1, 83. Stich. 1, 3, 59. Ergo non est quod transponamus cum Bothio.

Áccede, mea, ad me, átque amplectere, sís. *Le.* Ego vero. *To.* Oh, níhil magis dulce est!
Séd amabo, oculus méus, quin lectis nós actutum cómmendamus?
Le. Ómnia, quae tu vís, ea cupio. *To.* Mútua fiunt [a me]. Áge, age, age ergo.
Tú, Sagaristio, accúmbe in summo. *Sa.* Ego níl moror. Cedo parém, quem pepigi!
To. Témperi. *Sa.* Mi istuc témperi sero est. *To.* Hóc age: accumbe! húnc diem suavem
Méum natalem agitémus amoenum! Dáte aquam manibus! pónite mensam!
Do hanc tíbi florentem flórenti: tu hic éris dictatrix nóbis.
Age, púere, a summo séptenis cyathís committe hos lúdos!
Move mánus; propera; Paegniúm, tarde cyathós mihi das. Cedo sáne!
Bene míhi! bene vobis! béne meae amicaé! bene omnibus nóbis!
Optátus hic mihi dies dátus hodie est
Ab dís, quia te licet líberam me ampléсti. *Le.* Tua factum ópera.
Hoc méa manus poculum tuaé donat, ut amántem decet amánti.
To. Cedo! *Le.* Áccipe. *To.* Bene ei, qui ínvidet mihi, et éi, qui hoc gaudio gaúdet!

ACTUS V. SCENA II.

DORDALIUS. TOXILUS. SAGARISTIO. LEMNISELENE. PAEGNIUM.

D. Quí sunt, quique erúnt, quique fuerúnt, quique futurí sunt posthac,

12. Vett. *Accedin' ad me, atque amplecteris? T. Ego vero? oh, nihil magis dulce' st.* Veneta: *Accede ad me, atque amplectere sis* etc. Nostr. vulg. atque oportet accedere Lemniselenem, quoniam Toxilus versatur in media scena. In reliquis quae proxime sequuntur, edd. paululum recedunt a mea personarum ordinatione, quam unice iustam iudico. Nam certe verba: *Omnia quae tu vis, ea cupio* Lemniselenae esse debent, non Toxili.

14. *Mutua fiunt.* Omnes edd. addunt *a me*, quae probe poterunt omitti. Sic: *mutuum fit*, Mil. 4, 6, 38. item a mare enunciata, milite Pyrgopolinice.

15. *in summo*, sc. loco. — *Ego nil moror*, non tanti facio, accumbere, nisi mihi adduxeris parem, quem pepigi tecum ut habeam in hoc nostro convivio. *parem* autem dixit more gladiatorio, masculino genere. Acidalius tamen mallt *quam*.

16. *Temperi*, statim. De hoc verbo cf. Aul. 3, 4, 6. Merc. 5, 4, 30. Men. 3, 1, 17.

17. Omnes: *apponite mensam*.

18. *Do hanc tibi florentem florenti.* Ad haec verba cogitanda est prodire puella alia quaedam, quae sit par ille cum Sagaristione, quamque in seqq. alloquitur. Inepte Dousa de corolla intelligit.

21. *bene omnibus nobis.* Haec in omnibus edd. infra post *Tua factum opera* inculcantur. Similia v. Stich. 5, 4, 27. quae omnis scena cum hac nostra apte conferetur.

24. Vulg. et vett. *tuae poculum donat.* — Versus autem per hanc omnem scenam negligentiores, et quasi servorum, deprehenduntur.

Act. V. Sc. II. Redit a praetore leno lamentans. Deludunt eum convivantes.

1. Apparet, quoniam sequentes sunt perfecti atque acatalecti, etiam primum esse debere. Itaque dedi: *quique erunt*,

Sólus ego omnibús facile antideó, miserrumus hóminum ut vivam.
Périi, interii! péssumus hic mihi díes hodie illuxít: corruptor
Íta me Toxilus pérfabricavit, ítaque meam rem dívexavit.
Vehículum argenti míser eieci, amísi, neque, quamobrem éieci, habeo.
Quí illum Persam, atque ómnes Persas, átque etiam omnés personas
Mále di omnes pérdant! ita misér Toxilus haec míhi concivit.
Quía ei fidem non hábui argenti, eo míhi eas machinás molitust.
Quém pol ego in crúciatum atque in cómpedes cogám, si vivam,
Síquidem huc unquam herus éius redierit, quód spero. Sed quíd ego adspicio?
Hóc vide! quae haec fabula ést? Pol hi quidem pótant. Aggrediár. O bone vir,
Sálveto, et tu, bóna liberta. *To.* Dórdalus hic quidem est. *Sa.* Quín iube adire.
To. Ádi, si lubet. — Agite, ápplaudamus. Dórdale, homo lepidíssume, salve.
Lócus hic tuus est: híc accumbe. — Férte aquam pedibus! praében' tu, puer?
D. Né, sis, me uno dígito attigeris, né te ad terram, scélus, affligam.
P. Át tibi ego hoc contínuo cyatho óculum excutiám tuum.
D. Quíd ais, crux, stimulórum tritor? quómodo me hodie vórsavisti?
Út me in tricas cóniecisti? quómodo de Persá manus mi adita est?
To. Iúrgium hinc auferás, si sapias. *D.* Át, bona liberta, haéc scivisti et
Mé celavistí. *Le.* Stultitia est, quoí bene esse licet, éum praevorti

etsi in omnibus legatur *qui erunt*. Videri autem possint superflua, quum in sqq. addatur: *quique futuri sunt posthac*. Caeterum eadem fere leguntur Bacch. V, 1, 1—3.

2. Omnes: *antideo facile.*

5. *Vehiculum*. Comparat se aurigae, qui pessumdedit currum. Cf. Epid. 4, 2, 22. *plaustrum perculi.*

6. *Qui illum*, solemni dictione, pro: *ut illum*. Cf. Cas. 2, 4, 1. Men. 3, 1, 6.

7. Pro *concivit* Veneta: *constituit.*

8. *Quia ei fidem non habui argenti*, quia ei nolui credere, quod solvendum ei erat pro Lemniselene sua.

9. Vulg. Vett. Ven. *Quem pol ego ut non in cruciatum, atque in compedes cogam*, *s. v.* Bothius retinuit *ut non*, at pro *atque in* scripsit *ac*. Quivis videt, apte eiici illa *ut non*, quae quem sensum habeant, nemo facile constituerit.

10. Omnes: *redierit eius.*

11. *fabula est.* Sic omnes; atque in *fabula* elidenda est media, quasi sit *fab'la*. Sed et hoc signum supposititiae fabulae. De dictione v. Most. 4, 3, 5. — Pro vulg. *hic quidem* dedi *hi q.*

14. *huc accumbe.* Sic vulg. et vett. At Ven.: *hic acc.* — Omnes: *tu, puere.*

15. Haec D. ad Paegnium loquitur.

16. Sic vulg. et vett. — Ven. *At ego tibi.*

17. Haec Dordalus ad ipsum Toxilum. — *crux*, dignus cruce. Alibi est: qui cruciat, ut Aul. 3, 5, 48. alibi i. q. furia, ut Bacch. 4, 1, 12. — *stimulorum tritor* simili ratione et figura: qui quasi conteris stimulos, quum tamen stimuli ipsum conterant.

18. *de Persa*, h. e. quod attinet illum Persam; in negotio illo cum Persa gesto. *manus mihi adita est*, i. e. quomodo deceptus sum, frustratus sum. Poen. 2, 2, 11. Aul. 2, 8, 8.

19. *bona liberta.* Alloquitur Lemniselenem.

20. *Stultitia est.* Sensus: non decet, eum, cui bene licet esse, litigare

Lítibus. Posteriús istaec te magis pár agere est. *D.* Urítur mihi cor.
To. Da ílli cantharum; éxtingue ignem, sí cor uritur, cáput ne ardescat.
D. Lúdos me fácitis, intéllego.
To. Vín' cinaedúm novum tíbi dari, Paégnium?
P. Quin lúde, ut solés, quando líber locúst hic.
To. Babaé, basilicé te intulísti et facéte!
P. Decét me facétum esse, et húnc irridére
Lenónem lubído est, quandó dignus ést.
To. Perge, út coeperás.
P. Hoc, léno, tibí!
D. Perií, perculít me prope! *P.* Hém, servo rúrsum!
To. Delúde, ut lubét,
Herús dum hinc abést!
P. Vidén', ut tuís
Dictís pareó?
Sed quín tu meís contra itém dictis sérvis,
Atque hóc, quod tibí suadeó, facis? *D.* Quid ést id?
P. Réstim tu tíbi cape crássam, ac suspénde te!
D. Cave, sís, me attigás, ne tibi hóc scipióne
Malúm magnum dém. *P.* Uteré: te condóno.
To. Iámiam, Paegniúm, da pausam.
D. Égo pol vos erádicabo.
To. Át te ille, qui suprá nos habitat,
Quí tibi male volt, máleque faciet. Nón hi dicunt, vérum ego.
To. Áge, circumfer múlsum: bibere da úsque plenis cántharis!
Iám diu factum est, póstquam bibimus; nímis diu siccí sumus.
D. Dí faciant, ut íd bibatis, quód vos nunquam tránseat!
P. Néqueo, leno, quín tibi saltem státiculum, olim quem Hégea
Fáciebat. Vide véro, si tibi sátis placet. *Sa.* Me quóque volo
Réddere, Diodórus quem olim fáciebat in Iónia.

potius, quam laete hilareque degere. — *esse* monosyllabum. — *praevorti* alicui rei aut aliquid i. e. q. potius agere aliquid, quam aliud quidpiam. Cf. Mil. 3, 1, 168. 4, 2, 102. Merc. 2, 3, 39. Capt. 2, 3, 100.

21. *Posterius*, posthac, alio tempore.

25. Sic Veneta. Vett. et vulg. *Quin elude.* Ceterum editiones vs. 24—26. uni Toxilo tribuunt.

26. Omnes *Hui babae!* Verum quid duplex interiectio? Enimvero *hui* ortum ex *hic*, quod in fine praecedentis legitur; quod delevit Bothius, retinuit *hui.* — Ceterum haec ad Paegnium ait, qui perculerat lenonem. Cf. v. 29.

31. *servo.* Sic Acidalius. Nimirum Paegnium lenonem prope perculerat ita ut paene humum procideret; unde ille exclamaverat: perii. Igitur ait, se eum iam servare velle, atque ab altero latere ictum infligit. Vulg. Ven. Vett. *serva.*

37. Pro *facis* Veneta: *scias?*

40. *Utere*, sc. magno malo. *te condono*, tibi dono do malum. De *utere* in fine producto cf. ind. litera *e* ab init.

47. *quod vos nunquam transeat*, i. e. venenum, quo iugulemini, quo suffocemini. *Transire* enim est: pervadere per aliquid, uti potus per corpus pervadit. Cf. ad IV, 8, 1.

48. *saltem*, coni. a. v. saltare. *staticulus* genus erat saltationis, cuius et Macrobius meminit.

49. *si tibi placet*, h. e. an tibi placeat. Sic *si* saepenumero pro *an*. Cf. Cas. 3, 4, 1. Curc. 2, 3, 20. Most. 3, 2, 153.

50. *Me quoque volo reddere*, h. e. Ego quoque volo exhibere saltandi modum, quem Diodorus olim. — Quid de

D. Málum ego vobis dábo, ni abitis! *Sa.* Étiam muttis, ímpudens?
Iám ego tibi, si me írritassis, Pérsam adducam dénuo.
D. Iám taceo hercle. At tú Persa es, qui me úsque admutilasti ád cutem!
To. Táce, stulte: hic eius géminust frater. *D.* Híccine est? *To.* Ac geminíssumus.
D. Dí deaeque et te et géminum fratrem excrúcient! *Sa.* Qui te pérdidit:
Nam égo nil merui. *D.* At énim, quod ille méruit, tibi id obsít volo.
To. Ágite, sultis, hunc lúdificemus, nísi non dignus est. *Sa.* Núnc opust.
Le. Át me haud par est. *To.* Eó, credo, quia inçónciliavit, quóm te emo.
Le. Át tamen .... *To.* Non támen! Cave ergo, sís, malo, et séquere me.
Té mihi dicto aúdientem esse áddecet: nam hercle ábsque me
Fóret et meo praesídio, hic faceret té prostibulam própediem.
Séd ita pars libértinorum est, nísi patrono qui ádvorsatust,
Néc satis liber síbi videtur, néc satis frugi, néc sat honestus,
Ní ei offecit, ní male dixit, ní grato ingratús repertust.
Le. Pól benefacta túa me hortantur, túo ut imperio páream.
To. Égo sum tibi patrónus plane, qui huíc pro te argentúm dedi:
Pró hisce hunc volo lúdificari. *Le.* Meo ego ín loco seduló curabo.
D. Cérto illi homines míhi nescio quid cónsulunt quod fáciant. *Sa.* Heus vos.
To. Quíd ais? *Sa.* Hiccine Dórdalus est lenó, qui hic liberás mercatur?

hoc loco somniarit Acidalius, qui *saltem* pro adverbio habet, non potui perspicere. Similiter et Pareus peccavit.

53. Omnes: *Atque tu — admutilavisti*.

57. *Nunc opust*. Sic Bothius. Edd. omnes: *Non opust*.

58. *At me haud par est*, sc. quia liberta eius sum. — *quia inconciliavit*, quia mihi negotia facessivit, ideo quod te emebam, seu quum te emebam. Nam hic sensus est v. *inconciliare*. Cf. not. ad Bacch. 3, 6, 22. Most. 3, 1, 81. Trin. 1, 2, 99. Primitivum enim eius, *conciliare*, est: emere; *inconciliare* ergo: aut emtionem impedire, aut circà emtionem alicui negotia facessere, aut aliquem decipere. — Verum edd. omnes h. l. habent: *quia non inc.* Quod iam per metrum ferri non posse, patet; deinde sensus postulat, ut abiiciatur negatio. *Quia* autem, ut saepius, monosyllabum est, et penitus elidendum. — *quum te emo*. Vide ind. v. *praesens pro perfecto*.

61. *prostibulam*. Sic vett. et Ven. — Vulg. Pal. et Both. *prostibilem*. Illud et in Fragmentis Astrabae Plauti occurrit.

63. *nec sat honestus*. Sic Veneta. Vulg. *nec satis h.* Vett. *nec honestus satis*.

64. *Ni ei offecit*. Sic Bothius. Pall. Vulg. vett. Ven. *Ni id efficit*, nullo sensu. Al. *ni illi offuit*.

67. *Pro hisce*. Pro hisce Veneta: *Hic est*, *hic est*. Decurt. *** *hic est hunc. v. l.* V. C. ****** *hice hunc*. Bothius, Graecum subesse suspicatus, dedit: *κολάφιζ' hunc*. *Volo ludificari*. — *Meo ego in l.* etc. Sic omnes, atque in v. *sedulo* elidenda *u*, cuius simile faciendum in *obsecro*, *optime*, etc.

68. Edd. post *nescio quid* addunt *mali*. — Vett. *nescio quid mali conciunt quid faciant*. *S. heu vos*. Veneta et vulg. *consulunt*.

69. Edd. post *liberas* addunt *virgines*. In vulg. et V. C. deest v. *mercatur*, quod tamen habet Veneta et Decurt. et Vett. Lambinus contra ait supplendum, non scribendum esse.

Ilíccine est, qui fuit quóndam fortis? *D*. Quaé haec rest? Hei, cólaphum icit.
Málum vobis dabo. *To*. At tíbi nos dedimus, dábimusque etiam. *D*. Hei, nátis pervellit.
P. Lícet: diu saepe súnt expunctae. *D*. Lóquere tu etiam, frústum pueri?
Le. Pátrone, i intro, amábo, ad coenam. *D*. Mea ígnavia, tu núnc me irrides?
Le. Quíane te voco, béne ut tibi sit? *D*. Nólo mihi bene ésse. *Le*. Ne sit.
To. Quíd igitur? sexcénti numi quíd agunt? quas turbás danunt?
D. Mále disperii! scíunt referre próbe inimico grátiam.
To. Sátis sumpsimus supplícii? *D*. Fateor; mánus vobis do. *To*. Et póst dabis
Súb furcis. Abi íntro. *Sa*. In crucem! *D*. Ánne hic parum exércitum
Hísce me habent? *To*. Cónvenisse Tóxilum te mémineris.
Spéctatores, béne valete. Léno periit: plaúdite.

71. *dabimusque etiam*, i. e. iterum dabimus. — *Nates* quasi monosyllabum enunciandae.

72. *loquere tu etiam?* i. e. interumne tu loqueris? pergisne tu loqui? *frustum pueri*, qui non es nisi frustum hominis, non integer homo, utpote qui puer et brevi statura. — Veneta, uti et Pall. *Licet. iam diu*. Unde quaeritur, an non plane abesse possit *Licet*.

77. Omnes: *supplicii iam*. Bothius habet interrogationem.

79. *Anne hic parum*. Sic vett. et Veneta. Vulg. *An me hic*. — *Hisce* pro *Hice*. — *me* sequente aspirata corripitur. Sensus: An parum hi me hic exercuerunt, ut intus etiam et porro exercendus sim? — Edd. *Conven. te Tox. mem*.

METRORUM IN PERSA
DESCRIPTIO.

Act. I. Sc. I. v. 1—6 tetr. iamb. cat.
v. 7, 8 tetr. iamb. catal.
v. 9—12 tetr. iamb. acat.
v. 13—16 tetr. troch. acat.
v. 17 tetr. cret.
v. 18 tetr. troch. catal.
v. 19—22 tetr. iamb. catal.
v. 23—25 tetr. iamb. acat.
v. 26 tetr. troch. catal.
v. 27 dimeter troch. catal.
v. 28 tetr. troch. catal.
v. 29 dim. troch. catal.
v. 30 iambus. pausa.
v. 31 anapaest. dim.
v. 32 tetr. iamb. catal.
v. 33 tetr. troch. cat.
v. 34 tetr. iamb. catal.
v. 35 tetr. iamb. acat.
v. 36 tetr. iamb. hyperc.
v. 37 tetr. troch. cat.
v. 38, 39 tetr. troch. acat.
v. 40 dimeter iamb.
v. 41 tetr. iamb. hyperc.
v. 42 tetr. troch. acat.
v. 43, 44 tetr. troch. cat.
v. 45—48 tetr. iamb. catal.
v. 49, 50 tetr. iamb. acat.
v. 51—53 tetr. iamb. catal.
v. 54 senar. iamb.
Act. I. Sc. II. III. senarii iamb.
Act. II. Sc. I. tetr. troch. spond. acat.
Act. II. Sc. II. 1—9 tetr. troch. cat.
v. 10, 11 tetr. troch. acat.
v. 12, 13 tetr. troch. cat.
v. 14 tetr. troch. acat.
v. 15 dimet. troch. catal.
v. 16, 17, tetr. tr. cat.
v. 18—20 tetr. troch. acatal.
v. 21—fin. tetr. troch. catal.
Act. II. Sc. III. v. 1 tetr. troch. acat.
v. 2 tetr. bacch.
v. 3—7 dimetri iamb.
v. 8—10 tetr. troch. acat.
v. 11—13 tetr. troch. catal.
v. 14, 15 tetr. troch. acatal.
v. 16—19 tetr. troch. catal.
v. 20, 21 tetr. iamb. catal.
v. 22 tetr. iamb. acatal.
Act. II. Sc. IV. v. 1, 2 tetr. troch. acat.
v. 3—6 tetr. troch. catal.
v. 7 tetr. iamb. acat.
v. 8—Sc. V. fin. tetr. iamb. catal.
Act. III. Sc. I. II. III. Act. IV. Sc. I. II. Senar. iamb.
Act. IV. Sc. III. 1, 2 tetr. troch. catal.
v. 3 tetr. tr. acat.
v. 4 tetr. tr. cat.
v. 5 acatal.
v. 6—15 tetr. troch. catal.
v. 16 tetr. iamb. catal.
v. 17 tetr. iamb. hypercat.
v. 18, 19 tetr. troch. acatal.
v. 20—39 dimetri anapaest.
v. 40—51 senarii iamb.
v. 52—53 tetr. troch. catal.
v. 54 tetr. iamb. acat.
v. 55—58 tetr. troch. catal.
v. 59—66 senar. iamb.
v. 67—Sc. IV. fin. tetr. troch. cat.
Act. IV. Sc. V. VI. VII. VIII. IX. trimetri iambici.
Act. V. Sc. I. 1—17 tetr. spond. acat.
v. 18—21 tetr. iamb. catal.
v. 22 dimeter anapaest.
v. 23—27 tetr. iamb. catal.
Act. V. Sc. II. 1—22 tetr. spond. acat.
v. 23 tripodia cret.
v. 24 tetr. cret.
v. 25—28 tetr. bacch. uno catal.
v. 29, 30 dochmiaci.
v. 31 tetr. bacch.
v. 32—35 dochmiaci.
v. 36, 37 bacchiac. tetr.
v. 38 cret. tetr.
v. 39, 40 bacch. tetr.
v. 41—43 dimetri troch.
v. 44—61 tetr. troch. catal.
v. 62—64 tetr. troch. acat.
v. 65, 66 catal.
v. 67—74 acat.
v. 75—fin. catal.

POENULUS.

DRAMATIS PERSONAE.

AGORASTOCLES, adolescens.
MILPHIO, eius servus.
ADELPHASIUM, meretrix.
ANTERASTYLIS, meretrix,
LYCUS, leno.
ANTHEMONIDES, miles.
ADVOCATI.
COLLYBISCUS, villicus.
SYNCERASTUS, servus.
HANNO, Carthaginiensis.
GIDDENEME, nutrix.
PUER.
ANCILLA.

SUMMARIUM.

Carthagine duo fratres vixere; quorum alteri, Hannoni nomine, surreptae sunt geminae filiae, Adelphasium et Anterastylis, Calydonemque devectae, et a Lyco lenone emtae. Ibidem dudum vixerat alterius fratris filius, Agorastocles, item surreptus, venditusque seni Antidamanti, qui eum adoptaverat. Is Agorastocles amat Adelphasium; Anterastylin autem Anthemonides miles. Agorastocles cum servo Milphione consilium init decipiendi lenonis. Subornant villicum Collybiscum, ut is tamquam advena peregrinus, pecunia numerata, apud eum amet. Quo facto, ex composito Agorastocles cum advocatis advenit, lenonemque doli arguit, et servum suum asserit. Interea advenit Hanno, quaerens filias, quum aguntur Aphrodisia. Agnoscit ergo et fratris filium Agorastoclem, et suas ipsius filias, easque ab lenone abducit, et Adelphasium in matrimonium dat Agorastocli.

(Scena est Calydone. Fabula vix videatur Plauti esse.)

ARGUMENTUM.

Puer séptuennis surripitur Carthágine.
Osór mulierum adóptat hunc emtúm senex
Et fácit heredem. Éius cognataé duae
Nutríxque earum ráptae. Mercatúr Lycus,
Vexátque amantem. At ílle cum auro villicum
Lenóni obtrudit; íta eum furto ádligat.
Venit Hánno Poenus, gnátum hunc fratris répperit
Suásque agnoscit, quás perdiderat, filias.

PROLOGUS.

Achilem Áristarchi míhi commentarí iubet:
Inde míhi principium cápiam ex ea tragoédia:
„Siléteque et tacéte atque animum advórtite!“
Audíre iubet vos ímperator hístricus,
Bonóque ut animo sédeant in subséllíis,
Et qui ésurientes ét qui saturi vénerint.
Qui edístis, muito fécistis sapiéntius;

Argum. vs. 1. *Puer septuennis*, videlicet Agorastocles.

2. Veneta: *emptum adoptat hunc*, uti Pall. — Nostr. vulg. et Vett.

Prologus v. 1. Bene Bothius dedit *Achilem* una *l.* Nam sic ubique fere in Plauto hoc nomen pronunciatur, quemadmodum Graece Ὦ Ἀχιλεῦ, quae est vera forma, illa autem duplicata l litera, magis ob versum efficta; quam deinde vulgo receperunt. Apud nostrum occurrit Merc. 2, 4, 20. Mil. 4, 2, 64. IV, 7, 6. quibus in locis pariter ut hic media brevi pronunciandum. Dubium, quomodo pronunciandum sit, Bacch. 4, 8. 14. Nam ibi et in ultima accentus poni possit: *Achilí.* Plane eandem cum nostra nominis scansionem habet argumentum metricum ad Soph. Philoctetem, versu 7. Τοῖς Ἡρακλέους τόξοισι, παιδί τ' Ἀχιλλέως. — Aristarchus ille Graecus fuit poeta, quem Suidas scribit septuaginta tragoedias docuisse. Is composuerat fabulam Achillem, cuius forte initium fuerit: *Σιγᾶτε, κεὐφημεῖτε, καὶ νοῦν πρόσσχετε!* quem eius versum Noster v. 3. expressit. Cf. de eo Festum in Prolato aere, ubi is scribit, Ennium illam tragoediam latine reddidisse. *commentari* est nostrum: *gedenken.* Cf. ad Cist. 2, 1, 42. Men. 5, 7, 32. Truc. 4, 2, 27. 29. Descendit enim a *mente*, et cohaeret significatione cum v. *comminisci*, quod Most. 3, 1, 129 est: *in memoriam revocare.* Similiter *commemorare* Pseud. 5, 1, 36. et *commeminisse*, Poen. 5, 2, 25. Hinc *commentarii* sunt *Gedenkbücher.* Cf. Cic. Phil. 3, 14. Sensus igitur hic: Iuvat, hic commemorare dictum ex Achille Aristarchi. Scansionem quod attinet, *Aristarchum* hic longa prima usurpatum credo, uti saepius in Plauto Homerico more primae breves producuntur, velut *aberravit* Men. prol. 31. et *Tarentum* ib. 39 et Truc. 3, 1, 5. al.

2. *Inde*, ut et *Unde* et *Inter* et alia, passim ab initio correptim profertur. V. Ind.

Qui nón edistis, sáturi fité fábulis.
Nam cuí paratum est, quód edit, nostra grátia
Nimis ést stultitia séssum impransum incédere.
Exsúrge, praeco, fác populo audiéntiam.
Iamdúdum exspecto, sí tuum officiúm sciás.
Exérce vocem, quám per vivis ét colis:
Nam nísi clamabis, tácitum te obrepét fames.
Age, núnc reside, dúplicem ut mercedém feras.
Bonum fáctum est, edícta ut servetís mea.
Scortum éxoletum né quis in proscénio
Sedeát, neu lictor vérbum, aut virgae múttiant;
Neu désignator praéter os obámbulet,
Neu séssum ducat, dum hístrio in scená siet.
Diu quí domi otiósi dormierúnt, decet
Animo aéquo nunc stent, vél dormire témperent.
Serví ne obsideant, líberis ut sít locus;
Vel aés pro capite dént; si id facere nón queunt,
Domum ábeant, vitent áncipiti infortúnio,
Ne et híc varientur vírgis, et lorís domi,
Si mínus curassint, cúm heri veniánt domum.
Nutríces púeros ínfantis minútulos
Domi út procurent, neú quae spectatum ásferant,
Ne et ípsae sitiant, ét pueri pereánt fame,
Neve ésurientes híc, quasi hoedi, obvágiant.

10. *incedere*, huc advenire, huc accedere. *Quod edit*, quod edat.

12. *Iamdudum*. Et ex hoc quem hic facit huius vocabuli usu, et ex aliis, colligi debet, non a Plauto profectum esse hunc prologum. Nam *iamdudum* Plauto est: paullo ante, modo. Contra h. l. aperte est: diu est, quod exspecto etc. — *si scias*, i. e. q. an scias. V. ind.

14. *quam per vivis et colis*, h. e. per quam vivis et colis, h. e. existis. Sic: *colere vitam*, ut Virg.: *Hanc olim veteres vitam coluere*. Cf. Amph. 1, 1, 154. *Sic colo*. In lectione nostra consentiunt Veneta, Vett. et Vulg. Bothius tamen *vivisque et* c. uti Pall. et Iunt.

14. *tacitum*. Sic Vulg. et vett. — At Ven. *statim*. *Obrepere* autem hic cum acc., quum plerumque dativum secum habeat.

15. *duplicem mercedem*, videlicet primum, pro praeconio quam accipis, deinde quod licebit tibi spectare fabulam. Cf. Asinar. prol. 5.

16. Sensus: utile vobis erit, ex re erit, si edicta mea observaritis. *factum ne elidas*. Eadem constructio legitur v. 45. Alias nuspiam in Plauto.

17. *ne quis*. Saepius in Plauto *quis* de feminino sexu, ut Epid. 4, 1, 8. et *quisquis*, Cist. 2, 3, 66. *et quisque* infra vs. 107. *Scortum exoletum* Acidalius opinatur esse genitivum, pro *scortorum exoletorum*. Verum haud opus.

18. Idem legi malit: *neu lictor verbo aut virga mutiat*. Verum nec hoc opus. Nam sensus: ne lictor verbum mutiat, aut ne virgae eius mutiant. Atque sic multo pulcrius dictum videtur, quia variatio maior existit in dictione.

19. *dissignator*. Sic V. C. *et* vulg. — Ven. et Vett. cum Decurtato: *designator*. Designatores erant *Marschälle* in ludis publicis et funeribus, *Ceremonienmeister*.

22. *stent, vel dorm. temp*. Sic Vulg. vett. et Ven. Pro *stent* tamen alii: *sient*, et pro *vel* Lamb. malit *et*. Quodsi legeris *sient*, coniunctio prorsus poterit omitti.

25. *vitent* et hic cum dativo, uti Curc. II, 3, 19 et Cas. II, 2, 36 ubi est: *huic verbo vitato*.

27. Sic Veneta et Pall. Both. e coni. *reveniant*. Vulg. et vett. *veniant heri*. — *Si minus curassint*, sc. domum.

29. Pro *neu quae*, quod vulg., vett. *neve*, Ven. et Pall. *neuque*.

30. Pro *pereant*, quod et Ven., vett. *peritent*. Et V. C. *perient*.

Matrónae tacitae spéctent, tacitae rídeant;
Canóra hic voce súa tinnire témperent;
Domúm sermones fábulandi cónferant:
Ne et híc viris sint ét domi moléstiae.
Quodque ád ludorum cúratores áttinet,
Ne pálma detur quoíquam artifici iniúria,
Neve ámbitionis caúsa extrudantúr foras,
Quo déteriores ánteponantúr bonis.
Et hóc quoque etiam, quód pene oblitús fui:
Dum lúdi fiunt, ín popinam, pédisequi,
Irrúptionem fácite! nunc, dum occásio est,
Nunc, dúm scriblitae aéstuant, occúrrite.
Haec, ímperata quaé sunt pro imperio hístrico,
Bonum hércle factum, pró se quisque ut méminerit.
Ad árgumentum núnc vicissatím volo
Remígrare, aeque ut mécum sitis gnárures.
Eius núnc regiones, límites, confínia
Detérminabo: ei rei égo finitor fáctus sum.
Sed, nísi molestum est, nómen dare vobís volo
Comoédias; sin ódio sit, dicám tamen,
Siquidém licebit pér eos, quibus est ín manu.
Carchédonius vocátur haec comoédia;

32. pro altero *tacitae* vett. *tacite*.

39. Sic omnes. Verum Acidalius malit: *Ne deteriores anteponantur, boni.* Bene, opinor. Sed magis commentetur hoc lector, quam in textu ipso reponamus. — Similia praecipiuntur Amph. prol. 64 – 85.

40. *Et hoc quoque etiam* plane simile cum Amph. prol. v. 81. sicut alias quoque Poenulus habet dictiones et sententias ex Amphitruone desumtas. Sic *palma* vs. 37. aperte est eadem cum Amph. pr. 69.

41. Iocose haec praecipit, quae per sese sine dubio facere solebant pedisequi, qui nequaquam, ut heri faciebant, curare solebant spectaculum, sed, dum domini in spectando occupati erant, ventri studebant, in popiniisque opperiebantur finem spectaculi.

43. *dum scriblitae.* Sic Veneta; et Decurt. *scriplitae*. Vulg. et vett. *scribilitae*, uti et V. C. Alii malunt *striblitae*, aut *streblitae*. Placentarum erat genus: *Waffelkuchen*. Martial. 3, 17. Cato. 78. Scriverius ad Martialis locum animadvertit: scriblitam esse, quam Itali *Tortam* vocitent (a v. *torqueo*) quae coquatur in forma aenea, et diutissime ferveat. Unde possit aliquis existimare verum esse *streblita*, ductum a gr. στρεβλός. Idem tamen addit, scriblitas dictas esse, quia dulciarii iis literas et figuras impresserint; quamquam non apparet tum, unde orta sit litera *l*. Ceterum vocem σχριβλίτης et Athenaeus habet inter placentarum nomina. — Pro *occurrite* Acidalius malit: *accurrite*. Nostrum tamen omnes; atque *accurrite* foret: *huc, ad me accurrite.* Illud contra aptissime involvit cautionem, ne frigescant streblitae sive scriblitae.

45. *bonum factum, si.* Cf. supra v. 16.

47. Veneta: *Remigrare, ut aequi mecum sitis signatores eius. nunc reg.* Vett. *Remigare, aeque ut mecum sitis huius gnari rei.* Vulg. *Remigrare, aeque ut mecum sitis ignarures.* Decurt. *remigrare.* V. C. *remigare.* Vox *gnarures* legitur Most. I, 2, 17. *aeque mecum* est: aeque bene, atque ego.

49. Vulg. vett. Ven. Dec. *ei rei ego sum factus finitor*. Quod tamen ferri non posse, vidit Acidalius; transposuit ergo Bothius.

51. Et vett. et Veneta hic habent antiquum genitivum *Comoedias*. At Pall. *comoediai*. Dein Ven. *sin odiosi sit, dicam tamen.* Vett. *sin odio sit, d. t.* Vulg. *Comoediai: sin odio est, dicam tamen*, uti Pall. atque Both. Quod an per metrum liceat, dubito. Ergo praetuli vett. Ceterum genit. in — *as* etiam alibi in Plauto obvius. Cf. Amph. Arg. II. v. 1.

Latíne Plautus: Pátruus pultiphagónides.
Nomén iam habetis; núnc rationes céteras
Accípite: nam arguméntum hoc hic censébitur.
Locus árgumento est súum sibi proscénium;
Vos iúratores éstis: quaeso, operám date.
Carthágineuses frátres patruelés duo
Fuére, summo génere et summis dívitiis.
Eorum álter vivit, álter est emórtuus.
Proptérea apud vos díco confidéntius,
Quia míhi pollinctor díxit, qui eum pollínxerat.
Sed ílli seni, qui mórtuus est, ei fílius
Unícus qui fuerat, ábditivus á patre,
Puer séptuennis súrripitur Cartbágine
Sexénnio priús quidem, quam moritúr pater.
Quoniám perisse síbi videt gnatum únicum,
Coniícitur ipse in mórbum ex aegritúdine;
Facit íllum heredem frátrem patruelém suom;
Ipse ábiit ad Acherúntem sine viático.
Ille, quí subripuit púerum, Calydonem ávehit;
Vendít eum domino hic díviti cuidám seni,
Cupiénti liberórum, osori múlierum.
Emit hóspitalem is fílium imprudéns senex
Puerum íllum, eumque adóptat sibi pro fílio,
Eúmque heredem fécit, quum ipse obiít diem.
Is illíc adulescens hábitat in illisce aédibus.
Revórtor rursus dénuo Carthágínem.
Si quíd mandare vóltis aut curárier:
Argéntum nisi qui déderit, nugas égerit;
Verúm qui dederit, mágis maiores égerit.
Sed ílli patruo huíus, qui vivít senex,
Carthágineusi, dúae fuere fíliae.

54. *Plautus*, sc. eam vocavit hoc nomine, quod iam effabor: *Patruus pultiphagonides;* Nam Poeni quoque pulte vescebantur, ut Romani. Ceterum mira constructio, ut et alia mira in hoc loco.

56. *nam argumentum hoc hic censebitur.* Neque haec neque ea quae proxime sequuntur, facile quisquam interpretetur. Atque ut verum fatear, mihi totus hic locus a versu 48 usque ad v. 58 suspectus est etiam in fabula supposita. Quis enim sobria mente praeditus in prologo dixerit tale quid quale legitur v. 52. *Siquidem licebit per eos, quibus est in manu?* Hoc addam: v. 58 in Veneta legi: *viatores* pro *iuratores.*

59. *Carthaginenses.* Sic vulg. et Ven. et centies in aliis legitur, uti et in Livii cdd. At Vett. et Both. Pareusque: *Carthaginienses.* Cf. et vs. 84.

63. Sic vulg. et vett. — Ven. *pollictor;* et Mpll *pollector.*

64. *ei* ex Acidalio adjecit Both. Nam in libris deerat.

65. Veneta et Pall. *ab divitiis patre.* Vulg. *abditivus a patre*, uti emendavit Gulielmus. Vett. *olim abductus a patre.* Apparet locum in antiquis esse corruptum. Atque *abditivus* interpretantur: *separatus.* Glossae: ἀποσπασθείς.

68. Vulg. et Pall. *Quoniam.* Ven. et vett. *Quom iam.*

71. *ad Acheruntem*, contra morem Plautinum correpta prima, quum in reliquis producatur, ut *ulmorum Acherunt* et al. Hoc quoque etiam argumento esse debet, prologum non a Plauto esse profectum; ut fortasse totam fabulam. Cf. 4, 2, 9.

81. Deprompiae sunt hae facetiae ex Men. prol. 54. aperto signo fabulae supposititiae.

Altéra quinquennis, áltera quadrímula,
Cum nútrice una périere a magálibus.
Eas quí subripuit, ín Anactorium dévehit
Vendítque has omnes, ét nutricem et vírgines,
Praeséuti argento hómini (si leno ést homo),
Quantum hóminum terra sústinet, sacérrumo.
Vosmét nunc facite cóniecturam céterum,
Quid íd sit hominis, cuí Lyco nomén siet.
Is éx Anactorio, úbi prius habitáverat,
Huc cómmigravit ín Calydonem haúd diu
Sui quaésti causa. Is ín illis habitat aédibus.
Earum híc adulescens álteram efflictím perit,
Suam síbi cognatam, imprúdens, neque scit, quae éa siet,
Neque eam únquam tetigit (íta eum leno mácerat),
Neque quídquam cum ea fécit etiamnúm stupri,
Neque dúxit unquam, néque ille voluit míttere.
Quia amáre cernit, tángere hominem vólt bolo.
Illánc minorem in cóncubinatúm sibi
Volt émere miles quídam, qui illam déperit.
Sed páter illarum Poénus, postquam eas pérdidit,
Maríque terraque úsquequaque quaéritat.
Ubi quámque in urbem ést ingressus, íllico
Omnés meretrices, úbi quisque habitant, ínvenit;
Dat aúrum, ducit nóctem; rogitat póstibi,
Unde sít, quoiatis, cáptane an surrépta sit,
Quo génere gnata, quí parentes fúverint;
Ita dócte atque astu fílias quaerít suas.
Et is ómnes linguas scít; sed dissimulát sciens
Se scíre: Poenus pláne est; quid verbís opust?

86. Veneta: *a megaribus*. Cf. Pers. 1, 3, 57. Vulg. *periere A Magaribus Eas q. s.* atque Appianus in Puniceis ait Magaria fuisse lucum prope Carthaginem. Verum nonne tum opus fuerit paullo pluribus adiunctis, quibus exponeretur, et quomodo in eum lucum devenerint, et quamobrem ibi versatae fuerint puellae? Ergo praefero vett. lectionem, *a magalibus* i. e. ab aedibus. Nam aedes Afrorum dicebantur magalia, uti notissimum ex Sallustio et ex Virg. Aen. I, 425. Et cf. Serv. ad Aen. I, 372, ubi ait Carthaginis suburbia vocata fuisse Magalia, urbem ipsam Byrsam, testante Cornelio Nepote.

87. *Anactorium*, in Acarnania oppidum prope Actium.

97. *Suam sibi cogn.* Abundat *sibi*, ut et alibi. Amph. 1, 1, 116. Capt. prol. 5, 46, 50. V. indic.

100. *Neque duxit*. Cf. 108. ubi est: *ducit noctem*. Men. 1, 2, 15. *Hodie ducam scortum*. Idemque Truc. 3, 2, 10. Bacch. 4, 9, 6. Alibi *ductare* eodem sensu; ut As. 5, 2, 13. I, 3, 12. 13. 17. 37. Men. 4, 3, 20.

101. Quia leno videt, eum amare puellam, tanto magis eum vult defraudare.

102. *Illanc minorem*, sc. alteram illarum sororum, Anterastylin.

106. Sic Pall. vulg. et Ven. — Vett. *Ubi quamque est in urbem ingr.*

107. *ubi quisque habitant*, pro: *ubi quaeque h.* Cf. supra v. 17 *ne quis* de feminino, et indicem v. *quis femin.*

108. *ducit noctem*. Cf. v. 100. Eadem locutio leg. Truc. 1, 1, 26. Fortasse simplex pro composito: *conducit*.

113. *Poenus plane est*. Duplicem sensum habet dictio. Primum enim significat, eum nil nisi Poenum egisse, Puniceque locutum esse dissimulasseque suam linguarum scientiam; deinde vero et astutiam hominis declarat. — *quid verbis opust*, nostrum: *kurz*, sed ut anteponatur.

Is heri húc in portum návi venit véspere.
Pater hárunc, idem huic pátruus adulescéntulo est.
Iamne hóc tenetis? Sí tenetis, dúcite.
Cave dírumpatis: quaéso, sinite tránsigi.
Ehem, péne oblitus súm reliqüom dícere!
Ille, quí adoptavit húnc sibi pro fílio,
Is ílli Poeno, huiúsce patri, hospés fuit.
[Is hódie huc veniet, réperietque hic fílias
Et húnc sui fratris fílium, ut didicí quidem.]
Hic, qui hódie veniet, réperiet suas fílias
Et húnc sui fratris fílium. Dehinc céterum
[Valéte! adeste! Ibo: álius nunc fierí volo.]
Quod réstat, restant álii, qui faciánt palam.
Ego íbo, ornabor. Vós aequo animo nóscite.
Valéte atque adiuváte, ut vos servét Salus.

ACTUS I. SCENA I.

AGORASTOCLES. MILPHIO.

Ag. Saepe égo res multas tíbi mandavi, Mílphio,
Dubiás, egenas, ínopiosas cónsili,
Quas tú sapienter, dócte, et cordate, ét cate
Mihi réddidisti ópiparas operá tua;
Quibus pró benefactis fáteor deberí tibi
Et líbertatem et múltas gratas grátias.

115. *pater harunc*, sc. quae hic adstant. Nam solebant adstare histriones in prologo. Cf. Capt. prol. init. Eodem modo int. seq. *huic*.

116. *tenetis*. Tenere duplici sensu, de intellectu, et de filo, aut funiculo. De posteriore sequentia sunt accipienda. Nam *ducere filum*, *lanam*, *colum* solemnes sunt locutiones.

117. *transigi*, filum ad finem perduci. Simul autem ipsam fabulam intelligit. Ceterum affectati quid inest in his facetiis, ut et alibi in similibus prologorum non-Plautinorum.

118. Hunc et sequentes quatuor versus ordinavit Bothius hoc modo: *Is hodie — Et hunc — Ehem — Ille — Is illi*, quum in vulg. sic legantur: *Ehem — Hic qui — Is illi — Is hodie — Et hunc*. Ego spurios iudico 118. 119. propter 124. 125. Hoc autem certo certius videtur, post 117 sequi debere *Ehem* etc. ut vulg. habet.

119. Vulg. *ut quidem didici ego*. Nostr. Both.

122. Sequentia etiam, usque ad finem, alio modo ordinanda esse vidit Acidalius. Sed utut ordinentur, semper incommoditas aliqua residebit, ut in aliis quoque prologis, ab serioribus additis, nisi eiiciantur quaedam. — Post hunc vs. in vulg. legitur is, qui apud nos est penultimus scenae.

125. Hunc versum eiiciendum reor. Nam *ceterum* praecedentis pertinet ad *Quod restat* subsequentis. Duo autem versus quales 125 et 127 iuxta se positos quis ferat?

127. Hic vs. in vulg. supra legitur ante v. 123.

Act. I. Sc. I. Aperit Agorastocles servo suo, se amare Adelphasium vicinam, verum ab lenone Lyco non admitti. Igitur consilium capiunt lenonem decipiendi, ope Collybisci villici. Abit Agorastocles domum suam, ut edoceat Collybiscum. Prodeunt a se Adelphasium cum sorore, in fanum Veneris iturae, quia sunt Aphrodisia. Evocat herum Milphio.

6. Vulg. et Ven. *et multas grates gratias*. At vett. *et m. gratas gratias*, quod Both., et probat Pareus.

4. *opiparas* sc. consilii, affluentes consilii. Nam opponitur hoc superiori: *egenas consilii*.

Mi. Scitúm est, per tempus si óbviam is, verbúm vetus:
Nam túae blanditiae míhi sunt, quod dicí solet,
Gerraé germanae, átque edepol λῆϱοι meri.
Nunc míhi blandidicus és; heri in tergó meo
Tris fácile corios cóntrivisti búbulos.
Ag. At amáns per amorem sí quid feci, Míliphio,
Ignóscere id te mi aéquom est. *Mi.* Haud vidí magis.
Et núnc ego amore péreo: sine te vérberem,
Item út tu mihi fecísti, ob nullam nóxiam;
Post íd locorum tú mihi amanti ignóscito.
Ag. Si tíbi lubido est, aút voluptatí: sino.
Suspénde, vinci, vérbera! Auctor súm; sino.
Mi. Si auctóritatem póstea defúgeris:
Ubi díssolutus tú sies, ego péndeam.
Ag. Egone ístuc ausim fácere, praesertím tibi?
Quin sí feriri vídeo te, extempló dolet.
Mi. Mihí quidem hercle. *Ag.* Imó mihi. *Mi.* Istuc mávelim.
Sed quíd nunc tibi vis? *Ag.* Cúr ego apud te méntiar?
Amo ímmodeste. *Mi.* Méae istuc scapulae séntiunt.
Ag. At ego hánc vicinam díco, Adelphasiúm, meam,
Lenónis huius méretricem maiúsculam.
Mi. Iamprídem equidem istuc éx te audivi. *Ag.* Differor
Cupídine eius. Séd lenone istóc Lyco,
Illius domino, nón lutum est lutuléntius.
Mi. Vin' tu ílli nequam dáre nunc? *Ag.* Cupio. *Mi.* En, mé dato.
Ag. Abí dierectus! *Mi.* Díc mihi vero sério:
Vin' dáre malum illi? *Ag.* Cúpio. *Mi.* Hem, eundem mé dato:
Utrúmque faxo habébit, et nequam ét malum.
Ag. locáre. *Mi.* Vin' tu illam hódie sine damnó tuo

7. *Scitum est verbum vetus*, h. e. verum est proverbium vetus: *per tempus si obviam is.* Sic vett. At vulg. *per tempus si obviam it.* Pall. *obviam si.* Veneta autem corrupte: *Scitumst per tempus hoc iam est verbum: si verbum vetus.* Atque *per tempus* i. e. q. mature, ut alibi *temperi.* Vult autem hoc: Proverbium est: per tempus obviam eundem, si obviam ire vis. Nam si sero, incassum erit. Quodsi legas *obv. it*, suppl. *aliquis.* Bothius *si obv. est* una constructione, ut suppl. *aliquis* et addatur cogitatione: *utile erit.*

9. Scripsi *λῆϱοι meri.* Cf. I, 2, 138 ubi *nugae merae.* Both. *ἄλυϱοι λύϱαι.* Vulg. *liroe liroe.* Vett. *λῆϱοι λήϱων.* Ven. *lirae lirae.* Apparet in fine esse debere iambum. Ceterum in Pall. deest *atque.*

11. *corios.* Festus: „*Corius* apud antiquos masculino genere dicebatur. Plautus: *Iam tibi tuis meritis crássus corius rédditust.* Pari modo diverso genere dicebant: haec ludus, haec metus, haec amnis, hic frons.“

12. Sic vett. et vulg. — Pall. et Ven. *Adamans.* Ego omiserim *At.*

13. *Haud vidi magis.* Affirmatio ironica, pro: Non video, sc. aequum esse me tibi ignoscere. Vett. et Ven. *audi tu magis.*

14. Vett. *Et ego nunc*, ut et Ven. — Nostr. vulg.

18. *Suspende.* Manibus enim vinctis a trabe suspendebantur servi, quum verberabantur. Cf. Asin. II, 2, 37. seq. III, 2, 18.

24. *Cur ego* etc. Deprompta loquendi figura ex Asin. I, 1, 33.

25. *immodeste*, h. e. sine modo. Sed immodestia significat etiam impotentiam heri in servum. Cf. Amph. I, 1, 9.

31. *nequam dare*, malum dare.

35. Omnes hunc versum sic exhibent: *Ag. locare. M. Vin tu illam hodie*

Tuám libertam fácere? *Ag.* Cupio, Mílphio.
Mi. Ego fáciam ut facias. Súnt tibi intus aúrei
Trecénti numi Philíppei? *Ag.* Sexcentí quoque.
Mi. Satis súnt trecenti. *Ag.* Quíd iis facturús? *Mi.* Tace.
Totúm lenonem tíbi cum tota fámilia
Dabo hódie dono. *Ag.* Quíd facturus? *Mi.* Iám scies.
Tuus Cóllybiscus núnc in urbe est víllicus.
Eum híc non novit léno. Satin' intéllegis?
Ag. Intéllego hercle; séd, quo evadas, néscio.
Mi. Non scís? *Ag.* Non hercle. *Mi.* Át ego iam faxó scies.
Ei dábitur aurum, ut ád lenonem déferat,
Dicátque, se peregrínum esse ex alio óppido;
Se amáre velle atque óbsequi animó suo;
Locúm sibi velle líberum praebérier,
Ubi néquam faciat clám, ne quis sit árbiter.
Leno ád se accipiet, aúri cupidus, íllico:
Celábit hominem et aúrum. *Ag.* Consiliúm placet.
Mi. Rogáto, servos véneritne ad eúm tuus.
Ille mé censebit quaéri: continuó tibi
Negábit. Quid tu dúbitas, quin extémpulo
Duplicét tibi aurum, et hóminis fur lenó siet?
Neque, id únde efficiat, hábet. Ubi in ius vénerit,
Addícet praetor fámiliam totám tibi.
Ita décipiemus fóvea lenoném Lycum.
Ag. Placét consilium. *Mi.* Imo étiam, ubi expolívero,
Magis hóc tum demum díces; nunc etiám rude est.

sine damno et dispendio Tuo tuam libertam facere? Atque sequens versus melius sic constabit: *Tuo tuám lib. f.* quam hoc modo: *Tuám libertam facere.* Nam v. *Tuam* nimis tenue ab initio versus. Deinde v. *locare* minus aptum mihi hoc loco videtur ab hero ad servum. Ita paene inducor ut credam, locum vitiatum esse antiquitus iam additamento et dilatatione, ceterum haud sane inepta aut illepida, scriptumque fuisse primitus: *Vin' tu illi nequam dare nunc? A. Cupio. M. En me dato! A. Abi dierectus. M. Dic mihi vero serio: Vin' tu illanc hodie sine damno et dispendio Tuo tuam lib. f* etc. Possit et locus integer legi sicut legitur in Vulg., unice omisso *locare.* Nam credi potest, post versum 34 satis longum risum et applausum esse secutum, ut deinde quasi de integro Milphio ipse denuo ordiri posset orationem, nihil etiam interlocuto Agorastocle. — Nostr. Both. cum Acidalio, qui scribit alias antiquas edd. non agnoscere vv. *et dispendio.* Codd. Pall. habent.

42. Veneta et Pall. *Collubiscus.* Vett. *Colabiscus.* Nostr. Vulg. Both.

44. Veneta: *quo evades.*

46. Veneta: *adferat*, ut fortasse legendum sit: *Ei dabitur aurum, ad lenonem ut adferat.*

55. Vett. *Negabit, quid tu dubitas? quin extemplo tibi Duplicet, ubi auri et hominis fur leno siet.* Veneta: *Quid tu dubitas? quin extemplo Duplicet tibi aurum: hominis fur leno siet.* Vulg. *quid tu dubitas, quin extempulo Dupli tibi, auri et hominis, fur leno siet?* In quo *dupli fur* interpretantur: duarum rerum fur. Quod neutiquam potest. Itaque scripsi *Duplicet tibi aurum, et hominis fur leno siet*, h. e. et duplum auri tibi illius quod adtulerat ad eum Collubiscus, pendere cogatur (Cf. V, 6, 14 ubi Agorastocles ad Lycum: *Duplum pro furto mihi opus est.*), et insuper etiam poenam solvere pro homine quem furatus. Atque sic etiam sensum habet sequens: *unde id efficiat*, quod nullum, ubi cum Bothio legeris ex vulg. *Dupli tibi, auri et hominis, f. l. s.* — V. C. *duplici tibi.* Decurt. *duplici ubi.*

57. *efficiat*, h. e. ut tibi duplum auri solvat.

59. *fovea*, uti lupi λύκοι decipiuntur.

Ag. Ego in aédem Veneris éo, nisi quid vis, Mílphio.
Aphrodísia hodie súnt. *Mi.* Scio. *Ag.* Oculós volo
Meos délectare múnditiis meretríciis.
Mi. Hoc prímum agamus, quód consilium cépimus.
Abeámus intro, ut Cóllybiscum víllicum
Hanc pérdoceamus út serat falláciam.
Ag. Quamquám Cupido in córde vorsatúr, tamen
Tibi aúscultabo. *Mi.* Fáciam, ut facto gaúdeas. —
Inést amoris mácula huic homini in péctore,
Sine dámno magno quae élui neutiquám potest;
Itaque híc scelestus ést homo lenó Lycus,
Quoi iam ínfortuni inténta ballista ést probe,
Quam ego haúd multo post míttam e ballistário.
Sed Adélphasium exit éccam, atque Anterástylis.
Haec ést prior, quae méum herum dementém facit.
Sed évocabo. Heus, í foras, Agorástocles,
Si vís videre lúdos iucundíssumos!
Ag. Quid istúc tumulti est, Mílphio? *Mi.* Hem amorés tuos,
Si vís spectare. *Ag.* O múlta tibi di dént bona,
Quom mi óbtulisti hoc tám lepidum spectáculum!

ACTUS I. SCENA II.

ADELPHASIUM. ANTERASTYLIS. MILPHIO. AGORASTOCLES. ANCILLA.

Ad. Negóti sibí qui volét vim paráre:
Navem ét mulierém, haec duó comparáto:
Nam núllae magís res duaé plus negóti
Habént, forte si ócceperís exornáre;
Neque únquam satís hae duaé res ornántur,
Neque eís ulla ornándi satís satietás est.
Atque haéc ut loquór, nunc domó docta díco:
Nam nós usque ab aúrora ad hóc quod diéi est

67. *ut serat*, i. e. quomodo instituat. Nam *ut* hic l. e. q. qua ratione. Cf. Curc. 1, 1, 59. Bacch. II, 2, 30.

71. *neutiquam* correpta prima, ut Capt. 3, 4, 54. Merc. 3, 4, 14. Mil. 3, 1, 36. Nam compositum ex *ne utiquam*. Similiter, ne mirere, *autem* prima brevi, Amph. prol. 36. Merc. 2, 3, 83. Mil. 3, 1, 83. Stich. 1, 3, 59. Pers. 5, 1, 11.

72. *scelestus*, i. e. infortunatus, uti Cas. 3, 5, 45. Amph. 2, 1, 2.

75. *exit eccam atque.* Sic vett. — Vulg. et Ven. *eccam exit atque.* Both. *eccam exit et.*

81. Vulg. vett. Ven. *Cum mihi hoc obtul.* Both. *Quom mi obtulisti tam l. hoc sp.*

Act. I. Sc. II. Prodeunt duae sorores in munditiis, inter sese colloquentes, una cum ancilla Giddineme. Admiratur eas Agorastocles et alloquitur. At Adelphasium ei iratam se praebet, quod nondum se liberaverit. Itaque cogit Agorastocles Milphionem, ut eam placet. Facit ille; placatur Adelphasium; abeunt sorores cum pedissequa, ad templum Veneris. — Versus sunt Bacchiaci.

7. *modo docta.* Sic Pall. vulg. etc. Quaedam tamen antiquae habent *domi docta*, quod obvium Truc. II, 5, 7. Cist. II, 1, 2. Goellerus autem ad Truc. p. 105 legendum censet *domo docta*. Cf. nos ad Merc. II, 3, 20. egoque adstipulandum illi censeo.

Ex índustria ámbae conoéssamus núnquam
Lavári, aut fricári, aut tergéri, aut ornári,
Políri, expolíri, pingí, fingi; et úna
Binaé, singulís quae dataé nobis áncillae,
Eaé nos lavándo, eluéndo, operam dedére;
Adgerúndaque aquá sunt virí duo deféssi.
Apágesis, negóti quantum ín muliere úna est!
Si véro duaé, sat sció, maxumo úni
Popló quoilubét plus satís dare potíssunt,
Quae nóctes diésque omni in aétate sémper
Ornántur, lavántur, tergéntur, poliúntur.
Postrémo modús muliebrís nullust, nequ únquam
Lavándo et fricándo [modúm] scimus fácere.
Nam quaé lauta est, nisi pérculta est, meo quídem animo quasi inlaúta est.
An. Mirór quidem, sorór, te istaec síc fabulári,
Quae tám callida ét docta sís et facéta:
Nam quúm seduló munditér nos habémus,
Vix aégreque amátorculós invenímus.
Ad. Ita ést; verum hoc únum tamén cogitáto:
Modus ómnibus in rébus, sorór, optumum hábitu est;
Nimia ómnia nimium éxhibent negótium hominibus éx se.
An. Sorór, cogita, amábo, itém nos perhibéri,
Quasí salsa múriatica ésse autumántur
Sine ómni iepóre et siné suavitáte;
Nisí multa aqua úsque et diú macerántur,
Olént, [salsa sunt,] tangere út non velís. Item sumús nos.
Eiús seminís mulierés sunt insúisae ad-
modum átque invenústae sine múnditia et súmtu.
Mi. Coqua ést haec quidém, Agorastoclés, ut ego opínor:
Scit, múriatica út macerét. *Ag*. Quid moléstus?
Ad. Sorór, parce, amábo. Sat ést, istuc álios
Dicére nobis, ne nósmet nostra etiám vitia loquámur.

9. Vulg. vett. Ven. *nunquam concessavimus*. Nostr. Both.; atque Pall. *concessamus*. Estque contracta forma perfecti, saepius obvia.

12. Et hic vs. et 13. elisione cum sequentibus sunt iungendi.

16. *Si vero*. Sic vett. et Ven. — Vulg. et Both. *Sed vero*, uti Pall.

18. *omni in aetate*, in omni vita.

21. Addidi *modum*, quod abest a vulg. et Ven. — Vett. *et fricando sumus saturae*. Verum *scimus facere* Pall.

20. *Tó neque* legendum tamquam si sit *ne*. Cf. nos ad Amph. I, 1, 5.

23. *Miror quidem*. Haec non ad postrema pertinent, quae elocuta fuerat Adelphasium, sed omnino eo, quod illa dixerat, mulieres nimium indulgere ornatui, lavationi, etc. hoc est, ad omnem eius orationem.

28. Edd. *est habitu*. Nostr. Both.

30. *item nos perhiberi*, nos similes esse salsis muriaticis.

34. Vulg. *Olent, salsa sunt, tangere ut non velis. item nos sumus*. Fiebant autem muriatica salsamenta ex thynno pisce, sicut garum e scombro. Cf. Plin. H. N.

35. *Eius seminis mulieres*, sc. quae neque lavantur neque ornantur. Sic Vulg. At Vett. et Ven. *item nos sumus eiuscemodi; mulieres* etc.

38. *ut maceret*. Sic vulg. et Ven. — Vett. et Both. *ut macerent*. Sed *ut* i. q. quomodo.

39. *Parce, amabo*, sc. vitia eloqui sordidarum mulierum. Nam sufficit, istaec alios de nobis loqui, neque opus est, ut nos quoque vitia nostra eloquamur.

An. Quiésco ergo. *Ad*. Amó te. Sed hóc nunc respónde [mihi]:
Sunt híc omniă, quae ad deúm pacem opórtet
Adésse? *An*. Omnia áccurávi.
Ag. Diem púlcrum et celébrem et venústatis plénum,
Dignúm Veneri pól, cui sunt Áphrodisia hódie!
Mi. Ecquíd gratiaé, quum huc forás te evocávi?
Iam nón me decét
Donári cadó
Viní? Dic darí.
Língua huic excidit, út ego opinor.
Quíd hic, malum, adstans óbstipuisti? *Ag*. Síne amem! Ne obturba, ác tace!
Mi. Táceo. *Ag*. Si tacuísses, iam istuc „Táceo" non natúm foret.
An. Eámus, mea sorór. *Ad*. Eho, amabo, quíd illo nunc properás? *An*. Rogas?
Quía herus nos apud aédem Veneris mántat. *Ad*. Maneat pól. Mane:
Túrba est nunc apud áram. An te ibi vis ínter istas vorsárier
Prósedas, pistórum amicas, réliquias alicárias,
Míseras, schoeno délibutas, sérvolicolas, sórdidas,
Quaé tibi olant stabulúm statumque, séllam et sessibulúm merum,
Quás adeó haud quisquam únquam liber tétigit neque duxít domum,
Sérvolorum sórdidulorum scórta diobolária?
Mi. I ín malam crucém! tun' audes étiam servos spérnere,
Própudium? Quasi bélla sit, quasi eámpse reges dúctitent!
Mónstrum mulierís! tantilla tánta verba fúnditat,
Quóius ego nebulái cyatho séptem noctes nón emam.

41. *mihi* legitur in omnibus. At tamen ad versum abundat.

47. Vulg. *Iam non me decet cado donari vini veteris? dic dari. nil respondes?*

49. Omnes: *Vini veteris? Dic dari. Nil respondes?* Quemadmodum aliis locis falsissima in omnibus eodem modo exstant. De metro cf. Capt. III, 2, 9—11. Cas. III, 5, 59—62. Men. V, 6, 23 - 25.

51. Pro *obstipuisti*, quod habet vulg., Ven. *obticuisti*. Vett. *obtices*. Pall. *obstituisti*.

56. *te* abest in Ven. et Vett., habet vulg.

57. *Prosedas* Festus ait meretrices, quae ante stabula sedeant, prostibula. — pistores erant servi, qui rure far pinsebant. — *alicariae* Festo auctore appellatae sunt in Campania meretrices solitae ante pistrina alicariorum versari quaestus gratia. *alicarii* autem erant, qui vendebant alicam, aut conficiebant. — *reliquias* dicit, quia contemnebantur, ut reliquiae.

58. *schoeno delibutas*. Schoenum, Festo auctore, unguenti genus vilissimum. Hinc illae meretrices dicebantur schoenicolae, quemadmodum hoc ipso loco Veneta *schoenicolas* legit pro: *servolicolas*. Idem occurrit in Fragm. 7. Astrabae Plauti. Alii tamen, et Both. legunt *scoeno* i. e. coeno, per dialectum Sabinorum, qui sc dixerint pro c. Lamb. *caeno*. Cf. Varro L. L. VI.

59. *stabulum* usurpatum esse videtur interdum de cauponis aut popinis. Hinc caupones dicti stabularii. — *status* idem hic est, quod stabulum. Nam componuntur inter se *statum* ac *stabulum*, pariter atque *sella* et *sessibulum*, eadem derivatione, contemtus augendi gratia. Sellam intellige qua sedent vel in stabulo vel ante stabulum aut popinam. Sic Martiali V, 70 dicuntur *sellariolae popinae*.

64. Vulg. vett. Ven. *En monstrum m.* — Vett. et Ven. *tantula*. Nostr. vulg.

65. Vulg. *Quoius ego nebulae cyatho*. Vett. *Quoius ego obulo aerato s. n.*

Ag. Di ímmortales ómnipotentes, quíd est apud vos púlcrius?
Quíd habetis, mage qui ímmortalis vós credam esse, quam *égo* siem,
Qui haéc tanta oculis bóna concipio? Nám Venus non ést Venus;
Hánc equidem Venerém venerabor, me út amet ac sit própitia.
Mílphio, heus, Milphio, ubi és? *Mi.* Assum apud ted, éccum.
Ag. At ego elixúm volo.
Mi. Énimvero, here, facís delicias. *Ag.* Dé te quidem haec didici ómnia.
Mi. Étiamne, ut ames éam, quam nunquam tétigeris? Nihil illuc quidem est.
Ag. Déos quoque edepol ét amo et metuo, quíbus tamen abstineó manus.
An. Heu écastor, quom ornátum adspicio nóstrum ambarum, poénitet,
Éxornatae ut símus. *Ad.* Imo véro sane cómmode:
Nám pro herili et nóstro quaestu sátis bene ornataé sumus.
Nón enim potest quaestús consistere, si éum sumtus superát, soror:
Éo illud satius ést, quod satis est, hábitu, quam, quod plús sat est.
Ag. Íta me di ament, út illa me amet, málim quam di, Mílphio:
Nám illa mulier lápidem silicem súbigere, ut se amét, potest.
Mi. Pól id quidem haud mentíre: nam tu es lápide silice stúltior,
Qui hánc ames. *Ag.* At víde, sis: cum illac núnquam limaví caput.
Mi. Cúrram igitur aliquo ád piscinam, aút lacum: limúm petam.
Ag. Quíd eo opust? *Mi.* Ego dícam: ut illi ét tibi limém caput.
Ag. I ín malam rem! *Mi.* Ibi sum équidem. *Ag.* Pergis?
Mi. Táceo. *Ag.* At perpetuó volo.
Mi. Énimvero, here, meo mé lacessis lúdo, et deliciás facis.
An. Sátis nunc lepide ornátam credo, sóror, te tibi vidérier;

Veneta: *Pro nebulae huius ego cyatho.* Lamb. cum vulg., ita tamen, ut ante *nebulae* addat *vel.* Nostr. Both.

67. *mage qui.* Sic vett. — Vulg. *qui mage*, ut et Ven. et Pall. — *Qui* i. e. q. quo, i. e. ut.

69. *ac sit.* Sic vett. — Vulg. *posthac.* Veneta: *ut amet ac posthac propitia.* Additum *posthac* scholion ad *propitia*, irrepsit in textum. Pall. *ut amet at posthac.* Al. *amet ac sibi prop.*

70. Sic vett.; atque aptius *elixum* accus. ob praec. *assum.* Vulg. *Ego elixus sis volo.* Veneta et Pall. *At ego elixus sis volo.* — Ceterum hic locus testimonio esse debet, veteres tum dixisse *assum*, non *adsum.*

71. *delicias facere* est: facetias dicere. Cf. Mil. 4, 1, 37. Rud. II, 5, 8.

72. *Nihil illic quidem est.* Sic omnes. Both. *N. id qu. est.* Sensus: Hoc est nihil amare. Atque pro *illic* legerim *illuc*, ut sit monosyllabum.

73. Omnes: *quibus ego tamen.*

74. *poenitet*, non satis habeo, displicet. V. Ind.

75. *simus.* Sic Pall. — Al. *sumus.*

76. Veneta: *Nam pro nostro quaestu.* Vett. *Nam pro herili nostro quaestu.* Vulg. *et* addit.

78. Vulg. *Eo illud satiust satis quod satis est, habitus plus quam sat est.* Vett. *habitus quam sat est.* Veneta: *Eho illud satius si satis quod satis est: habitus plus quam satis est.* Nostrum ex emendatione praeclara Bothius.

82. Vett. Ven. vulg. *At vide.* Lamb. Both. *Ac vide.* — *Limare caput*, iungere caput capiti, ut interp. Nonius. Caecilius: *Postulo ne cum meo gnato posthac limassis caput.* V. Merc. 3, 1, 40.

83. Rursus ieiunae et affectatae facetiae, quales plures in hac fabula, risus captandi causa; quas non credas a Plauto esse profectas.

85. *ibi sum equidem*, videlicet in servitute. — *perpetuo*, videlicet, ut sis mortuus.

Séd ubi exempla cónferentur méretricum aliarum: íbi tibi
Érit cordolium, sí quam ornatam mélius forte adspéxeris.
Ad. Ínvidia in me núnquam innata est, néque malitia, méa soror;
Bóno ingenio me ésse ornatam, quam aúro, multo mávolo.
Aúrum fortunâ ínvenitur, náturâ ingeniúm bonum:
Bónam ego, quam beátam, me esse nímio dici mávolo.
Méretricem pudórem gerere mágis decet, quam púrpuram:
Mágisque meretricém pudorem, quam aúrum, gerere cóndecet:
Púlcrum ornatum túrpes mores péius coeno cóllinunt;
Lépidi mores túrpem ornatum fácile factis cómprobant.
Ag. Ého tu, vin' tu fácinus facere lepidum et festivúm? *Mi.* Volo.
Ag. Pótesne mihi auscultáre? *Mi.* Possum. *Ag.* Ábi domum, ac suspénde te.
Mi. Quámobrem? *Ag.* Quia iam núnquam audibis vérba tot tam suávia.
Quíd tibi opust vixísse? Ausculta míhi modo, ac suspénde te.
Mi. Sí quidem tu es mecúm futurus pro úva passa pénsilis.
Ag. Át ego amo hanc. *Mi.* At ego ésse et bíbere. *Ad.* Ého tu, quid ais? *An.* Quíd rogas?
Ad. Víden' tu? pleni sórdium oculi quí erant, iam splendént mihi?
An. Ímo etiam in medio óculo paulum sórdist. *Ad.* Cedo, sis, déxteram.
Ag. Út tu quidem huius oculós illotis mánibus tractes aút teras?
An. Nímia nos socórdia hodie ténuit. *Ad.* Qua de re, óbsecro?
An. Quía iam non dudum ánte lucem ad aédem Veneris vénimus,
Prímae ut inferrémus ignem in áram. *Ad.* Ah, non factó est opus.
Quaé habent nocturna óra, noctu sácruficatum ire óccupant;
Príusquam Venus expérgiscatur, príus deproperant sédulo
Sácruficare: nám vigilante Vénere si veniánt eae,
Íta sunt turpes, crédo ecastor, Vénerem ipsam e fanó fugent.
Ag. Mílphio! *Mi.* Edepol Mílphionem míserum! Quid nunc vís tibi?
Ag. Óbsecro hercle, ut múlsa loquitur! *Mi.* Níhil nisi latérculos,
Sésamum, papáveremque, tríticum, et frictás nuces.
Ag. Écquid amare vídeor? *Mi.* Damnum, quód Mercurius mínume amat.
Ag. Nám quidem edepol lúcrum amare núllum amatorem áddecet.

89. *adspexeris.* Sic Pall. et vett. et Ven. — Vulg. *consp.*

90. Vett. et Ven. *neque malitia mala, soror.* Nostr. Vulg. et Pall. *malitia* opposita *bono ingenio* quod sequitur vs. sequenti. Erit igitur i. q. malevolentia.

92. Omnes: *Aurum in fortuna.* Nostr. Both.

94. *Pudorem* intellige omnino de modestia, morigeratione.

96. Idem versus legitur Most. 1, 3, 133.

102. *pro uva passa*, tamquam uva passa. Sic *pro nota*, Mil. 3, 3, 27 et *pro cerritis*, infra III, 1, 25. Cf. Amph. II, 2, 153.

104. Omnes: *pleni oculi sordium.*

105. *Cedo sis, dexteram.* Haec ad pedissequam effatur.

106. Non vult, pedissequam oculos Adelphasio extergere.

110. *nocturna*, i. e. deformia, deformem faciem, turpem.

115. *mulsa*, dulcia. Est enim plur. a v. *mulsum.* — *laterculos*, genus pistorii operis, *Wetzsteine*, non tamen

An. Eámus, mea germána. *Ad.* Age, sis, út lubet. Sequere hác. *An.* Sequor.
Ag. Éunt hae. Quid, si adeámus? *Mi.* Adeas. *Ag.* Prímum prima sálva sis;
Ét secunda tú secundo sálve in pretio; tértia
Sálve extra pretiúm. *Anc.* Tum pol ego et óleum et operam pérdidi.
Ag. Quó te agis? *Ad.* Egone? In aédem Veneris. *Ag.* Quíd eo? *Ad.* Ut Venerem própitiem.
Ag. Ého, an irata est? Própitia hercle est. Vél ego pro illa spóndeo.
Ad. Quíd tu agis? quid mihi molestus, óbsecro? *Ag.* Ah, tam saéviter?
Ad. Mítte, amabo! *Ag.* Quíd festinas? Túrba nunc illi ést. *Ad.* Scio.
Súnt illi aliae, quás spectare ego ét me spectarí volo.
Ag. Quí lubet spectáre turpes, púlcram spectandám dare?
Ad. Quía apud aedem Véneris hodie est mércatus meretrícius;
Éo conveniunt mércatores: íbi ego me ostendí volo.
Ag. Ínvendibili mérci oportet últro emtorem addúcere:
Próba merx facile emtórem reperit, támetsi in abstrusó sita est.
Quíd ais? quando illi ápud me mecum cáput et corpus cópulas?
Ad. Quó die Orcus áb Acherunte mórtuos amíserit.
Ag. Súnt mihi intus néscio quot nummi aúrei lymphátici.
Ad. Déferto ad me: fáxo actutum cónstiterit lymphátícum.
Mi. Béllula hercle! *Ag.* Í dierecte in máxumam malám crucem!
Mi. Quám magis adspectó, tam magis est nímbata, et nugaé merae.
Ag. Ségrega sermónem: taedet. — Áge, sustolle hoc ámiculum.
Ad. Púra sum: compérce, amabo, me áttrectare, Agorástocles.

nimis delicati neque sumtuosi, uti et reliqua. Vett. tamen legunt *laserculos*, i. e. e lasere placentas.

121. Vett. *Salve in pretio tertia* Milphioni, sequentia autem vel ancillae vel Anterastylii, dein *Tum pol — perdidi* rursus Milphioni tribuunt. Eodem modo Ven., quae tamen legit: *et secunda tu in secundo*. Nostr. vulg. et Both. Atque tertia illa est Giddineme ancilla.

123. In vett. deest *aedem*, uti saepe omittitur. Cf. Bacch. 2, 3, 73. Habent Pall. et vulg. Omisso tamen versus aeque bene, et fortasse melius constiterit: *Quó te agis? Egóne? in Veneris. Quíd eo? Ut Venerem própitiem.*

126. *illi*, illic, in templo.

131. Edd. *Invendibili merce*. Nostr. Both. Sensus: qui mercem habet, quae non facile venditur, eum ultro oportet quaerere et adducere sibi emtorem.

133. Omnes: *Quid ais tu? quando illi apud me mecum caput et corp. c.?* Ac de capitibus v. Mil. 4, 8, 24. In Iunt. et Ald. desunt vv. *illi apud me*, quare Both. omisit *apud me*. Quo tamen facto, ambiguum fit, quo referatur *illi*. Hinc ego omittendum duxi *tu*.

135. *lymphatici* dicebantur terrore aliquo acti, trepidantes, furore perciti, quasi qui spectra viderunt. Hor. Od. 1, 37, 15. Plin. 26, 8. Stat. Theb. 7, 662. Hinc: inquieti, qui exilire cupiunt.

138. *nimbata* explicant: tecta fascia frontali, quippe nimbus sit fasciola transversa ex auro assuta linteo, a feminis in fronte geri solito. Alii nimbatam int: vilem et contemtam. Alii: nimbum fuisse vas vitreum, vino, unguentis etc. servandis. Mart. 14, 110 (112). Cf. eund. I, 3, 7 ut sit: unguentata, fucata. Forsitan tamen legendum: *lymphata*.

139. *sustolle hoc amiculum*. Ad Adelphasium haec ait, cuius amiculum longius iusto ab aliqua parte dependebat. Similiter mulieres monent Silenium Cist. 1, 1, ad fin. *Amiculum hoc sustolle saltem*. Ad quod illa respondet: *Sine trahi, quum egomet traher*.

Ag. Quíd agam nunc? *Ad.* Si sápias: curam hanc fácere compendí potes.
Ag. Quíd? ego non te cúrem? — Quid agis, Mílphio? *Mi.* Ecce odiúm meum! —
Quíd me vis? *Ag.* Cur mi haéc irata est? *Mi.* Cúr haec irata ést tibi?
Cúr ego id curém? namque istaec mágis tua est curátio.
Ag. Iam hércle tu perísti, ni illam míhi tam tranquilliám facis,
Quám mare est olim, quúm ibi alcedo púllos educít suos.
Mi. Quíd faciam? *Ag.* Exorá, blandire, expálpa! *Mi.* Faciam sédulo;
Séd vide, sis, ne tu óratorem hunc púgnis pectas póstea.
Ag. Nón faciam. *Ad.* Nos eámus nunc. Etiám morare? Mále facis:
Béne promittis múlta ex multis; ómnia incassúm cadunt.
Líberare iúravisti me haúd semel, sed cénties.
Dúm te exspecto: néque usquam aliam míhi paravi cópiam,
Néque istuc usquam appáret. Ita nunc sérvio nihiló minus.
Í, soror. — Abscéde tu a me. *Ag.* Périi! Eho, quid agis, Mílphio?
Mi. Méa voluptas, méae deliciae, méa vita, mea amoénitas,
Méus ocellus, méum labellum, méa salus, meum sávium,
Méum mel, meum cor, méa colostra, méus molliculus cáseus ....
Ag. Méne ego illaec patiár praesente díci? Discruciór miser,
Nísi ego illum iubeó quadrigis cúrsim ad carnuficém rapi!
Mi. Nóli, amabo, súccensere héro meo causá mea!
Égo faxo. — *Ad.* Sine. *Mi.* Nímium irata es! — árgentum pro té dabit
Ác te faciet út sis civis Áttica atque líbera.
Ad. Quín abire sínis? quid vis tibi? Quí bene volt, bene vís item.

140. *Pura sum*, h. e. ad sacrificandum parata atque ornata, quam violare aut attrectare religiosum erat. Sic *purus* i. e. q. aptus ad sacrificium Plin. H. N. VIII, 51. Cic. de Nat. Deor. I, 2. Quae sacrificaturae erant mulieres, abstinebant re venerea. Hinc *pure habere* Asin. 4, 1, 61.

142. Vulg. *Quid ego nunc te curem? quid agis M.* Item Vett. omisso *te.* Veneta: *Quid ego nunc curem quid agas Milphio.* Nostr. Both. qui et: *Quid ais?* Sed cf. 154 ubi idem *Quid agis?* recurrit. Est enim formula appellandi aliquem.

144. Sic Ven. Vett. vulg. — Both. *Cur ego id curem nam? qui istaec mage mea est curatio?* Mss. quo *mea* pro *tua*.

146. *pullos educit suos*, quod fiebat circa brumam, secundum veterum opinionem. Cf. ad Cas. Prol. 26. Cf. Prisc. VI, 3. — *olim* eodem hic sensu, quo Mil. 1, 1, 2 h. e. aliquando, interdum.

148. *pugnis pectas.* Cf. Men. V, 7, 30.

149. Sic vulg. — *etiam, immer noch?* iterationis enim habet sensum, et continuationis. Vett. v. *Malefacis* Agorastocli tribuunt.

150. *ex multis* h. e. post multa iam promissa.

154. Both. e coni. *Perii, ecquid agis, M.*

157. *colostra*, primum lac quod provenit ex mammis post partum. V. Colum. 7, 3.

160. *causa mea*, i. e. me deprecante.

161. Sic de coni. dedi. Nam Vett.: *Ad. Ego faxo: sine. Mi. irata es nimium, argentum pro te dabit.* Vulg. omnia Milphioni continuans: *Si non ego faxo, irata es, nimium pro te dabit.* Pall. *faxo si non irata es ninnium pro te dabit.* Both. *Ego faxo, si non irata es, — numulum pro te dabit*, uti habet Lambinus et legi voluit Turnebus.

163. *Qui bene volt, bene vis item.* Vulg. *Qui bene volunt, bene vis item.* Vett. *Qui bene volunt, bene visitent.* Atque sic etiam Veneta. Pall. *Bene volunt: bene vis item.* Est autem proverbium, hoc sensu: qui tibi bene volt,

Mi. Si ánte quidem mentítust, nunc iam dehínc erit veráx tibi.
Ad. Ábscede hinc, sis, sýcophanta. *Mi.* Páreo. At scin', quómodo?
Síne te exorem, síne te prendam auriculis, sine dem sávium!
Iam hércle ego faciam plórantem illum, nísi te facio própitiam;
Átque hic me ne vérberet (illud fáciet, nisi te própitio,)
Mále formido: nóvi ego huius móres morosí malos.
Quámobrem, amabo, méa voluptas, sínc ted exorárier.
Ag. Nón ego homo trióboli sum, nísi ego illi mastígiae
Éxturbo oculos átque dentes! Hém voluptatém tibi!
Hém mel! hem cor! hém colostram! hém salutem! hem sávium!
Mi. Ímpias, here, te: óratorem vérberas. *Ag.* Iam istóc magis!
Ét iam ocellum addam, ét labellum, et línguam! *Mi.* Ecquid faciés modi?
Ag. Síccine ego te oráre iussi? *Mi.* Quómodo ergo orém? *Ag.* Rogas?
Síc enim dicerés, sceleste: Húius voluptas, te óbsecro,
Húius mel, huius cor, húius labellum, húius lingua, huius sávium,
Húius colostra, húius dulciculus cáseus, mastígia;
Ómnia illa, quaé dicebas tua ésse, ea memorarés mea.
Mi. Óbsecro hercle té, voluptas húius atque odiúm meum,
Húius amica mámmeata, méa inimica et málevola,
Óculus huius, líppitudo méa, mel huius, fél meum,
Út tu huic iráta ne sis; aút, si id fieri nón potest,

ei vicissim bene vis, aut velle debes. Illud autem *bene velle* in factis cerni debet. Hinc applicatio: Qui non vere bene volt nobis, h. e. non factis nobis probat, se nos amare, ei nos quoque non bene velle consentaneum est.

165. Veneta: *Abiice te dehinc sis s.* Nostr. vulg. et vett. — Both. *Abige te hinc.* — Deinde vett. *Mi. Pareo. Ad. Scin quomodo?* — Dictio: *scin' quomodo?* minantis est, et legitur Amph. 1, 1, 203. Aul. 1, 1, 8. V, 1, 21. Pers. 1, 3, 59. Eam ob rem Bothius verba *At scin' quomodo?* Agorastocli attribuit, quasi vetanti, ne pareat. Nostr. vulg. — Mihi tamen, ut verum fatear, totus hic locus a v. 168 usque ad 170 suspectus videtur, ita tamen, ut iam in Graeco exemplari suppositicium fuisse autumem. Quo eiecto, longe melius constabit scena. Praeterea nimis ineptit in seqq. Milphio, nimiumque audet in amica heri sui.

168. Sic in vulg. et Veneta. At in vett. inverso ordine: *Illud faciet nisi te propitio. Atque hic me ne verberet,* nec uno versu, sed duobus dimidiatis.

172. *Hem* interiectio est verberantis. Igitur quoties eam hic effert, toties Milphionem verberare cogitandus.

173. Pro *colostram* omnes edd. *labellum*, quod tamen addit vs. 175. Hinc illud, et recte, ut puto, Bothius reposuit.

174. *Impias here te.* Sic vulg. — At vett. et Ven. *Impie siccine oratorem verb.* Illud et Lamb. Verbum: *Se impiare* v. Rud. 1, 3, 8. Contrarium *piare* v. As. III, 1, 3. — *oratores* passim legatos significant paci faciendae.

175. *Et iam.* Sic divisim vett. et vulg. — Veneta: *Iam istoc magis etiam ocellum addas. et labellum et linguam Eo quid facias malo;* omnia sub Milphionis persona.

177. *scelestc*, i. e. o infelix. Conf. Amphitr. 2, 1, 2.

179. Huius loco versus Ven. Vett. Vulg. sic uno ore: *Huius colostra, huius dulciculus caseus, mastigia, Huius cor, huius studium, huius savium, mastigia.* Ante quos Vulg. habet etiam hunc: *Huius colostra, huius salus amoena, huius festivitas.* qui in Ven. et vett. plane deest. In edd. Colon. Iunt. Ald. non legitur versus: *Huius cor* etc. Bothius sic dedit: *Huius mel* etc. *Huius colostra, huius salus amoena, huius festivitas, Huius cura, huius studium, huius dulciculus caseus, mastigia; Omnia illa*, etc. Ego primum et tertium eorum quos vulgata habet, abiiciendos iudicavi.

Cápias restim ac té suspendas cúm hero et vostra fámilia:
Nám mihi iam videó propter te víctitandum sórbilo,
Ítaque iam quasi óstreatum térgum ulceribus géstito,
Própter amorem vóstrum. *Ad.* Amabo, mén' prohibere póstulas,
Né te verberét, magis quam ne méndax me advorsúm siet?
An. Áliquid huic respónde, amabo, cómmode: ne incómmodus
Nóbis sit: nam détinet nos dé nostro negótio.
Ad. Vérum. — Etiam tibi hánc amittam nóxiam unam, Agorástocles.
Nón sum irata. *Ag.* Nón es? *Ad.* Non sum. *Ag.* Da érgo, ut credam, sávium.
Ad. Móx dabo, quum ab ré divina rédiero. *Ag.* I ergo strénue.
Ad. Séquere me, sorór. *Ag.* Atque (audin' étiam?) Veneri dícito
Múltam meis verbís salutem. *Ad.* Dícam. *Ag.* Atque hoc audí. *Ad.* Quid est?
Ag. Paúcis verbis rém divinam fácito. Atque audin'? réspice. —
Réspexit. Idém pol Venerem crédo facturám tibi.

ACTUS I. SCENA III.

AGORASTOCLES. MILPHIO.

Ag. Quid núnc mi es auctor, Mílphio? *Mi.* Ut me vérberes,
Atque aúctionem fácias: nam impuníssume
Tibí quidem hercle véndere hasce aedés licet.
Ag. Quid iám? *Mi.* Maiorem pártem in ore habitás meo.
Ag. Supérsede istis vérbis. *Mi.* Quid nunc vís tibi?
Ag. Trecéntos Philippos Cóllybisco víllico
Dedi dúdum, priusquam me évocavistí foras.

185. Patet haec seorsim pronunciari. Ceterum in vulg. et Vett. et Ven. hic vs. tribuitur Adelphasio. Sequens autem in Vett. et Ven. orditur sic: *Hem mihi iam*, praeposito nomine Milphionis. Vulg. *Nam mihi.*

186. *sorbilo vivere* proprie est, sorbili cibo vesci, lurulento. Cf. Colum. VIII, 17. Hic autem: suspiriis pasci, i. e. eiulare.

187. *Itaque*, ut saepe, pro *Ita.* Cf. Pers. 4, 3, 12. 44.

188. *postulas*, h. e. existimasne, me posse prohibere? Amph. 2, 2, 166. As. 3, 1, 4. Cas. 1, 1, 1. 39. 53. Epid. 3, 4, 9. Most. 3, 1, 81.

192. *amittam.* Sic vulg. — Vett. *admittam.* Veneta ex emend. Bern. Saraceni: *remittam*, quum antea scriptum fuerit *admittam.* Cf. Amph. 2, 2, 224. *Mulier, istanc rem inquisitam certum est non amittere.*

200. *audin' etiam?* höre noch dies. Sic iungenda; non ut Bothius fecit: *(audin?) etiam V.*

203. Ad rem cf. Capt. 4, 2, 55.

Act. I. Sc. III. Exprobrat breviter Milphio Agorastocli, quod se verberarit. Dein Agorastocles illi narrat, se Collubisco dedisse trecentos Philippos, obtestaturque eum, ut se adiuvet ad perdendum lenonem. Igitur Milphio eum hortatur, ut testes adducat; sese interim subornaturum villicum. In fine Agorastocles et bona promittit, si effecerit, et mala minatur, si minus; dein abeunt.

1. *Ut me verberes*, h. e. ut pergas in ore meo habitare, uti antea fecisti, h. e. me verberare; atque aedes tuas istas vendas auctione: nam non iam opus tibi illis est, quippe qui maiorem partem in ore, h. e. capite meo habitas, quod verberasti. — Quae facetiae quam sint non Plautinae, non est quod pluribus demonstretur.

4. *Quid iam?* cur? — *Maiorem p.* etc. Sic vulg. et Both. — Ven. *Maiorem partem minore Habitas in ea.* Vett. et Pall. *Maiorem parte minore habitas mea.* Os autem i. e. q. caput. Cf. Capt. 4, 2, 14. Curc. 2, 3, 8. Mil. 2, 2, 56.

Nunc óbsecro te, Mílphio, hanc per déxteram,
Perque hánc sororem laévam, perque oculós tuos,
Perque méos amores, pérque Adelphasiúm meam,
Perqué tuam libertátem, *Mi.* Hem, nunc nihil óbsecras.
***Ag.* Mi Mílphidisce, méa commoditas, méa salus,**
Fac, quód facturum te ésse promisistí mihi,
Ut ego húnc lenonem pérdam. *Mi.* Perfacile íd quidem est.
I, addúce testes técum; ego intus ínterim
Iam et órnamentis méis et sycophántiis
Tuum éxornabo villicum. Propera átque abi!
***Ag.* Fugió. *Mi.* Meum est istuc mágis officium, quám tuum.**
***Ag.* Egone, égone, si istuc lépide effexis .... *Mi.* Í modo.**
***Ag.* Ut nón ego te hodie .... *Mi.* Ábi modo! *Ag.* Emittám**
manu ....
***Mi.* I módo! *Ag.* Non hercle méream — ah! *Mi.* Vah, ábi modo!**
***Ag.* Quantum Ácherunte est mórtuorum .... *Mi.* Etiámne abis?**
***Ag.* Neque quántum aquai est ín mari .... *Mi.* Abiturúsne es?**
***Ag.* Neque núbis quantum est. *Mi.* Pérgin' vero pérgere?**
***Ag.* Neque stéllae in coelo .... *Mi.* Pérgin' aures túndere?**
***Ag.* Neque hóc, neque illuc, néque enim vero sério —**
Neque hércle vero — Quíd opust verbis? — Quíppini? —
Quod úno verbo — dícere hic quidvís licet —
Neque hércle vero sério — Scin', quómodo? —
Ita mé di amabunt — Vín', bona dicám fide?

7. *dudum*, i. e. paullo ante. *Dedi* autem monosyllabum, ut saepe, et, pariter ac *dedisti*, binis syllabis, proferendum. Cf. Bacch. 4, 3, 50. Men. 4, 3, 15. Cist. 1, 3, 34. II, 3, 29. Amph. 2, 2, 138. II, 3, 29. As. 4, 1, 7. Curc. 2, 3, 66. Men. 3, 2, 43. Perperam igitur Bothius de conj. *Dedi, priusquam evocasti me dudum foras.*

10. *Perque.* Periter perperam Bothius omissa *que* copula: *Per meos amores.* Nam extant loci luculenti, in quibus huiuscemodi copula posita eliditur, v. c. *Quumque*, Mil. 4, 2, 82. II, 6, 28.

11. Apparet unam esse periodum: *Nunc obsecro te* (vs. 8.), *fac, quod f.* (vs. 13.), ut igitur hic ad *libertatem* minor distinctio ponenda sit.

13. *esse* monosyllabum, uti centies. Amph. 1, 1, 131. As. V, 5.

18. *Meum est istuc off.* Quippe servi plerumque fugiebant; unde *fugitivi* dicti. Cf. Mil. 3, 2, 47.

19. Duplex *Egone* habent vulg. et vett. Simplex Ven. et Both. — Constructio: Egone ut non te hodie manu emittam, si hoc effexis: *Warum sollte ich dich nicht heute noch freilassen?*

21. *Non hercle meream, quantum Acherunte est mortuorum, neque quantum aquae, neque quantum nubium, neque quantum stellarum*, scil. prae eo, ut te manu emittam. *Ich würde es nicht thun (scil. dafs ich dich nicht freiliefse) auch wenn ich dadurch verdienen könnte so viel (scil. Geld) als Todte in der Unterwelt, Wasser im Meere, Wolken und Sterne am Himmel sind.*

23. Vulg. *aquae.* Both. *aquai.* Ven. *aqua.* — In *abiturusne* non elidendum.

24. Sic vett. — Ven. *Neque nubes quantum est. M. Pergin' pergere.* Vulg. *Neque nubis quantum. M. Pergin pergere?* Both. *Neque nubis omnis quantum. M. P. p.?* — *Nubis* collectivum est, genitivo casu, ut supra *aquai*, atque *stellae* in seq.

26. *Neque hoc neque illuc.* Sic vulg. et Both. — Vett. et Ven. *Neque huc neque illuc.* Ab his autem inde transitum facit ad subsequentem comminationem: *Scin quomodo?* scil. tibi res se habeat? Vide loca ad 1, 2, 165 laudata. Hoc autem est illud *unum verbum*, quod v. 28 innuit. Transitum autem facit per negationem *neque*, ita tamen, ut facetias dicat, sensu plane nihili et ineptientes, quae dubio procul maximam partem sunt supposititiae. — *vero serio* i. e. q. serio, *im Ernste.* Idem sequens est *vero.*

Quod híc inter nos líceat — ita me Iúpiter —
Scin', quám? — Vide tu — Crédin', quod ego fábuler?
My. Si néqueo facere, ut ábeas: egomet ábiero:
Nam istí quidem hercle orátioni Oédipo
Opus cóniectore est, quí sphingi interprés fuit.
Ag. Illic hínc iratus ábiit: nunc mihi caútio est,
Ne meámet culpa méo amori obiexím moram.
Ibo átque arcessam téstes: quando amór iubet
Me obédientem ésse servo líberum.

ACTUS II.

LYCUS. ANTHEMONIDES.

Ly. Di illum ínfelicent ómnes, qui post húnc diem
Leno úllam Veneri unquam ímmolarit hóstiam,
Quive úllum thuris gránum sacruficáverit!
Nam ego hódie infelix dís meis iratíssumis
Sex ágnos immolávi, nec potuí tamen
Propítiam Venerem fácere uti essét mihi.
Quoniám litare néqueo, abii illinc íllico
Irátus; vetui éxta prosicárier,
Neque éa adspicere vólui. Quoniam nón bona
Harúspex dixit, deam ésse indignam crédidi.
Eo pácto avarae Véneri pulcre adií manum.
Quando íd, quod sat erat, sátis habere nóluit:
Ego paúsam feci. Síc ago, sic mé decet.
Ego fáxo posthac dí deaeque céteri

32. *Scin' quam?* scil. sis vapulaturus, nisi effexis. Manu autem gestuque ad hoc verbum comminatur.

35. Sic vett. — Vulg. et Ven. *Opus est coniectore.*

39. Sic Veneta. Vulg. *meo obedientem me.* Vett. *Meo me obedientem esse servo liberum.* Cdd. *Meo obed. esse servo lib.*

Act. II. Advenit Lycus cum Anthemonide (qui tamen in via paullo restitit) ex aede Veneris, ubi narrat sacrificium sibi male cessisse, haruspicemque sibi mala praesagiisse. Interim miles accedit, de suis pugnis glorians, atque Anterastylin ab eo petens, pro qua iam minam ei ultro dederit. Negat se Lycus, quia male litarit, hodie serias res acturum. Introit nihilominus cum eo una miles, hanc diem festum apud eum acturus.

1. *infelicent.* Sic vulg. et vett. — Ven. *infelicitent*, brevi *li* syllaba, quae producitur Cas. 2, 3, 32. Contra v. *infelicare* occurrit Epid. 1, 1, 11. Merc. 2, 3, 98.

5. *Sex agnos immolavi.* Hoc ordine in vett. — Vulg. et Ven. *Sex immolavi agnos*, pro quo Both. *S. i. dgonas*, ex Pall. et emend. Meursii, i. e. victimas. Quaedam edd. *sexagenos.* Fortasse l. *Sex agnas imm.*

6. Both. *utid* cum *d* ἐφελκυστικῷ. Verum non elidendae voces *facere*, (Cf. Amph. prol. 152) neque vero *uti.*

7. *litare* est: feliciter sacrificare.

8. *prosicarier*, a *secare*, in frusta secari, ut edantur in epulis.

9. *Neque ea adspicere volui*, sc. porro sacerdotem. Vetui sacerdotem ea amplius etiam inspicere, mecumque ea abstuli.

10. *indignam*, sc. sacrificio.

11. *adii manum*, h. e. eam frustratus sum, decepi, circumveni. Cf. Aul. 2, 8, 8. Pers. 5, 2, 18. Similiter *tangere* de decipiendo.

13. *pausam feci*, vetui porro sacrificari. Nam ubi litare veteres nequibant, alteram post alteram victimam offerebant. De dictione cf. Pers. 5, 2, 41. Rud. 4, 5, 15. Trin. 1, 2, 150. et infra vs. 16.

Conténtiores máge erunt, atque avidí minus,
Quum scíbunt, Veneri ut ádierit lenó manum.
Condígne haruspex, nón homo trióboli,
Omníbus in extis aíbat portendí mihi
Malúm damnumque, et déos esse iratós mihi.
Quid éi divini aut húmani aequum est crédere?
Miná mihi argenti dóno postillá data est.
Sed, quaéso, ubinam illic réstitit milés modo,
Qui hanc míhi donavit, quem égo vocavi ad prándium?
Sed éccum incedit. *A.* Íta, ut occepi dícere,
Lenúlle, de illac púgna Pentethrónica,
Qua séxaginta míllia hominum unó die
Voláticorum mánibus occidí meis.
Ly. Ehém volaticórum hominum? *A.* Ita dicó quidem.
Ly. An, óbsecro, usquam súnt homines volátici?
A. Fuére; verum ego ínterfeci. *Ly.* Quómodo
Potuísti? *A.* Dicam. Víscum legioní dedi
Fundásque; eo praesternébant folia fárferi.
Ly. Quoi réi? *A.* Ne ad fundas víscus adhaeré̄sceret.
Ly. Perge: óptume hercle péieras. Quid póstea?
A. In fúndas visci indébant grandiculós globos;
Eo illós volantes iússi funditárier.
Quid múlta verba? quémquem visco offénderant,
Tam crébri ad terram décidebant, quám pira.
Ut quísque acciderat, eúm necabam íllico
Per cérebrum pinna súa sibi, quasi túrturem.
Ly. Si hercle ístuc unquam fáctum est, tum me Iúpiter
Faciát, ut semper sácruficem, nunquám litem.
A. An mi haéc non credis? *Ly.* Crédo, ut mi aequom est crédier.
Age, eámus intro, dum éxta referuntúr. *A.* Volo

17. *Condigne*, h. e. pariter erga me animatus, atque Venus ipsa. De hoc v. cf. Aul. 3, 4, 6. Bacch. 3, 1, 8. Capt. 1, 1, 39. Amph. 1, 3, 39. Cas. 4, 1, 14. Men. 5, 5, 8.

20. *divini aut humani*, i. e. omnium rerum. Cf. Amph. 2, 2, 197 ubi v. n. As. V, 4 coll. As. 2, 4, 53.

21. *data est*, sc. ab Anthemonide milite, quo sibi bene esset apud me.

24. *Ita ut occ. dicere.* Cogitandi sunt inter se collocuti de magnis factis militis, cum exirent e fano.

25. *Lenulle*, diminit. v. *leno.* — *pentethronica.* fictum nomen; atque sic leg. Pall. Vett. vulg. et Ven. in textu quidem, at in notis *pentechronica*, et *pentetornica*.

27. *volaticorum*, qui alas habebant. Veneta et hic et vs. seq. *evolaticorum*; vett. tantum seq.

28. Ven. et vett. *Evolaticorum.* Vulg. *Eh! volaticorum.* Nostr. Lamb.

32. Sic vulg. — Vett. et Ven. *eos praesternebam ut folia farferi.* Lamb. *eo praesternebam folia f.* Farferum virgulti genus fuisse dicitur. Sed Farfarus fluvius in agro Sabinorum. Ov. Met. XIV, 330.

33. Sic libri, et in *adhaeresceret* aut licentia magna, aut apertum peccatum prosodicum.

34. Edd. *periuras.*

35. Sic vulg. — At vett. et Veneta: *In fundas infundebam gr.*

37. *quemquem.* Sic Ven. et vulg. — Vett. *ut quemque.* — Ven. *obfenderam.*

38. *decidebant.* Sic Ven. et vett. — Vulg. et B. *accidebant*, ex vs. seq.

39. Vett. et Ven. *cciderat.*

40. *sua sibi.* Sic vulg. — Ven. *sua. sic.* Vett. *susica.* *Sibi* pleonastice, ut saepe. Vide Indicem.

42. Omnes: *nec umquam litem.*

Narráre tibi etiam únam pugnam. *Ly*. Níhil moror.
A. Auscúlta. *Ly*. Non hercle! *A*. Ímo iam elidám caput
Tuúm, ni auscultas aút is in malám crucem!
Ly. Malám crucem ibo pótius. *A*. Certumne ést tibi?
Ly. Certúm. *A*. Tum tu igitur díe bono, Aphrodísiis,
Addíce tuam mihi méretricem minúsculam.
Ly. Ita rés divina míhi fuit: res sérias
Omnés extollo ex hóc die in aliúm diem.
Profécto festos hábeam decretúm est mihi.
Nunc hínc eamus íntro. Sequere hac mé. *A*. Sequor.
In húnc diem iam túus sum mercenárius.

ACTUS III. SCENA I.

AGORASTOCLES. ADVOCATI.

Ag. Íta me di ament, tárdo amico níhil est quidquam iníquius,
Praésertim homini amánti, qui, quidquíd agit, properat ómnia:
Sícut ego hos duco ádvocatos, hómines spissigradíssumos,
Tárdiores quám corbitae súnt in tranquilló mari.
Átque equidem hercle dédita opera amícos fugitaví senes:
Scíbam aetate tárdiores: métui meo amorí moram.
Néquidquam hos procós mi elegi lóripedes, tardíssumos.
Quín, si ituri hodie éstis, ite, aut íte hinc in malám crucem!
Síccine oportet íre amicos hómini amanti operám datum?
Nam íste quidem gradús succretust críbro pollinário:
Nísi cum pedicis cóndidicistis síc hoc grassarí gradu.
Ad. Heús tu, quamquam nós videmur tíbi plebeii et paúperes,
Sí nec recte dícis nobis, díves de summó loco:

46. Veneta: *Ausculta nam hercle tuum iam elidam caput nisi auscultas: aut is in m. cr.* Vett. *Ausculta. L. Non hercle. A. immo iam elidam caput Nisi auscultas, aut is hinc i. m. cr.* ut et vulg. quae tamen habet *Tuum iam el. c.* et *hinc* omittit, quemadmodum Pall.

51. *Ita res d. m. f.* h. e. Res divina, h. e. sacrificium mihi hodie tam male cessit, ut omnes res serias non hodie sed alio tempore agam. *extollere* i. e. q. protollere, h. e. procrastinare, differre. Cf. Cas. 2, 8, 11.

53. *Profecto festos* sc. hos dies Aphrodisiorum, vere festos habebo, h. e. nihil seriae rei in illis agam. Bothius sine causa dedit: *Profestos festos.*

Act. III. Sc. I. Adducit Agorastocles advocatos, qui sint testes contra Lycum, si neget, Collybiscum apud se esse. Conqueritur autem de tarditate eorum. Advocatos in simili re adductos vide Ter. Phorm. II, 3.

4. *corbitae*, naves onerariae. V. v. 40. Cf. Cic. ad Att. 16, 6.

5. *fugitavi*, h. e. de industria non elegi senes, sed iuniores.

7. *procos*, εἰρωνικῶς i. q. proceres, quum sint plebeii, cf. v. 12. *loripedes*, tortis pedibus, ut lora sunt torta. Iuven. 2, 23. *Loripedes rectus derideat.*

8. *Quin*. Sic vulg. — Ven. et vett. *Qui*. — Omnes *estis hodie*. Nostr. Both.

10. *succretust cribro pollinario*, *gesiebt durch ein ganz feines Sieb*, h. e. spississimus.

11. Sic vulg. ex emend. Lipsii. Ven. *occrassari*. Vett. *sic occrassari*. — *Nisi condidicistis*, i. e. condidicistis, credo; certo existimo, vos condidicisse; seu suppl. antea: Mirum sit, vos sic tardari, nisi etc., ut legitur Truc. 3, 2, 3. *grassari* est ingredi, incedere, ut Rud. *Siccine hic cum uvida veste grassabimur?*

13. *Nec recte dicere alicui* i. e. q. alibi: loqui inclementer cum aliquo, maledicere alicui. Bacch. I, 2, 11. IV, 8, 97.

Dívitem audactér solemus máctare infortúnio;
Néc tibi obnoxií sumus istuc, quíd tu ames aut óderis.
Quum árgentum pro cápite dedimus, nóstrum dedimus, nón tuum:
Líberos nos éssé oportet. Nós te nihili péndimus:
Né tuo nos amóri servos tu ésse addictos cénseas.
Líberos hominés per urbem módico magis par ést gradu
Íre; servile ésse duco, féstinantem cúrrere.
Praésertim in re pópuli placida atque ínterfectis hóstibus
Nón decet tumúltuari. Séd si properabás magis:
Prídie nos te ádvocatos húc duxisse opórtuit.
Né tu opinere, haúd quisquam hodie nóstrum curret pér vias,
Néque nos populus pró cerritis ínsectabit lápidibus.
Ag. Át si ad prandiúm me in aedem vós dixissem dúcere:
Vínceretis cérvom cursu, vél grallatorém gradu.
Núnc vos quia mihi ádvocatos díxi et testes dúcere,
Pódagrosi estis, ác vicistis cóchleam tarditúdine.
Ad. Át vero, non iústa causa est, quó curratur céleriter,
Úbi bibas, edás de alieno, quántum velis, usque áffatim,
Quód tu invitus núnquam reddas dómino, de quo éderis?
Séd tamen quomodécunque, inquam, quámquam sumus paupérculi,
Ést domi, quod édimus: ne nos tám contemtim cónteras.
Quídquid est pauxíllulum illuc; nóstrum illud omne íntus est.
Néque nos quemquam flágitamus, néque nos quisquam flágitat.
Túa causa nemó nostrorum est súos rupturus rámices.
Ag. Nímis iracundi éstis: equidem haec vóbis dixi pér iocum.
Ad. Pér iocum itidem díctum habeto, quaé nos tibi respóndimus.
Ag. Óbsecro hercle, operám celocem hanc míhi, ne corbitám date!

14. *Divitem* sc. te, i. e. utut sis dives.

15. Vulg. *Nec tibi nos obn. sumus, istuc quid tu ames aut oderis.* Atque sic et vett. et Ven. — Bothius: *Nec tibi nos obnoxii istuc, quod tu ames aut oderis*, ex coniectura. — Ego *nos* omittendum duxi. Sensus: nec nos adeo obnoxii tibi sumus, ut, quid oderis, quid ames, curare magnopere debeamus.

18. Omnes: *servos tuos esse.* Nostr. Both.

20. *Servile.* Sic vett. — Vulg. et Decurt. *servuli.* Ven. *servilem.* V. C. *servire.*

26. *in aedem*, sc. sacram, ubi interdum coenae dabantur aut prandia; atque sic Acid. Eoque etiam facit, quod dicit *ducturum* se ees, quod non posuisset, nisi templum intellexisset. Nam alibi sane *aedis* et pro *aedibus* ponitur. As. 1, 3, 67. Ps. 1, 2, 29. Most. 2, 2, 44 72.

27. Vulg. *clavatorem.* Ven. *gralatorem.* vett. *grallatorem.* Grallator est, qui in perticis incedit, *einer der auf Stelzen geht*, atque ideo magnos facit gressus, ut explicat Festus. V. C. *clabatorem.* Dec. *glabatorem.* Clavator est qui gestat clavam. Cf. Rud. 3, 5, 25. In quem qui potius cadat gradus grandis, quam in grallatorem non apparet. Sine dubio notius vocabulum substitutum minus noto.

30. Vulg. *An vero.* Vett. Ven. et edd. *At vero.*

34. *edimus* coniunctivo modo, pro: *edamus*, uti *edim* pro *edam.*

35. *nostrum* ne elidas velim, *illud* una syllaba proferas. Ad *pauxillulum* cf. Capt. 1, 2, 67. 68.

37. Omnes: *Tua causa nemo nostrum est*, Ven. *nostrust.* Ut videatur aliquid omissum. Fortasse: *Tua ergo causa*, aut: *Tuaque*, aut *Tuapte*, aut *Tua causa ergo nemo nostrum est.* Both. e coni. *Tua nostrorum nemo est.*

38. *Nimis iracundi.* Eadem v. Amph. 3, 2, 22. Bacch. 4, 2, 12. *per iocum* v. Amph. 3, 2, 35 et 3, 3, 8. 18. Cf. infra v. 69.

Áttrepidate sáltem: nam vos ápproperare haud póstulo.
Ad. Sí quid tu placide ótioseque ágere vis, operám damus;
Sí properas, cursóres meliust te ádvocatos dúcere.
Ag. Scítis (rem narrávi vobis), quód vostra opera mi ópus siet
Dé lenone hoc, quí me amantem lúdificatur tám diu:
Eí paratae ut sínt insidiae de aúro et de servó meo.
Ad. Ómnia istaec scímus iam nos, si hí spectatorés sciant.
Hórunc hic nunc caúsa haec agitur spéctatorum fábula:
Hós te satius ést docere: ut, quándo agas, quid agás, sciant;
Nós tu ne curássis: scimus rem ómnem: quippe omnés simul
Dídicimus tecum úna: ut respondére possimús tibi.
Ag. Íta profecto est; séd agite, igitur út sciam vos scíre, rem
Éxpedite, et míhi, quae dudum vóbis dixi, dícite.
Ad. Ítane tentas, án sciamus? Nón meminisse nós ratus,
Quómodo trecéntos Philippos Cóllybisco víllico
Déderis, quos deférret huc ad lénonem, inimicúm tuum,
Ísque se ut adsimuláret peregrinum áliunde, ex alio óppido?
Úbi is tetulerit: tu éo quaesitum sérvom adventés tuum
Cúm pecuniá. *Ag.* Meministis mémoriter, servástis me.
Ad. Ílle negabit: Mílphionem quaéri censebít tuum.
Íd duplicabit ómne furtum: léno addicetúr tibi.
Ád eam rem nos ésse testes vís tibi. *Ag.* Tenétis rem.
Ad. Víx quidem hercule (íta pauxilla est) dígitulis primóribus.
Ag. Hóc cito et cursim ést agendum. Própera iam, quantúm potest!
Ad. Béne vale igitur. Te ádvocatos mélius celeris dúcere:
Tárdi sumus nos. *Ag.* Óptume itis, péssume hercle dícitis.
Quín etiam decíderint vobis fémina in talós velim.
Ad. Át edepol nos tíbi in lumbos línguam, atque oculos ín solum.
Ag. Héia, heud vostrum est, íracundos ésse, quod dixí ioco.
Ad. Néc tuum quidem ést, amicis pér iocum iniusté loqui.
Ag. Míttite istaec. Quíd velim vos, scítis. *Ad.* Callemús probe:
Lénonem periúrum ut perdas, íd studes. *Ag.* Tenétis rem.

40. *celox* navigii genus velox, *corbita* tardum. V. v. 4.

41. *Attrepidare*, pro senilium modulo virium celeriter sese movere, quamquam non multum proficias; *adproperare*, celeriter se movere, atque proficere.

46. *de auro*, *von wegen des Geldes*, ut supra *de lenone*. — *ut sint*, quomodo sint.

48. Eadem fere leguntur Pseud. 2, 4, 30.

49. Vulg. *Hos te*. Ven. et vett. *Hosce*. Deinde omnes: *quid agant, sciant*. Both. ex emendatione Acid. *quid agas, sciant*. Potest tamen et vulg. retineri, ut sit i. q. quid cogitent animo.

53. *dudum*, paullo ante.

57. *Isque se ut — esse aliunde, ex alio oppido*. Sic omnes. Atque in *Isque* copula pariter liquescit, atque I, 3, 10 et Mil. 4, 2, 82. II, 6, 28. — Tum vero *esse* ante *aliunde* eiiciendum erat.

61. Omnes: *Id duplicabit omne furtum*. Pro *omne* Both. *homini*, nulla ut videtur auctoritate.

63. *ita pauxilla est*. Ambiguus subest sensus. Partim enim referenda dictio ad filum, quod tenetur digitis primoribus, partim etiam forsitan ad aliam rem; quales loci saepius occurrunt in veterum comoediis.

64. Vett. *Properate iam*. Nostr. vulg.

65. *melius*, i. e. consultius est. As. 2, 1, 1. Cf. 3, 3, 64. 66.

67. *Deciderint femina in talos*, i. e. ita vos velim prae senectute curvatos, ut femina talis proxima sint.

Écce opportune égrediuntur Mílphio una et víllicus.
Básilice exornátus incedit ét fabre ad falláciam.

ACTUS III. SCENA II.

MILPHIO. COLLYBISCUS. AGORASTOCLES. ADVOCATI.

Mi. Iám tenes praecépta in corde? *Co.* Púlcre. *Mi.* Vide, sis, cálleas.
Co. Quíd opust verbis? cállum aprugnum cállere aeque nón sinam.
Mi. Fác modo, ut condócta tibi sint dícta ad hanc falláciam.
Co. Quín edepol condóctior sum, quám tragoedi aut cómici.
Mi. Próbus homo es. *Ag.* Adeámus propius. — Ádsunt testes.
Mi. Tót quidem
Nón potuisti addúcere homines mágis ad hanc rem idóneos:
Nam ístorum nullús nefastu'st; cómitiales súnt meri;
Íbi habitant; ibi eós conspicias, quám praetorem, saépius.
Hódie iuris cóctiores nón sunt, qui lités creant,
Quám sunt hice; quí, si nihil est lítium, lités serunt.
Ad. Dí te perdant! *Mi.* Vós quidem comméndo, quom, quiquí, tamen
Ét bene et benígne facitis, quóm hero amanti operám datis.
Séd isti iam sciúnt, negoti quíd sit? *Ag.* Omnem rem órdine.

74. Omnes: *incedit*. Both. *cedit*, ut et alibi.

Act. III. Sc. II. Adducit Milphio Collybiscum, tamquam peregrinum advenam, qui sibi cupiat bene esse apud lenonem. Adducit testes Agorastocles; qui spondent se velle Collybisco monstrare Lycum. Introit Agorastocles cum Milphio.

1. *calleas*, h. e. cura, ut teneas. Cf. Pers. II, 1, 8. II, 2, 1. — *callum aprugnum*, h. e. callum apri. callum autem, sive callus, est cutis, vellus. Pers. 2, 5, 4.

3. Vett. et Ven. et Dec. *conducta*, atque sic et Lamb. Nostram vulg. et B. cum V. C. Item vs. sequ.

4. Vett. et Ven. *Quin edepol indoctior sum, quam in tragoedia comici*. Lamb. *Qu. ed. conductior sum, quam tragoedi aut c.* Nostr. vulg. et B.

5. Vett. Ven. Pall. et Lamb. *Probus homo est*. Vulg. et B. — *es*. — Deinde omnes: *adeam*. Nostr. B.

7. *nullus nefastust*, nullus non perpetuo in foro versatur. *comitiales*, h. e. qui vel in comitiis sunt perpetuo, vel comitiali morbo affliguntur. Cf. ad Bacch. IV, 8, 52.

9. Vulg. et Both. et Lamb. et Pall. ambo: *coctiores*. Vett. et Ven. *doctiores*. Ven. omisso *iuris*. Ceterum *coctiores* idem esse debet, quod *doctiores*. Causa autem tralationis locosae est verbum *iuris*, quod et *das Recht* et *die Brühe* significat. — Mihi tamen versus hi 8 — 10 supposititii videntur. Quid enim sibi vult: *qui lites creant?* Porro v. 10 omnes legunt: *Quam sunt hi*. Both. *Quamde*. Ego dedi *hice*. Pro Lamb. et B. *lites emunt* Ven. vett. et vulg. *l. serunt*.

11. Vulg. et vett. et Ven. *Vos quidem hercle, commendo, quom, quiqui tamen, Et b.* Both. *Vos quidem hercule aequum est quomque, qui tamen Et b.* V. C. *quo meo quin qui qui tamen.* Dec. *quo meo quom qui qui tamen.* Nos sequimur Acidalium. Post *vos quidem* supplendum *di perdant.* Idem tamen faceta inclinatione iungitur et sequenti *commendo*, i. e. laude. Similes loci occurrunt Capt. IV, 2, 89. *Iuppiter te dique perdant. E. Te hercle mi aequum est gratias Agere.* Cas. 2, 4, 1. Epid. 1, 1, 21. Mil. 2, 8, 15 etc. v. Acid. p. 382. Nostri loci sensus: *Vos quidem laudo, quum, quiqui sitis, tamen benigne facitis, eo quod hero o. d.* Nihil autem offensae esse debet in duplici *quum*, quorum alterum, ut saepe, positum pro *quod*. Cf. Rud. 4, 8, 6.

Mi. Túm vos animum advórtite igitur. Húnc vos lenoném Lycum
Nóvistis? *Ad.* Facile. *Co.* Át ego pol eum, quá sit facie, néscio:
Éum volo mihi démonstretis hóminem. *Ad.* Nos curábimus.
Sátis praeceptum. *Ag.* Híc trecentos númos numeratós habet.
Ad. Érgo nos inspícere oportet ístuc aurum, Agorástocles;
Út sciamus, quíd dicamus móx pro testimónio.
Ag. Ágite, inspicite. *Co.* Aurum ést profecto, spéctatores, cómicum:
Mácerato hoc píngues fiunt aúro in Barbariá boves;
Vérum ad hanc rem agúndam Philippum est. *Ad.* Íta nos adsimulábimus.
Co. Séd ita adsimulatóte, quasi ego sím peregrinus. *Ad.* Scílicet;
Ét quidem, quasi tú nobiscum advéniens hodie oráveris,
Líberum ut commónstraremus tíbi locum et voluptárium,
Úbi ames, potes, pérgraecere. *Mi.* Heu édepol mortalés malos!
Ag. Égo enim docui. *Mi.* Quís te porro? *Co.* Agite, íntro abite, Agorástocles:
Ne híc vos mecum cónspicetur léno, neu falláciae
Praépedimentum óbiciatur. *Mi.* Híc homo sapientér sapit:
Fácite, quod iubét. *Ag.* Abeamus. Séd vos, satis dictúm est? *Co.* Abi.
Ag. Ábeo. Quaeso, di ímmortales. *Co.* Quín abis? *Ag.* Abeó. *Co.* Sapis. St!
Táce! *Ad.* Quid est? *Co.* Fores haé fecerunt mágnum flagitiúm modo.
Ad. Quíd id est flagitií? *Co.* Crepuerunt cláre. *Ad.* Di te pérduint!
Póne nos recéde. *Co.* Fiat. *Ad.* Nós priores íbimus.
Co. Fáciunt, scurrae quód consuerunt: póne sese hominés locant.
Ad. Íllic homo est, qui egréditur, leno. *Co.* Bónus est: nam similís malo est.
Iám nunc ego illi égredienti sánguinem exsugám procul.

---

21. *in Barbaria*, h. e. in Italia. Cf. Capt. 3, 1, 32. Asin. prol. 11. Capt. 4, 2, 105. Cas. 3, 6, 33. Most. 3, 2, 144. Pro auro autem in comoediis utebantur lupinis. Cf. Horat. Ep. I, 7, 24. *Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.* — *Macerare* i. e. q. aqua infusa liquefacere aliquid. Cf. supra I, 2, 33. Terent. Adelph. 3, 3, 27.

24. *oraveris nobiscum*, i. e. oraveris nos. Bacch. 3, 3, 90. As. 3, 3, 72. Cas. 3, 4, 5. Curc. 3, 62. Pers. 1, 3, 37.

26. Ven. *ubi amans posses pergraecari.* Nostr. vulg. et vett. — *malos*, i. e. astutos, versutos.

27. *Quis te porro?* Ego videlicet, innuit.

32. Ven. *Phi! tace.*

35. *scurrae* sunt homines urbani, lepidi, delicati. Curc. 2, 3, 17. *pone locant*, umbrae in convivio.

36. Vett. et Ven. cum Dec. *bonus: nam similis, malus est.* In V. C. deest v. *malus.* Nostr. vulg. Sensus: bonus est leno: nam malus et nequam est; quod statim ex voltu agnoscas.

ACTUS III. SCENA III.

LYCUS. ADVOCATI. COLLYBISCUS.

Ly. Iam istúc revortar, míles: convivás volo
Reperíre nobis cómmodos, qui uná sient.
Intéribi attulerint éxta; atque eàdem múlieres
Iam ab ré divina, crédo, apparebúnt domi.
Sed quid húc tantum hominum incédunt? ecquidnam áfferunt?
Et ílle chlamydatus quísnam est, qui sequitúr procul?
Aetólus haud est. *Ad.* Té salutamús, Lyce,
Quamquam hánc salutem férimus invití tibi, et
Quanquám bene volumus léniter lenónibus.
Ly. Fortúnati omnes sítis, quod certé scio
Nec fóre, nec Fortunam íd situram fíeri.
Ad. Istic ést thesaurus stúltis in linguá situs,
Ut quaéstui habeant mále loqui melióribus.
Ly. Viám qui nescit, quá deveniat ád mare,
Eum opórtet amnem quaérere comitém sibi.
Ego mále loquendi vóbis nescivi viam:
Nunc vós mihi amnes éstis: vos certúm est sequi.
Si bénedicetis, vóstra ripa vós sequar;
Si máledicetis, vóstro gradiar límite.
Ad. Maló benefacere tántundem est perículum,
Quantúm bono malefácere. *Ly.* Qui veró? *Ad.* Scies.
Maló si quid benefácias, beneficium ínterit;
Bonó si quid malefácias, aetatem éxpetit.
Ly. Facéte dictum! Séd quid istuc ad me áttinet?
Ad. Quia nós honoris tuí causa huc advénimus,
Quamquám bene volumus léniter lenónibus.
Ly. Si quíd boni apportátis, habeo grátiam.
Ad. Boní de nostro tíbi nec ferimus néc damus,
Neque póllicemur, néque adeo volumús datum.

Act. III. Sc. III. Egreditur Lycus ex aedibus suis, quaesitum alios convivas sibi et militi. Adloquuntur eum Advocati, certioremque faciunt de Collybisco tamquam peregrino, qui velit apud eum pergraecari. Ergo lenoni Collybiscus aurum tradit, videntibus advocatis, qui adee Agorastoclem evocant, ut ipse quoque eius rei testis sit.

1. *Iam*, h. e. brevi. — Post *istuc* omnes addunt *ego*. Omisit Both.

3. *attulerint* sc. servi. *exta* sc. hostiarum a me sacrificatarum in templo Veneris. — *eadem*, sc. *operâ*, h. e. simul, una, uti saepe. V. Indicem.

6. *illic*. Sic omnes edd., atque enunciandum tamquam monosyll. Both. *illic*.

7. Vett. *Aetolus haud est. Adv. Te sal.*, *L.* uti et Lamb. et Deusa. Verum vulg. Pall. et Both. *Actoli cives te sal.* *L.* Praefero vett. — Ven. *Aetolica veste. Adv. Salutamus.*

9. Hic versus repetitur v. 26, quare hic eum includit Bothius. Pro *leniter* edd. *leviter*. Illud Mss. habent.

22. *beneficium* quadrisyllabum v. Pers. 5, 1, 10. As. 3, 3, 83. Epid. 1, 2, 34. Trin. 3, 2, 12.

23. *aetatem expetit*, h. e. per omnem vitam male evenit, quia boni plerumque potentiores. De verbo expetere cf. Amph. 1, 3, 23. *Boni* autem i. q. locupletes. V. Ind.

25. Et vulg. et vett. post *causa* addunt *huc*. Unde forsan leg. *advenimus* pro vulg. *huc ad te venimus*. Both. emittit *huc*. — *honoris tui causa* i. e. q. tui causa. Cf. Amph. 1, 2, 24. III, 1, 7. Asin. 1, 3, 39.

28. *Boni* sc. quidquam. Refertur autem ad vs. praec.

Ly. Credo hércle vobis: íta vostra est benígnitas.
Sed quíd nunc voltis? *Ad*. Húnc chlamydatum quém vides,
Ei Márs iratust. *Co*. Cápiti vostro istúc quidem!
Ad. Hunc núnc, Lyce, ad te díripiendum addúcimus.
Co. Cum praéda hic hodie incédet venatór domum:
Canés compellunt ín plagas lepidé Lycum.
Ly. Quis hic ést? *Ad*. Nescimus nós istum quidem, quí siet,
Nisi, dúdum a mane ut ád portum procéssimus,
Atque ístunc e navi éxeuntem onerária
Vidémus. Adiit ád nos extemplo éxiens;
Salútat; respondémus. *Co*. Mortalés malos!
Ut íngrediuntur dócte in sycophántiam!
Ly. Quid deínde? *Ad*. Sermonem íbi nobiscum cópulat:
Ait, sé peregrinum esse, húius ignarum óppidi;
Locúm sibi velle líberum praebérier,
Ubi néquam faciat. Nós hominem ad te addúximus.
Tu, sí te di amant, ágere tuam rem occásio est.
Ly. Itane ílle est cupiens? *Ad*. Aúrum habet. *Ly*. Praeda haéc mea est!
Ad. Potáre, amare vólt. *Ly*. Locum lepidúm dabo.
Ad. At enim clam furtim hic ésse volt: ne quí sciant,
Neve árbiter sit: nam híc latro in Spartá fuit,
Ut quidem ípse nobis díxit, apud regem Áttalum;
Inde húc aufugit, quóniam capitur óppidum.
Co. Nimis lépide de latróne, de Sparta óptume!
Ly. Di deaéque vobis múlta bona dent, quúm mihi
Et béne praecipitis, ét bonam praedám datis!
Ad. Imo, út ipse nobis díxit, quo accurés magis,
Trecéntos numos Philíppos portat praésidii.
Ly. Rex súm, si ego illum hodie hóminem ad me alléxero.
Ad. Quin híc quidem tuus est. *Ly*. Óbsecro hercle, hortámini,
Ut dévortatur ád me in hospitium óptumum.
Ad. Neque nós hortari néque dehortarí decet
Hominém peregrinum: túam rem tu ages, sí sapis.
Nos tíbi palumbem ad áream usque addúximus:
Nunc te íllum melius cápere, si captum ésse vis.
Ly. Iamne ítis? *Co*. Quid, quod vóbis mandavi, hóspites?

32. *Ei Mars iratust*. Cuius oves a lupis damnum patiebantur, ei dicebatur Mars esse iratus, quia lupi a Marte immitterentur. Cf. Truc. 5, 1, 11. Lycus autem latino lupus est.

37. *dudum*, paullo ante.

38. *Atque* facit apodosin, et est i. q. statim. Cf. Capt. 3, 1, 19. Epid. 2, 2, 35. Bacch. 2, 3, 45.

42. Vulg. et vett. *nobiscum ibi*.

49. Sic. vett.; Vulg. et Both. cum Decurt. *At enim hic clam furtim esse v.* V. C. *At enim hic furtim esse volt.*

50. *arbiter* est spectator, testis. Cf. Capt. 2, 1, 28. et v. Indicem. — *latro* i. q. miles conducticius. Cf. Mil. 1, 1, 74. Cur. 4, 3, 16.

52. Vulg. Ven. et Both. cum edd. *Inde nunc auf.* Nostr. vett. — *quoniam capitur oppidum*, sc. quod ille defendebat. *capitur* pro *captum est*. — *quoniam* autem pro *postquam*. As. 2, 2, 83.

57. Pro vulg. *praesidii* Ven. et vett. *prae sibi*, edd. *presibi*.

62. Vett. *agis*. Vulg. *ages*, uti Pall.

64. *melius*, consultum est; ut saepe, et v. 66. Cf. 3, 1, 65.

65. *mandavi*, a vobis petii, vobis-

Ad. Cum illóc te melius tuám rem, adulescéns, loqui:
Illic ést ad istas rés probus, quas quaéritas.
Co. Vidére equidem vos véllem, quum huic aurúm darem.
Ad. Illínc procul nos ístuc inspectábimus.
Co. Bonám dedistis mihi óperam. *Ly*. It ad mé lucrum.
Co. Illúc quidem, quorsum ásinus caedit cálcibus.
Ly. Blande hóminem compellábo. — Hospes hóspitem
Salútat. Salvom te ádvenire gaúdeo.
Co. Multá tibi di dent bóna, quum me salvom ésse vis.
Ly. Hospítium te aiunt quaéritare. *Co*. Quaérito.
Ly. Ita ílli dixere, qui hínc a me abierúnt modo,
Te quaéritare a múscis. *Co*. Minume géntium.
Ly. Quid itá? *Co*. Quia, a muscis sí mi hospitium quaérerem, huc
Advéniens, irem in cárcerem rectá via.
Ego id quaéro hospitium, úbi ego curer móllius,
Quam régi Antiocho óculi curarí solent.
Ly. Edepól nae tibi possum íllum festivúm dare,
Siquidém potes pati ésse te in lepidó loco,
In lécto lepide stráto, lepidam múlierem
Compléxum contrectáre te. *Co*. Is, lenó, viam.
Ly. Ubi tú Leucadio, Lésbio, Thasió, Coo,
Vetustáte vino edéntulo aetatem írriges.
Ibi té replebo úsque unguentùm eccheúmatis.
Quid múlta verba? Fáciam, ubi tu láveris,
Ibi ut bálneator fáciat unguentáriam.
Sed haéc latrocinántur, quae ego dixi, ómnia.
Co. Quid itá? *Ly*. Quia aurum póscunt praesentárium.
Co. Quin hércle accipere tú non mavis, quam égo dare.
[*Ly*. Quin séquere me intro. *Co*. Dúc ergo [me intro]. Addictúm tenes.]
Ad. Quid, si évocemus húc foras Agorástoclem:
Ut ípse testis sít sibi certíssumus? —
Heus tú, qui furem cáptas, egredere ócius:
Ut túte inspectes aúrum lenoní dare.

---

cum rogavi, sc. ut inspectaretis, me aurum dare lenoni.

71. *quorsum asinus* etc. h. e. retro abs te abscedit lucrum. Retro enim calcitrat asinus.

72. Vett. post *Blande* addunt *huc*, quod deest in Pall.

77. *a muscis*. Supplendum censent: *liberum*, atque sic et Dousa. Mihi tamen potius leno sub muscis innuere videtur meretrices, ut *a muscis* idem sit, quod *apud muscas*. Atque sic et quadrant sequentia: *irem in carcerem*. Nam in carcere certe non desunt muscae, potius unicae ibi sunt hospites. — Sic *a lenone amare* legitur infra 5, 2, 132.

82. Omnes: *illum*, sc. *locum*, quod sequitur. Both. *illud*, e coni.

83. Vulg. Vett. *Siq. potes esse pati te i. l. l.* In Pall. abest *te*.

86. Sic omnes. Both. *Leuc.*, *Coo*, *Thas. L.*

87. *Vetustate* i. e. prae vetustate quasi edentulo. *aetatem inriges* suppl. tuam, i. e. te irriges. Sic Rud. 5, 2, 59. *uti te in quaestu tuo Venus eradicet caput atque aetatem tuam*, h. e. caput tuum et te omnem. Proprie *aetas* plerumque i. e. q. vita. V. ind.

88. *unguentûm eccheumatis*, i. e. unguentorum effusionibus.

91. *latrocinantur*. Haec verba mea et quae promisi tibi, latronum i. e. militum conducticiorum instar sunt; nummos quaerunt.

94. Hic vs. rectius legitur III, 4, 10. ubi repetitur in edd. Omisit eum hic Both.

ACTUS III. SCENA IV.

AGORASTOCLES. ADVOCATI. COLLYBISCUS. LYCUS.

Ag. Quid ést? quid voltis, téstes? *Ad.* Specta ad déxteram:
Tuus sérvos aurum ípsi lenoní datat.
Co. Age, áccipe hoc, sis. Híc sunt numerati aúrei
Trecénti numi, quí vocantur Philíppei.
Hinc mé procura. Própere hosce absumí volo.
Ly. Edepól fecisti pródigum promúm tibi.
Age, eámus intro. *Co.* Té sequor. *Ly.* Age, age, ámbula;
Ibique ália reliqüa úna fabulábimur.
Co. Equidém narrabo tíbi res Spartiáticas.
Ly. Quin séquere me ergo. *Co.* Abdúc intro: addictúm tenes.
Ag. Quid núnc mi auctores éstis? *Ad.* Ut frugí sies.
Ag. Quid, si ánimus esse nón sinit? *Ad.* Esto, út sinit.
Ag. Vidístis, leno quum aúrum accepit? *Ad.* Vídimus.
Ag. Eum vós meum esse sérvom scitis? *Ad.* Scívimus.
Ag. Rem advórsus populi saépe leges? *Ad.* Scívimus.
Ag. Hem, istaéc volo ergo vós commeminisse ómnia,
Mox quom ád praetorem úsus veniet. *Ad.* Méminimus.
Ag. Quid, sí recenti re aédis pultem? *Ad.* Cénseo.
Ag. Si púltem, non reclúdet? *Ad.* Panem frángito.
Ag. Si exíerit leno: cénsen' hominem intérrogem,
Meus sérvos si ad eum vénit, necne? *Ad.* Quíppini?
Ag. Cum aurí ducentis númis Philippis? *Ad.* Quíppini?
Ag. Ibi extémplo leno errábit. *Ad.* Qua de ré? *Ag.* Rogas?
Quia céntum numis mínus dicetur. *Ad.* Béne putas.
Ag. Aliúm censebit quaéritari. *Ad.* Scílicet.
Ag. Extémplo denegábit. *Ad.* Iuratús quidem.
Ag. Homo fúrti sese adstrínget .... *Ad.* Haud dubium íd quidem est.

Act. III. Sc. IV. Inspectante Agorastocle Collybiscus Lyco argentum tradit; dein uterque ingrediuntur ad lenonem. Restant Agorastocles et Advocati, colloquentes de fraude Lyco facienda. Iidem, Lyco rursus egrediente, opertis capitibus ad eum accedunt.

2. Vulg. *datat.* Ven. *dabat.* Vett. *Tuus servus cum aurum ipsi lenoni dabit.* ut et Lamb. et Dousa. Verbum *datare* v. Pseud. 2, 2, 32.

8. Vulg. et Ven. *Ibique rel. alia fab.* Vett. *Ibique reliqua alia una fabulabimur.* Both. *Ibi*, *quae relicua*, *alia f.* Adv. *ibi* semper duplici brevi enunciatur. Ceterum ego nullam emendandi rationem invenio, quae mihi ab omni parte satisfaciat.

9. Vulg. et Pall. *Eádem*, sc. opera. Vett. *Equidem*, uti et Ven.

11. *frugi*, prudens, sobrius, moderatus in laetitia.

12. *ut sinit*, h. e. sis talis, qualem te esse natura animusque tuus patietur.

14. Vulg. *Scivimus.* Vett. et Ven. *scimus.*

15. Sic Vulg. nec argutandum in his. Vett. *saepe leges esse.* *Adv.* *Scivimus.* Ven. *esse leges?* A. *Scivimus.*

17. *ad praetorem*, apud praetorem. Sic *ad mulieres* Cas. 2, 2, 21. — Pro *meminimus*, quod Ven., Vulg. et vett. *memincrimus.*

19. *Si pultem* etc. Supplendum ad haec *Quid? si.* — Vulg. et Lamb. *Panem frangito.* Vett. *pede fr.* Ven. *pedem fr.* Nimirum pedibus pultabant veteres, non manibus. — At *panem* contrarium *pulti.* Nam v. *pultem* et coni. et acc. esse potest.

20. Vulg. vett. Ven. *censetis.* Pal. *censeo*, et a sec. manu: *censent.* Hinc Both. *censen.*

21. *si* i. e. q. an. Pro *venit*, quod nos e coni. dedimus, edd. *venerit.* Both. *venerit nunc.* Saepenumero indicativus pro coniunctivo apud Plautum ponitur. Cf. Indicem v. *indicativus.*

Ag. Quantúmquantum ad eum érit delatum. *Ad.* Quíppini?
Ag. Diéspiter vos pérduit! *Ad.* Te quíppini?
Ag. Ibo ét pultabo iánuam hanc. *Ad.* Ita. Quíppini?
Ag. Tacéndi tempus ést: nam crepuerúnt fores.
Forás egredier vídeo lenoném Lycum:
Adéste, quaeso! *Ad.* Quíppini? Quin, sí voles,
Operíre capita, né nos leno nóverit;
Qui illí malae rei tántae fuimus ínlices.

ACTUS III. SCENA V.

LYCUS. AGORASTOCLES. ADVOCATI.

Ly. Suspéndant omnes núnc iam se harúspices.
Quid ego íllis posthac, quód loquantur, créduam?
Qui in ré divina dúdum dicebánt, mihi
Malúm damnumque máxumum porténdier;
Is éxplicavi méam rem postillá lucro.
Ag. Salvós sis, leno. *Ly.* Dí te ament, Agorástocles.
Ag. Magis mé benigne núnc salutas, quam ántidhac.
Ly. Tranquíllitas evénit, quasi navi ín mari.
Utcúnque est ventus, éxin velum vórtitur.
Ag. Valeánt apud te, quás volo, atque haud té volo.
Ly. Valént, ut postulátum est; verum nón tibi.
Ag. Mitte ád me, sodes, hódie Adelphasiúm tuam
Die férto celebri nóbilique, Aphrodísiis.
Ly. Calidúm prandisti prándium hodie? díc mihi.
Ag. Quid iám? *Ly.* Quia os nunc frígefactas, quúm rogas.
Ag. Hoc áge, sis, leno: sérvom esse audiví meum
Apúd te. *Ly.* Apud me? Núnquam factum réperies.
Ag. Mentíre: nam ad te vénit aurumque áttulit.
Ita míhi renuntiátum est, quibus credó satis.
Ly. Malus és: captatum me ádvenis cum téstibus.

32. Sic vulg. et Lamb. — Vett. *Foras egreditur, video l. L.* Ven. *egreditur. Adv. vide l. L.*
33. Vulg. *Quippini? quin si voles.* Vett. *Quippini quin si tu voles.* Ven. *Quippini si voles.* Both. *Quippini? Sed, si voles*, e. coni.
34. *operire* sc. volumus.
35. Vett. et Ven. *malae rei ante f. i.*
Act. III. Sc. V. Laetus sibique gratulans a se egreditur Lycus. Accedit ad eum Agorastocles, quaeritque ex eo, an servus suus sit apud eum cum auro. Negat leno. Arguunt eum advocati. Ergo introit ad illum Agorastocles, ut servum evocet, Lycus autem abit ab amicis auxilium petitum.
3. *in re divina*, i. e. inter sacrificandum. *dudum*, paullo ante.
5. *Is explicavi*, verte: *und ich habe doch* etc. Cf. Mil. 2, 1, 14. Merc. 3, 4, 47.
7. *quam antidhac;* ubinam? Certe nuspiam. Ergo erravit poeta, nisi referendum in universum ad tempus aliquod praeteritum.
9. Haec verba et leguntur Epid. I, 1, 47. Sensus: Consilium pro re mutatur.
10. *Atque* videtur positum pro *atqui.* Sic Terentius: *Atque aliquis dicat.* Cf. Bacch. 1, 1, 53.
15. *Quid iam?* i. e. q. alibi: *Quid ita? Wie so?* — *frigefactas* oppositum calido prandio. Quaerit, an, cum in prandio illo calefecerit os suum, nunc frigefaciet interrogando? Vide n. ad Rud. V, 2, 39.
16. *Hoc age*, attende ad hoc, quod tecum iam acturus sum.

Tuórum apud me némo est, nec quidquám tui.
Ag. Meménatote illuc, ádvocati. *Ad.* Méminimus.
Ly. Ha ha hé, iam teneo, quíd sit; perspexí modo.
Hi, qui íllum dudum cónciliaverúnt mihi
Peregrínum Spartanum, íd nunc his cerebrum úritur,
Me esse hós trecentos Philíppos facturúm lucri:
Nunc, húnc inimicum quia ésse sciverúnt mihi,
Eum adlégaverunt, súum qui servom díceret
Cum auro ésse apud me. Cómposita est fallácia:
Ut eó me privent átque inter se dívidant.
Lupo ágnum eripere póstulant. Nugás agunt.
Ag. Negásne, apud te esse aúrum, nec servóm meum?
Ly. Nego; ét negando, sí quid refert, rávio.
Ad. Perísti, leno: nam íste est huius víllicus,
Quem tíbi nos esse Spártiatem díximus,
Qui ad té trecentos módo Philippos détulit;
Idque ádeo in istoc aúrum inest marsúpio.
Ly. Vae vóstrae aetati! *Ad.* Íd quidem in mundo ést tuae.
Ag. Age, omítte actutum, fúrcifer, marsúpium!
Manuféste fur es míhi. — Quaeso hercle, operám date,
Dum mé videatis sérvom ab hoc abdúcere.
Ly. Nunc pól ego perii cérto, haud arbitrário!
Consúlto hoc factum est, míhi ut insidiae fíerent.
Sed quíd ego dubito fúgere hinc in malám crucem,
Priúsquam obtorto cóllo ad praetorém trahor?
Eheú! quam ego habui áriolos harúspices,
Qui sí quid bene promíttunt, pro spisso évenit;
Id quód mali promíttunt, praesentárium est.
Nunc íbo; amicos cónsulam, quo mé modo —
Suspendere aequom cénseant potíssumum.

ACTUS III. SCENA VI.

AGORASTOCLES. COLLYBISCUS. ADVOCATI.

Ag. Age tú, progredere, ut téstes videant té [ire istinc], foras.
Estne híc servos meus? *Co.* Sum [me] hércle vero, Agorástocles.
Ag. Quid núnc, sceleste léno? *Ad.* Quicum lítigas,
Abscéssit. *Ag.* Utinam hinc ábierit malám crucem!

28. *Eum adlegaverunt.* Sic omnes, atque *eum*, ut saepe, integrum elidendum. Amph. 2, 2, 158. 160. Both. *adlegarunt.*

38. *in mundo est tuae*, sc. aetati, h. e. Vae tibi paratum est. Cf. Ep. 5, 1, 12. Cas. 3, 3, 3. As. 2, 1, 16. ubi v. n.

42. *arbitrario* est: *vermuthlich.* Sic alibi Plautus: *Hoc quidem profecto certum est, non est arbitrarium.* Amph. 1, 1, 219.

46. *ariolos*, veridicos.

47. *pro spisso*, raro, tarde.

Act. III. Sc. VI. Agorastocles foras educit Collybiscum. Quoniam autem abiit Lycus, ipse quoque et servum suum et advocatos dimittit, introitque.

1, 2. Haec ita cum inclusis leguntur in omnibus. Ex quibus Bothius duos fecit tetrametros; nos senarios existimamus.

4. Sic vulg. et vett. cum Pall. — Ven. *in malam crucem*.

Ad. Ita nós velle aequom est. *Ag.* Crás subscribam hominí dicam.
Co. Numquíd me ....? *Ag.* Abscedas; súmas ornatúm tuum.
Co. Non súm nequidquam míles factus: paúlulum
Praedae íntus feci, dúm lenonis fámilia
Dormítat: extis súm satur factús probe.
Abscédam hinc intro. *Ag.* Fáctum a vobis cómiter.
Bonám dedistis, ádvocati, operám mihi.
Cras máne, quaeso, in cómitio estote óbviam.
Tu séquere me intro. Vós valete. *Ad.* Et tú vale.
Iniúriam illic ínsignite póstulat:
Nostró sibi servíre nos censét cibo.
Verum íta sunt [omnes] ísti nostri dívites:
Si quíd bene facias, lévior pluma est grátia;
Si quíd peccatum est, plúmbeas irás gerunt.
Domós abeamus nóstras, sultis, núnc ïam:
Quando íd, quoi rei operam dédimus, impetrávimus,
Ut pérderemus córruptorem cívium.

ACTUS IV. SCENA I.

MILPHIO.

Expécto, quo pactó meae technaé processuraé sient.
Studeo húnc lenonem pérdere, velut méum herum miserum mácerat;
Is me aútem porro vérberat, incúrsat pugnis, cálcibus.
Servíre amanti míseria est, praesértim qui, quod amát, caret.
Attát, e fano récipere videó se Syncerástum,
Lenónis servum. Quíd habeat sermónis, auscultábo.

ACTUS IV. SCENA II.

SYNCERASTUS. MILPHIO.

Sy. Sátis spectatum est, déos atque homines eíus neglegere grátiam,

5. *subscribam dicam*, i. e. litem; in ius vocabo.

6. Vett. et Pall. *Numqui me?* Nostr. vulg. — Ven. *Numquid abscedam?* — Suppl. Numquid me vis? *sumas ornatum tuum*, sc. servilem, deposita chlamyde militari.

15. Sic vett. et Ven. — Vulg. et Both. *Nostro servire nos sibi* c. c. Et mss. *nostros.*

16. In vulg. vett. Ven. et cdd. deest *omnes*, quod addit Both. ex Iunt. Ald. Basil.

20. Pro vulg. *quoi rei* vett. et Dec. *quo ire*, Ven. *quod ire.* Nostr. V. C.

Act. IV. Sc. I. Prodit Milphio, lenoni malum moliens; advenienteque Syncerasto secedit paullo.

5. Vett. post *Syncerastum* addunt *Veneris*, quod deest in vulg. et Ven. et cdd. Pall.

Act. IV. Sc. II. Advenit Syncerastus cum vasis, ex templo Veneris. Conqueritur de servitute sua apud lenonem. Alloquitur eum Milphio. Male se lenoni, hero suo, cupere profitetur Syncerastus, aperitque Milphioni, in sua potestate situm esse, ut perdat eum. Nam duas illas sorores, quarum unam amet Agorastocles, ingenuas esse, de praedone emtas vili pretio cum nutrice, surreptas Carthagine. Abit Syncerastus ad lenonem, Milphio autem suam domum, ut illa aperiat Agorastocli.

1. Sensus est: dii hominesque nihili faciunt servum, qui talem habet herum,

Cuí homini herus ést consimilis, vélut ego habeo hunc huíusmodi.
Néque periuriór neque peior álter usquam est géntium,
Quám herus meus est, néque tam luteus, néque tam coeno cóllitus.
Íta me di ament, vél in lautumiis vél in pistrino mávelim
Ágere aetatem, praépeditus látera forti férreo,
Quam ápud lenonem hanc sérvitutem cólere. Quid illuc ést genus!
Quaé illic hominum córruptelae fíunt! Di, vostrám fidem,
Quódvis genus ibi hóminum videas, quási Acheruntem véneris,
Équitem, peditem, líbertinum, fúrem an fugitivúm velis,
Vérberatum, vínctum, addictum. Quí habet, quod det, útut homo est,
Ómnia genera récipiuntur: ítaque in totis aédibus
Ténebrae, latebrae; bíbitur, estur, quási in popina, haúd secus.
Íbi tu videas líteratas fíctiles epístolas,
Píce signatas; nómina insunt cúbitum longis líteris:
Íta vinariórum habemus nóstrae delectúm domi.
Mi. Ómnia edepol míra sunt, nisi hérus hunc heredém facit:
Nám is quidem illi, út meditatur, vérba facit emórtuo.
Ét adire lubet hóminem, et autem nímis eum auscultó lubens.
Sy. Haéc quum hic video fíeri, crucior, prétiis emtos máxumis
Ápud nos expecúliatos sérvos fieri súis heris.
Séd ad postremum níhil apparet: mále partum male dísperit.
Mi. Proínde habet hic órationem, quási ipse sit frugí bonae,
Qui ípsus hercle ignáviorem pótis est facere ignáviam.
Sy. Núnc domum haec ab aéde Veneris réfero vasa, ubi hóstiis
Hérus nequivit própitiare Vénerem suo festó die.
Mi. Lépidam Venerem! *Sy.* Nám meretrices nóstrae primis hóstiis
Vénerem placavére extemplo. *Mi.* O lépidam Venerem dénuo!
Sy. Núnc domum ibo. *Mi.* Heus, Sýncerasté! *Sy.* Sýncerastum quí vocat?

qualem ego. — *Satis spectatum est*, i. e. satis perspectum, certum est. Cf. Sallust. Cat. 20. *Nisi virtus fidesque vestra spectata mihi forent*, ubi quidam: *satis spectata mihi f.*

2. Omnes: *nunc huiusmodi.* Both. *hunc h.* cui adstipulor.

6. Vulg. et vett. *latera forti ferro mea.* In Ven. deest *mea.* Both. *forti ferreo*, sc. anulo. Est et *ferreum* uncus iungendis lignis.

7. *Quid*, i. e. quale.

9. *Acheruntem* tenendum hic brevi prima proferri, quum in reliquis Plautinis longa. Similiter in Prol. v. 71. Ex quo vel solo conicias, Poenulum non esse Plauti.

10. *furem an fug.* Sic Both. atque sic videtur ab initio habuisse V. C. — Ven. et Pall. *furem adfugitivum v.* Vett. et vulg. *furem ac f.*

11. *addictum* sc. poena, condemnatum.

13. *quasi in popina, haud secus*, h. e. haud secus, quasi (i. e. ac) in popina.

14. *epistolas*, i. e. amphoras vini, literis inscriptas.

16. *nomina*, vinorum, ut v. c. *Falernum.*

17. *mira sunt: Es sollte mich wundern, wenn den sein Herr nicht zum Erben machen sollte.* Similiter Amph. I, 1, 130. *Mira sunt, nisi invitavit sese in coena plusculum.* Atque sic saepius.

19. Pro vulg. *et autem* vett. et Ven. *equidem.* Illud Pall., atque *autem* saepe habet significatum adiungendi alicuius et addendi, quod superaccedat praecedentibus, sive tamquam simile sive contrarium aut diversum. V. Indicem.

24. *ignavus* hic oppositus homini frugi, ut sit i. q. mollis, delicatus, nihili, nequam. Sic Cas. 2, 3, 26. *Senecta aetate unguentatus per vias, ignave, incedis.*

27. *Nam* idem h. l. est, quod *contra.*

Mi. Túus amicus. *Sy.* Haúd amice fácis, qui cum onere offéras moram.
Mi. Át ob hanc rem tibi réddam operam, úbi voles, ubi iússeris.
Hábe rem pactam. *Sy.* Sí futurum est, dó tibi operam hanc. *Mi.* Quó modo?
Sy. Út enim, ubi mihi vápulandum est, túte corium súfferas.
Mi. Ápage. *Sy.* Nescio, quíd viri sis. *Mi.* Málus sum. *Sy.* Tibi sis. *Mi.* Té volo.
Sy. Át onus urget. *Mi.* Át tu appone, et réspice ad me. *Sy.* Fécero,
Quámquam haud otium ést. *Mi.* Salvos, sis, Sýnceraste. *Sy.* O Mílphio,
Di ómnes deaeque amént .... *Mi.* Quemnam hominem? *Sy.* Néc te, nec me, Mílphio:
Néque herum meum ádeo. *Mi.* Quem ament ígitur? *Sy.* Alium quémlibet:
Nám nostrorum némo dignust. *Mi.* Lépide loquere. *Sy.* Mé decet.
Mi. Quíd agis? *Sy.* Facio, quód manifesto moéchi haud fermé solent.
Mi. Quíd id est? *Sy.* Refero vása salva. *Mi.* Dí te et tuum herum pérduint!
Sy. Mé non perdant, íllum ut perdant, fácere possim, sí velim,
Méum herum ut perdant, ní mihi metuam, Mílphio. *Mi.* Quid id ést? cedo.
Sy. Málus es? *Mi.* Malus sum. *Sy.* Mále mihi est. *Mi.* Memorádum: esse alitér decet.
Quíd est, quod male sit [tíbi], quoi domi est, quód edis, quod ames, ádfatim?
Néque triobolum úllum amicae dás, et ductas grátiis.
Sy. Diéspiter me síc amabit .... *Mi.* Út quidem edepol dígnus es.
Sy. Út ego hanc familiam ínterire cúpio! *Mi.* Adde operam, sí cupis.
Sy. Síne pennis voláre haud facile est: meae álae pennas nón habent.
Mi. Nólito edepol dévellisse: iam hís duobus ménsibus
Vólucres tibi erunt túae hircinae. *Sy.* I ín malam rem! *Mi.* I tu átque herus!

30. *offers*. Pall. Vulg. vett. *offeras*. Nostr. Ven. et Both.

33. Vett. et Both. *tute*. Vulg. Pall. et Ven. *tu*.

38. Post *meum* puto excidisse *ament*, quod nusplam legitur.

40. *manifesto moechi*. Sic supra 3, 5, 40. *Manifesto fur es mihi*. Vett. *manif. deprensi moechi*. Ven. post *moechi* addit *hi*, unde Both. *hic*.

41. *vasa* et sunt partes obscenae. — *Di te perduint*. Saepe haec formula reponitur in facetiis.

44. *Malus es?* nulla interrogatione in libris legitur. *Malus* autem i. e. q. astutus. — Pro *memoradum* libri *memorandum*.

45. Addidi *tibi*. — *edis* pro *edas*, ut saepe.

46. *ductas*, amas, rem habes cum ea. — Both. e coni. *sed ductas gr*.

49. *meae* in totum absorbetur, ut alibi *eum*, *sibi*, *tuum*, et alia. Sed et contractio videtur obtinere posse in v. *alae*, ut sit quasi monosyllabum. Cf. Bacch. 1, 1, 17.

51. *hircinae volucres*, i. e. alae in quibus hircus cubat. Sensus: brevi fugitivus fies.

Sy. Vérum enim qui béne eum norit, cíto homo pervortí potest.
Mi. Quíd iam? *Sy.* ** Quasi tú tacere quídquam potis sis.
Mi. Réctius
Tácitas tibi res sístam, quam, quod díctum est mutae múlieri.
Sy. Ánimum inducam fácile, ut tibi istuc crédam, ni te nóverim.
Mi. Créde audacter méo periclo. *Sy.* Mále credam, et credám tamen.
Mi. Scín' tu, herum tuúm meo hero esse inimícum capitalém ....
Sy. Scio.
Mi. Própter amorem? *Sy.* Omnem óperam perdis. *Mi.* Quíd iam?
Sy. Quia doctúm doces.
Mi. Quíd ergo dubitas, quín lubenter túo hero meus, quod póssiet
Fácere, faciat mále, eius merito? Tum aútem, si quid tu ádiuvas,
Éo facilius póterit facere. *Sy.* Át ego hoc metuo, Mílphio ....
Mi. Quíd est, quod metuas? *Sy.* Dúm hero insidias páritem, ne a te pérduar.
Si herus meus med ésse locutum quoíquam mortalí sciat,
Cóntinuo is me ex Sýncerasto Crúrifragium fécerit.
Mi. Núnquam edepol mortális quisquam fíet e me cértior,
Nísi hero meo uni índicasso; atque eí quoque, ut ne enúntiet,
Íd esse facinus éx ted ortum. *Sy.* Mále credam et credám tamen.
Séd hoc tu tecum tácitum habeto. *Mi.* Fideí non melius créditur.
Lóquere (locus occásioque est) líbere: hic solí sumus.
Sy. Hérus si tuus volet fácere frugi, méum herum perdet.
Mi. Qui íd potest?
Sy. Fácile. *Mi.* Fac ergo id fácile noscam: út ille possit nóscere.
Sy. Quía Adelphasium, quám herus deamat túus, ingenua est.
Mi. Quó modo?
Sy. Eódem modo, quo sóror illius áltera Anterástylis.
Mi. Séd qui id credam? *Sy.* Quía illas emit ín Anactorio párvolas
Dé praedone Sículo. *Mi.* Quanti? *Sy.* Duódevigínti minis.
Mi. Dúas illas duodévìginti? *Sy.* Et nútricem earum tértiam.
Ét ille, qui eas vendébat, dixit, sé furtivas véndere:
Íngenuas Carthágine aibat ésse. *Mi.* Di, vostrám fidem,
Nímium lepidum mémoras facinus: nam hérus meus Agorástocles
Íbidem gnátust; índe surreptus fére sexennis; póstibi
Qui éum surripuit, húc devexit meóque hero eum hic véndidit;

52. *qui bene eum nor.* Sic vett. et Pall. — Vulg. et Ven. *qui homo eum n.* quum statim sequatur *homo*. — *homo*, sc. leno. *pervorti*, i. e. perdi.

53. Excidisse aliquid apparet. Fortasse interiectionem aliquam.

54. Vulg. et Ven. *Tacitus tibi resistam.* Vett. *Tacitus tibi rem sistam.* Nostr. e coni. — Pro *mutae*, quod exhibet V. C., vulg. et vett. *malae mul.* Ven. *male.*

62. Vulg. *parem, ne a te perdeam.* Vett. *parem, ne a te perdar.* Ven. *perdiar.* Nostr. Pareus, Gron. Both., qui tamen *ne ante perduar.* Pall. ins. *parilem ne a te perdiam.*

70. Omnes: *facere frugem.* Both. *frugi.*

71. *fac ergo.* Utrumque correptim, ut *fac* saepe in Lucretio.

73. Addidi *modo*, quod deest in libris.

74. *Anactorium*, hodie Vanizza, oppidum in Epiro. Cf. Plin. H. N. 4, 1.

77. *furtivas*, h. e. furto surreptas.

Ís in divitias hómo adoptavit húnc, quum diem obiít suum.
Sy. Ómnia memoras, quo íd facilius fíat: manu eas ádserat,
Suás populares, líberali caúsa. *Mi.* Tacitus táce modo.
Sy. Prófecto ad incitás lenonem rédiget, si eas abdúxerit.
Mi. Quín prius disperíbit faxo, quam únam calcem cíverit:
Íta paratum est. *Sy.* Íta di faxint, ne ápud lenonem hunc sérviam!
Mi. Quín hercle meus cóllibertus fáxo eris, si dí volent.
Sy. Íta di faxint! Númquid aliud mé morare, Mílphio?
Mi. Váleas, beneque ut tíbi sit. *Sy.* Pol istuc tíbi et hero tuo est ín manu.
Vále et haec cura clánculum ut sint dícta. *Mi.* Non dictúm est. Vale.
Sy. Át enim nihil est, nísi, dum calet, hoc ágitur. *Mi.* Lepidus, quúm mones,
Ét ita hoc fiet. *Sy.* Próba materies ést, si probum adhibés fabrum.
Mi. Pótin ut taceas? *Sy.* Táceo atque abeo. *Mi.* Míhi commoditatém creas.
Íllic hinc abiit. Di ímmortales méum herum servatúm volunt
Ét hunc disperditúm lenonem: tántum eum instat éxitii.
Sátiue, priusquam unum ést iniectum télum, tum instat álterum?
Íbo intro: haec ut méo hero memorem: nam húc si ante aedes évocem,
Quaéque audivístis modo, nunc si éadem hic iterem, inscítia est.
Héro uni intus ero ódio potius, quam híc sim vobis ómnibus.
Di ímmortales, quíd malorum, quánta advenit cálamitas
Hódie ad hunc lenónem! Sed ego núnc nil est, cur mé morer.
Íd negotium ínstitutum est: nón datur cessátio:
Nám et hoc docte cónsulendum, quód modo concréditum est,
Ét illud autem insérviendum est cónsilium vernáculum.
Rémora si sit: quí malam rem míhi det, merito fécerit.
Núnc intro ibo; dum hérus adveniat á foro, opperiár domi.

---

83. *quo id facilius fiat*, sc. ut perdamus lenonem.

86. *calcem civerit*, unum lapidem moverit in tabula lusoria. Quos nos enim lapides, veteres calces. Vett. *quam unum calcem c.* Lamb. mallt: *imum c.*

93. Vulg. et vett. *data est.* Nostr. Ven.

97. *Satine*, i. e. q. Nonne?

98. Omnes *sevocem.* Quidam tamen libri *evocem.*

100. Omnes: *Hero uni pot. int. ero odio.* Both. *Uni potius intus ero odio.* Non tamen satisfacit ab omni parte.

101. Vulg. et Ven. et Pall. (cum lacunae signo) *Di immortales, quanta advenit calamitas.* Vett. *Di immortales, quid malorum, quanta adv. c.* Both. cum Taubmanno: *quanta, quanta, quanta*, ut in Aristophane similia occurrant.

102. Sic vett. — Vulg. *sed ego nunc est, cum me moror.* Pall. *memoret.* Ven. *Sed ego nunc cur me morer.* Both. *Sed ego nunc est, quom memet moror.*

104. Omnes *hoc nocte.* Nostr. Guil. et Both.

105. *consilium vernaculum*, domesticum, a nobismet ipsis profectum. Intelligit autem consilium de Collybisco subornando.

106. *Remora si sit:* Si cessaverim, merito ab hero vapulem.

107. Vulg. *advenit.* Nostr. vett. et Ven. et Pareus, nulla nota.

ACTUS V. SCENA I.

HANNO.

Hyth álonim vuálonuth sicórathi si macóm sith
Chi mlách chunyth mumýs tyal mictíbariim íschi,
Liphó canet hith býnuthi ad aédin bynuthíi.
Birnárob syllo homálonin ubý misyrthóho
Bythlým mothyn noctóthii veléch Antidasmáchon.
Yssídele berím thyfel yth chýlys chon, tem, lýphul
Uth býnim ysdibúr thinno cuth nú Agorastócles
Ythé manet ihý ** chyrsaé lycoch sith náso
Biúni id chil lúhili gubýlim lasibít thym
Bodýalyth heráyn nyn nuýs lym moncoth lúsim.
[Exálonim volanus succurátim mistim atticum esse

Act. V. Sc. I. Hanno advenit, patruus Agorastoclis, pater Adelphasii et Anterastylis, deosque et deas Calydonias precatur, se ut sinant invenire et fratris sui filium Agorastoclem et filias suas. Incedit autem indutus veste Punica. Loquitur Punicis verbis, quorum quodammodo versio sequitur: *Deos deasque veneror* etc. Quae Punica a variis varie sunt explicata Hebraicisque verbis reddita. A qua ratione nos hic abstinemus, exhibendaque censemus, quemadmodum in vulgata leguntur. Hoc unum adiicimus, (id quod pro norma haberi debet lectionis constituendae) *versus esse vel tetrametros iambicos, vel Saturnios*, quemadmodum primus aperte prodit, et reliqui arguunt. In quibus tamen singulis quaedam forsitan exciderint, quaedam autem aliter sint ordinanda. De Hannone tenendum, eum probe callere linguam Romanam, quemadmodum ex scena sequenti apparet. Histrionem ita recitasse monologum reor, uti legitur, hoc est, primum Punicis verbis rei causa, deinde, spectatorum causa, Romanis.

1. Quivis Orientalium Hebraeaeque linguae haud imperitus facile concedet, in primo versu latere haec fere Hebraica: *Eth* (אֶת־) not. acc.; *Elionim ve Elionoth*, h. e. deos deasque. Porro verbum *sacarthi* (זָכַר) h. e. recordor. Denique *macom soth* (מָקוֹם זֹאת) huius loci. — Legendum autem *Hyth*, quemadmodum legitur v. 3. Nam Vett. et Ven. *Nyth*. Vulg. *Yth*.

2. In primis verbis videtur latere כִּי, *quod*. Porro (מְלָאכַי) *negotia mea*; et ad finem; דְּבָרִים *res*. Tertium verbum existimant יִתָּמּוּ *perficientur*.

3. *hyth bynuthii* videtur esse אֶת־ בְּנוֹתַאי *meas filias*. Idem tamen verbum et ad finem versus recurrit. Unde haud improbabile est, hic secus esse legendum.

4. In hoc versu patet legi iterum *deorum* nomen: *Elionim*.

5. *Bithlim mothim* existimant esse: *ante obitum*, בְּטֶרֶם מוֹתִים. Antidamas nomen erat patris adoptativi Agorastoclis, hospitis Hannonis.

7. *Uth bin* est: *eth ben* h. e. filium.

11. Cuilibet, puto, facile apparebit, hunc versum eundem esse cum primo. Nam *Exalonim* est i. q. *Eth alonim*. Porro *volanus* est *ualonuth* primi; et in reliquis latent primi illius: *sicorathi si macom sith*, quod stulte mutatum est in *Atticum esse*. Nam de Attica ne loco quidem sermo esse potest, quia Calydone res agitur. Opinor igitur, genuina Punica pertinere usque ad versum 10, quemadmodum consentaneum est cum latinis, in quibus additur undecimus: *Hos percontabor*, etc. cui in Punicis nullum respondisse existimo, ideo quod opinor histrionem primum Punica vere recitasse, deinde Latine eadem esse elocutum, uti infra leguntur, hisque addidisse, se velle hos, qui egrediantur, percontari. Id quod non poterat addi in Punicis, quia nondum egressi erant. Quae igitur a v. 11 sequuntur, ea omnia (quemadmodum et Bocohartus iam statuit,) serius addita censeo, eiusdemque fere argumenti, cuius priora; recurrit enim itidem ut illic nomen *Athidamascon* i. e. Antidamas, et *Aristoclem*, i. e. *Agorastoclem*; ut igitur haec altera pars horum Punicorum videatur esse alia quasi recensio eiusdem monologi, eiusdemque argumenti, valde mutilata et corrupta,

Concúbitum a belló cutim beánt lalacant chóna
Enús es huiéc silec panésse Athidamáscon.
Além * * indúberte felóuo * * buthúme
Celtúm comucro lúeni, at énim avoso úber
Bent býach Aristoclem ét se te anechéé nasoctelía
Elícos alemús [in] dubertér mi comps vespíti
Aódeanec líctor bodes iússum limnicólus.]

Deós deasque véneror, qui hanc urbém colunt,
Ut, quód de mea re huc véni, rite vénerim,
Measque híc ut gnatas ét mei fratris fílium
Reperíre me sirítis, di, vostrám fidem!
Quae míhi subreptae súnt, et fratris fílium.
Sed híc mihi antehac hóspes Antidamás fuit.
Eum fécisse aiunt, síbi quod faciundúm fuit.
Eius fílium esse hic praédicant Agorástoclem.
Adeum hóspitalem hanc tésseram mecúm fero.
In hísce habitare mónstratu' st regiónibus.
Hos pércontabor, qui húc egrediuntúr foras.

ACTUS V. SCENA II.

AGORASTOCLES. MILPHIO. HANNO.

Ag. Ain' tú, tibi dixe Sýncerastum, Mílphio,

eodem tamen fortasse metro composita; secus saltem ordinanda, atque in libris legitur. Nos stellulas posuimus, in quibus ad versum videbatur aliquid desiderari, et in penultimo addidimus *in* ad *duberter*, ex v. 14. — Possint tamen esse et senarii, forsitan 10. numero. Possint et Saturnii. Ceterum et Bellermannus V. D. scripsit tria programmata scholastica (1806—1808) super hoc loco, et Lindemannus Schneebergensis, frater illius, qui Plautinas fabulas edere exorsus est, duo; ad quae lectorem ablegamus; sed non tamen ita, ut eorum thesibus aut hypothesibus adstipulari quemquam iubeamus. Nobis sufficiat, haec duo adnotasse, nimirum versus esse vel tetrametros vel senarios iambicos vel etiam Saturnios, et duos esse eiusdem argumenti monologos. Rectissime autem omnium Bocchartum videri statuisse. Reliqua peritiores Orientalium videant.

Versio latina. Hanc inclusit Bothius, ego non includendam censeo; existimo potius recitatam post Punica, quorum vera videntur versio usque ad v. 10.

3. *hic* addidit B. ex Mss. Nam in edd. non legitur.

5. *et fratris filium* leguntur iam v. 3, quare hic Both. *et fr. filius* e. coni. Lindemannus autem iun. existimat versum omnem esse suppositilium.

7. Sensus: eum emortuum aiunt esse.

8. *Tò esse* in edd. legitur post *praedicant*.

9. Sic emendavimus ex lectione palimpsesti Mediolanensis.

10. Edd. *monstratu' st*. Ven. *monstratust*. Both. *monstratum est*.

Act. V. Sc. II. Prodeunt Agorastocles et Milphio; conspiciunt Poenum. Iubente Agorastocle Milphio (qui qua ratione Punice didicerit, non commemoratum legitur) illum alloquitur Punica salutatione. Respondet Poenus; Milphioque hero interpretatur, sed falso, quia longe pleraque non intelligit. Denique Hanno latine loquitur, Milphionemque carpit ob suam falsam interpretationem. Regerit maledicta Milphio. Agorastocles autem suum tuetur popularem, quem patruum suum esse agnoscit. — 125. Tum Milphio, qui consultum cupit amori heri sui, hortatur, Hanno sese ut patrem illarum fingat, easque adserat a lenone. Ille, suarum memor, lacrymans

Has ésse ingenuas ámbas, subreptítias
Carthágínienses? *Mi.* Áio et, si frugi ésse vis,
Eas líberali iam ádseres causá manu.
Nam tuúm flagitium est, tuás populares té pati
Servíre ante oculos, dómi quae fuerint líberae.
Ha. Proh di ímmortales, óbsecro vostrám fidem,
Quam orátionem hanc aúres dulcem dévorant!
Creta ést profecto hórum hominum orátio,
Ut mi ábsterserunt ómnem sorditúdinem!
Ag. Si ad eám rem testis hábeam: faciam, quód iubes.
Mi. Quid tú mihi testis? quín tu insistis fórtiter?
Aliquá Fortuna fúerit adiutríx tibi.
Ag. Incípere multo est, quam ímpetrare, fácilius.
Mi. Sed quaénam illaec avis est, quae húc cum tunicis ádvenit?
Numnam á balineis, círcumductus pállio?
[Faciés quidem edepol Púnica est. Gugga ést homo.]
Servós quidem edepol véteres antiquósque habet.
Ag. Qui scís? *Mi.* Viden' homines sárcinatos cónsequi?
Atque, út [ego] opino; in mánibus digitos nón habent.
Ag. Quid iám? *Mi.* Quia incedunt cum ánulatis aúribus.
Adíbo ad hosce atque áppellabo Púnice.
Si réspondebunt, Púnice pergám loqui;
Si nón, tum ad horum móres linguam vórtero.
Quid aís tu? ecquid [adhuc] cómmeministi Púnice?
Ag. Nihil édepol: nam qui scíre potui, díc mihi,
Qui illínc sexennis périerim Carthágine?
Ha. Pro di ímmortales, húnc ad plurimí modum
Periére pueri líberi Carthágine!

quaerit de earum nutrice. Cuius facie formaque descripta, prope agnoscit, suas illas esse filias. Ergo nutricem evocat Milphio, ut videat Hanno.

5. *est* pro *esset*. Magnum enim tuum foret flagitium, si paterere.

8, 9. Transposuit hos versus in hunc ordinem Gruterus. Nam in edd. 9 legitur ante 8. Verum ad *cretam* referendus v. 10. Nam creta veteres utebantur ad abstergendas aut occultandas *sordes*. Sordes autem h. l. metaphorice usurpatae pro tristitia ex infortunio et malis orta. Pro *creta* Ven. et vett. cum Decurt. *certa*. — *mihi*, quod addunt vett. post *hominum*, deest in Pall. vulg. et Ven. Quo addito versus efficitur commodissimus. Non enim elidendum in fine pronominis.

13. *Aliqua* sc. ratione.

15. Both. *illa*. Nostr. edd. omnes: atque *illaec* pariter monosyllabum hic, ut alibi *illic*.

16. Vulg. et vett. *Numnam it a balneis*. Pall. *numnam in a balineis*. Ven. et Both. *Numnam a balineis*.

17. Verba *Punica* — *homo* non leguntur in vulg. neque Ven. aut Pall. qui lacunam habent. — Vett. *edepol ingenua est*. Nostr. Lamb. et Gruterus ex libris pervetustis. *Gugga* creditur esse i. q. Afer. Versus videtur supposititius, propter sequentem, quamquam nec hic, quod sensum attinet, ab omni parte bene habere videatur. Nam quid sarcinae faciunt ad aetatem servorum? quam autem inepta est Agorastoclis interrogatio *Qui scis?* pro quo vett. *Quis is?* V. C. *qui sis*. Nostr. Decurt.

20. Vett. et vulg. et Ven. et Pall. *Atque, ut opinor, digitos in manibus n. h.* Both. *Atque digitos, ut opino, in m. n. h.* Addidi *ego*, et posteriora transposui.

22. Vulg. et fere V. C. *Adibo hosce, atque adp.* Ven. et Dec. *Adibo, atque hosce*. Nostr. vett.

25. *adhuc*, quod habet vulg., deest in vett. Pall. Ven. *commeministi* i. e. q. *meministi*. Sic Amph. I, 1, 101. *Hoc adeo hoc commemini magis, quia illo die impransus fui*.

Mi. Quid aís tu? *Ag*. Quid vis? *Mi*. Vín' adpellem hunc Púnice?
Ag. An scís? *Mi*. Nullus me est hódie Poenus Púnior.
Ag. Adi átque appella, quíd velit, quid vénerit,
Qui sít, quoiatis, únde sit. Ne párseris.
Mi. Avó. Quoiates éstis, aut quo ex óppido?
Ha. Hannó muthumballé bachaëdréanech.
Ag. Quid aít? *Mi*. Hannonem sése ait Carthágine,
Carthágínensem Múthumballis fílium.
Ha. Avó .... *Mi*. Salutat. *Ha*. Dónni. *Mi*. Doni vóit tibi
Dare hínc nescio quid. Aúdin' pollicérier?
Ag. Salúta hunc rursus Púnice verbís meis.
Mi. Avó donni hic mihi tíbi inquit verbís suis.
Ha. Mehár bocca! *Mi*. Istuc tíbi sit potius, quám mihi!
Ag. Quid aít? *Mi*. Miseram esse praédicat buccám sibi.
Fortásse medicos nós esse arbitrárier.
Ag. Si ita ést, nega esse: nólo ego errare hóspitem.

28. Bene et eleganter et pervenuste vett.: *hunc ad plurimi modum*, quum vulg. et Ven. et Both. *plurimi ad hunc m.*

34. *Avo* est salutatio Punica. חֲוָה a v. חיה *vivere*. A quo verbo deducunt lat. *Have*.

35. Audierat Hanno Milphionem dicentem se velle Punice loqui. Itaque, etsi facile viderit, illum nonnisi iactare suam huius linguae peritiam, et quamquam latinis verbis quaesierit, quis esset, tamen Punice respondet, et ioci, et delectationis spectatorum causa. Quam eius responsionem, utpote faciliorem, etiam vere intelligit Milphio. Verba quod attinet, apparet in principio Hannonem suum nomen eloqui, unde recte conlicitur, addi et patris et patriae nomen, et omnino serio responderi, non ioco. Legitur igitur hic Punicum nomen urbis Carthaginis: *Chadreanech*. Nam syllaba *be* aut *ba* est praefixum בְּ Hebraeum, Latinorum *in*. Totum versum vett. et Pall. sic scribunt: *Hanno muthum balle beccha edre anech*. Vulg. *Hanno muthumballe bechadreanech*. Ven. *Hanno muthum balle baccha edre anech*. Quodsi vulgatam praeferas, deerit syllaba ad senarium, quae facile restituetur, recepto *ben* ante *Muthumballe*. *ben* autem est Hebr. בֵּן *filius*. In qua tamen re hoc unum obstat quod Punica, ut Hebraica, accentum in ultimis syllabis habent; (quamquam cf. V, 2, 46.) Quare praefero lectionem vett. et Ven., ut *ben* suppleatur, nomen urbis autem quinque Syllabis proferatur: *Chaëdreanech*. Versum autem senarium esse oportere patet.

37. Pro *Carthaginensem* Both. *Carthaginensis*, ex Pal.

38. *donni* est Hebraeorum *Adonai*, h. e. dominus. Nimirum Agorastoclem alloquitur. Id verbum autem perperam accipit, aut loco falso interpretatur Milphio, quasi dixerit ille *doni* a *donum*. Ceterum vett. habent *Ano* et *domni*. Ven. et Pall. *Vo* et *domni*. Nostr. vulg. Sedenim huc pertinet epigramma, quod et Bochartus citat ex Anthol. III, 25, 70 in quo haec leguntur: *'Αλλ' εἰ μὲν Σύρος ἐσσὶ, σαλᾶμ! εἰ δ' οὖν σύγε Φοῖνιξ, Αὔδονι! εἰ δ' Ἕλλην, χαῖρε! τὸ δ' αὐτὸ φράσον.* ex quo patet, Syrorum fuisse salutationem *Salam*, Phoenicum autem et Poenerum *Audoni*.

39. Vett. vulg. Ven. *Dare hinc n. q. Hinc* autem possit esse: ex his, quae gerunt servi. Bothius tamen: *hic*.

41. Et hic quoque vett. *Ano*; dein autem *donni*. Ven. *Avo nonne*, uti Decurt. — V. C. *Auo nonni*.

42. *Me bar bocca*. Sic vulg. At cdd. non habent *mebar*, sed *mehar*, ut fortasse descendat ab Hebr. מַהֵר, et *bocca* esse possit Hebr. בָּךְ. Quod tamen utrumque tamquam Latinum accipit Milphio v. 43. Bellermannus vertit: *quam misellus hic homo est!* Lindemannus: *quis est peregrinus sciscitans?* Legit enim: *mi sar boca*.

44. *arbitrarier*. Sic vulg. — Ven. et vett. *arbitratur*. Infinitivus pendet a v. *fortasse*, ut As. 1, 1, 24.

45. *errare* est: impeditum esse, nescire quid sit rei, ignorare, non intel-

Mi. Audí tu. Rufen núco istam. *Ag.* Síc volo,
Profécto vera cúncta huic expedírier.
Roga, númquid opus sit? *Mi.* Tú, qui zonam nón habes,
Quid in hánc venistis úrbem, aut quid quaéritis?
Ha. Muphúrsa. *Ag.* Quid ait? *Ha.* Móin lechianna. *Ag.* Quíd venit?
Mi. Nón aúdis? mures Áfricanos praédicat
In pómpam ludis dáre se velle aedílibus.
Ha. Laléch lachananim líminichot. *Ag.* Quid núnc ait?
Mi. Ligulás canalis áit se advexisse, ét nuces:
Nunc órat, operam ut dés sibi, ut ea véneant.
Ag. Mercátor, credo, est. *Ha.* Ís amar binám. *Ag.* Quid est?
Ha. Palum érga dectha. *Ag.* Mílphio, quid núnc ait?
Mi. Palás vendundas síbi ait et mergás dàtas:
Ut hórtum fodiat, átque ut frumentúm metat.
Ag. Quid ístuc ad me? *Mi.* Cértiorem te ésse volt:
Ne quíd clam furtive áccepisse cénseas.
Ad méssim, credo, míssus hic quidém tuam.
Ha. Muphónium sucoráim. *Mi.* Hem, cave, sis, féceris,

ligere. Cf. Mil. 3, 196 *Erro, quam insistas viam.*

46. *rufen nuco istam.* Sensum oportet esse: *medici non sumus.* רוֹפְה Hebr. medicus. Additum *n* pluralem sign.

48. *qui zonam non habes*, qui discinctus es; id quod dabatur probro, ut Caesari.

50. *Muphursa* Bellerm. int.: *Hospitium.* Deinde Ven. *Moinlec hianna.* Vett. *mo in lechianna.* Vulg. cum V. C. *Mivulechianna.* Both. ex Bellerm. *Mure lech ianna*, i. e. socius (sc. Milphio) tibi explicabit. Lindemannus autem verborum *muphurca murin lech ianna* (sic enim legit) hunc sensum esse ait: *ob redemtionem cognatorum venio huc*, quasi a פרק liberavit, מרע *merea*, amicus, cognatus; הלך, ire, venire, et הנה, huc. Quae non videntur, nisi versu pessumdato, probari ab omni parte posse. Fortasse tamen verba *Quid ait?* omittenda.

53. Ven. *Lalech labchana ni liminicoht.* Vett. *Lalech labcanani limi incoht.* Vulg. ut fere V. C. *Laech lachanaim limi nichot.* Bell. *Abi ad daemones! quiesce!* Lindem. tamen legit: *Lule chelas cananin al min niicot*, eaque interpretatur: *nonne rumor*, *Carthaginenses virgines esse captas?* Ego vero illud animadverto, verbum *limnichot* et supra iam adfuisse in monologo Hannonis V, 1, v. 10 et ibidem v. 18 in *limniscolus*, quae profecto unius esse farinae quivis intelligit. Verbum autem *lachananim* iocose repetitur infra V, 3, 38 quo et huius lectio et interpretatio Bellermanniana egregie videtur stabiliri.

54. *ligulae canales* sunt vincula quaedam, fasciae, ut *ligulae crurales* fasciolae quibus crura adligantur. Syllaba *li* longa legitur V, 5, 30 ubi vide notam. *canales* haud facile quis explicuerit.

56. Vulg. *Isam arvinam.* Ven. *H. Isam. M. Arvinam quidem.* Sine dubio est Hebr. אִישׁ אָמַר vir dicit. Bell. *vir dixit prudenter.* Sed praeteritum nude positum habet vim praesentis. Hinc *Is amar* non est *vir dixit*, sed *vir loquitur.*

57. Vulg. vett. Ven. *Palum erga dectha.* Both. *Palu*, *mer*, *gad ectha.* Bell. *Ridete*, *cives*, *rem mirificam.* Lind. *sublatus est dolor infortunii mei.* Quod qui factum esse dicat, non intelligitur.

58. *Palae*, *mergae* sunt instrumenta rustica. Cf. Festus. *Spaten und Gabel.* Cf. Rud. 3, 4, 58. Col. 2, 21. Palis ad fodiendum, mergis in messe utebantur.

60—62. Sic Both. ordinavit. Nam in edd. v. 62 praecedit. — Vs. 60 pro *esse vult* omnes: *esse volui.* Nostr. Both. — 61. Pro *furtive* Lambinus maluerit *furtimve.* Verum utrumque iam supra legebatur iunctum.

63. Vulg. *Muphonnium sucorahim.*

Quod hic te órat. *Ag.* Quid ait, aút quid orat? éxpedi.
Mi. Sub crátim ut iubeas sése supponi, átque eo
Lapidés imponi múltos: ut sesé neces.
Ha. Gunebél balsamen ierasan! *Ag.* Narrá, quíd est,
Quod aít. *Mi.* Non hercle núnc quidem quidquám scio.
Ha. At út scias, nunc dehínc Latine iám loquar.
Servom hércle te esse opórtet et nequam ét malum,
Hominém peregrinum atque ádvenam qui irrídeas.
Mi. At hércle te hominem et sýcophantam et súbdolum,
Qui huc ádvenisti nós captatum, mígdilibs,
Bisúlcilingua, quási proserpens béstia.
Ag. Maledícta hinc aufer! línguam compescás face!
Maledícere huic tu témperabis, sí sapis:
Meis cónsanguineis nólo te iniusté loqui.
Carthágini ego sum nátus: ut tu sís sciens.
Ha. O mí popularis, sálve! *Ag.* Et tu edepol, quísquis es;
Et sí quid opus est, quaéso, dic atque ímpera,
Populáritatis caúsa. *Ha.* Habeo grátiam;
Verum ego híc hospitium hábeo. Antidamae fílium
Quaeró; commonstra, sí novisti, Agorástoclem.
Ecquem ádulescentem tu híc novisti Agorástoclem?
Ag. Si quidem Ántidamai quaéris adoptatítium:
Ego sum ípsus, quem tu quaéris. *Ha.* Hem, quid ego aúdio?
Ag. Antídamae gnatum me ésse. *Ha.* Si ita est, tésseram,
Conférre si vis, hóspitalem eccam áttuli.
Ag. Agedum, húc ostende. — Est pár probe: nam habeó domi.
Ha. O mi hóspes, salve múltum! nam mihi túus pater
Patrítus ergo hóspes Antidamás fuit.
Haec mihi hóspitalis téssera cum illó fuit.
Ag. Ergo híc apud me hospítium tibi praebébitur:
Namque haúd repudio hospítium neque Carthágìnem,
Unde súm oriundus. *Ha.* Dí dent tibi omnes, quaé velis.

Vett. *Muphonnium succoram.* Ven. *Muphonnium sucoram.* Both. *Muphone um sucorahim.* Bell. *Involvitur insanus mendaciis.* Lind. *quam tandem viam illae erunt expertae?*

67. Ven. *Gunebel balsamen erasan.* Vett. item. Vulg. *Gunebel balsamenierasan.* Bell. *Petulantiam stolidi dominus coelorum frenet.* Lind. *Satis sit tristitia; deus coelorum adiuvabit eas.* Utrumque perperam sine dubio.

69. Sic Ven. et vulg. — Vett. *At tu scias.*

73. Vulg. *migdilybs.* Ven. ut Pall. *migdilia.* Vett. *magdalia.* Nostr. Lambinus. Both. *Migdolibs.*

74. *proserpens bestia* Plauto est i. q. serpens. Cf. Asin. 3, 3, 105. Pers. 2, 4, 28. Stich. 5, 4, 42.

75. Vulg. ut Mss. *compescas face.* Ven. et vett. *compescas tace.* Legendum duco: *compesce ac tace.* Cf. Bacch. 3, 3, 59. *Cave malo, et compesce in illum dicere iniuste. L. Tace.*

82. Sic vulg. et vett. — Ven. *Verum ego hic hospitem unum habeo.* In V. C. deest *hic.*

85. Hic vulg. et vett. et Ven. habent: *Antidamarchi*, uti in Punicis legitur; at in versione *Antidamas.* Cf. infra v. 87. 91. 98.

91. Omnes: *Pater tuus ergo.* Pal. cod. *nam mihi tuus pater Patruus ergo.* — *Patritus*, quod dedit Both. descendit a *patre*, ut ab avo *avitus.* Cf. Cic. Tusc. I, 19 *patrita et avita philosophia.* — *ergo* est: vere, ἔργῳ.

92. Vett. *olim* ante *tessera* addunt, quod deest in Ven. et vulg. et Pall.

94. Cdd. et edd. *Nam haud rep.* Nostr. Both. ex Pareo.

Quid aís? qui potuit fíeri, ut Carthágini
Gnatús sis, hic autem hábuisti Aetolúm patrem?
Ag. Subréptus sum illinc; hic Ántidamas hospés tuus
Emít me, et is me síbi adoptavit fílium.
Ha. Demárcho item ipse fúit adoptatítius.
Sed mítto de illo, et ád te redeo. Díc mihi:
Ecquíd meministi túum parentum nómina?
Ag. Patris átque matris mémini. *Ha.* Memoradúm mihi,
Si nóvi forte, aut sí sunt cognatí mihi.
Ag. Ampsígura mater míhi fuit, Iachón pater.
Ha. Patrem átque matrem víverent vellém tibi!
Ag. An mórtui sunt? *Ha.* Fáctum, quod ego aegré tuli:
Nam míhi sobrina Ampsígura tua matér fuit,
Patér tuus, is erat fráter patruelís meus,
Et ís me heredem fécit, quum suum obiít diem,
Quo mé privatum [esse] aégre patior mórtuo.
Sed sí ita est, ut tu sís Iachonis fílius:
Signum ésse oportet ín manu laevá tibi,
Ludénti puero quód momordit símia.
Osténde, ut inspiciam; áperi. *Ag.* Videsis; éccum adest.
Mi pátrue, salve! *Ha.* Et tú salveto, Agorástocles.
Iterúm mihi gnatus vídeor, quia te réperi.
Mi. Pol istánc rem vobis [bene] évenisse gaúdeo;
Et té moneri núm nevis? *Ha.* Sané volo.
Mi. Patérna oportet réddi filió bona:
Aequúm est, habere hunc bóna, quae possedít pater.
Ha. Haud póstulo aliter: réstituentur ómnia.
Suam rém sibi salvam sístam, si illo advénerit.
Mi. Facitó, sis, reddas, étsi hic habitabít tamen.
Ha. Quin méa quoque iste habébit, si quid mé fuat.
Mi. Festívum facinus vénit mi in mentém modo.

98. Vulg. *hic me Ant.*, uti et Ven. et Vett. At pronomine opus est v. sq. ubi deest ab initio in vulg. et Ven., iteratum legitur in vett.

100. *ipse*, sc. Antidamas ipse quoque olim fuerat adoptatus a Demarcho quodam.

105. Vett. *Amsigura.* Nostr. vulg. et Ven.

107. *ego* deest in edd. Addendum iam Lambinus iudicavit.

110. *suum* possit omitti; sed et elidi, et *obiit* duabus syllabis legi.

111. *esse* addunt vett.; deest in vulg. Ven. Pall. Both.

115. Vulg. *Ostende, ut inspiciam. aperi. Ag. vide, eccum adest?* Vett. *Ost. ut insp., iam aperi, audi, atque ades.* Ven. *Ostende: inspice: iam aperi: audi atque ades.* Ego malim: *H. Ostende. A. Inspice iam. H. Aperi. A. Vide, sis. H. Eccum adest. A. Mi p. s.*

116. Vett. ut vulg. *et tu salveto, Ag.* Ven. Both. *et tu salve, Ag.* et rectius, ut videtur.

117. Ven. et Both. *quod te repperi.* Vulg. et vett. *quia te r.* V. C. *quo atte.* Decurt. *quo ate.*

118. *bene* omnes habent.

119. *num nevis.* Sic vulg. — Vett. et Ven. *nonne vis?*

123. *sibi* pro *ei*, ut saepe. Cf. Merc. 5, 4, 37. Men. prol. 19. Mil. 2, 2, 27.

124. *etsi hic habitabit tamen*, per tmesin, pro: *tamenetsi hic habitabit.* Male Both. comma ante *tamen.*

125. *si quid me fuat.* Sic vulg. — Ven. et vett. *si quid de me fuat.* Sensus: si moriar. Cf. Trin. 1, 2, 120. *Si quid eo fuerit.*

126. Vulg. et vett. et Ven. *venit mihi in m. m.* Nostr. Both.

Ha. Quid id ést? *Mi.* Tua est opus ópera. *Ha.* Dic mihi, quid lubet.
Profécto uteris, út voles, operám meam.
Quid ést negoti? *Mi.* Pótin' tu fieri súbdolus?
Ha. Inimíco possum; amíco est insipiéntia.
Mi. Inimícus hercle est húius. *Ha.* Male faxím lubens.
Mi. Amat á lenone hic. *Ha.* Fácere sapientér puto.
Mi. Leno híc habitat vicínus. *Ha.* Male faxím lubens.
Mi. Ei dúae puellae súnt meretrices sérvolae
Soróres; earum hic álteram efflictím perit,
Neque eam íncestavit únquam. *Ha.* Acerba amátio est.
Mi. Hunc léno ludificátur. *Ha.* Suom quaestúm colit.
Mi. Hic ílli malam rem dáre volt. *Ha.* Frugi, si íd facit.
Mi. Nunc hóc consilium cápio et hanc fabricam ápparo,
Ut te ádlegemus: fílias dicás tuas,
Subréptasque esse párvolas Carthágine,
Manúque liberáli causa [ambas] ádseras,
Quasi fíliae tuaé sint ambae. Intéllegis?
Ha. Intéllego hercle: nám mihi item gnataé duae
Cum nútrice una súbreptae sunt párvolae.
Mi. Lepide hércle adsimulas. Iam ín principio id míhi placet.
Ha. Pol mágis, quam vellem! *Mi.* Heu, hércle mortalém catum,
Malúm crudumque, et cállidum atque súbdolum!
Ut áfflet, quo illud géstu faciat fácilius!
Me quóque dolis iam súperat, architéctonem.
Ha. Sed eárum nutrix, quá sit facie, mi éxpedi.
Mi. Statúra haud magna, córpore aquilo est. *Ha.* Ípsa ea est.
Mi. Specié venusta, óre atque oculis pérnigris.

127. *quid lubet*, quid velis. Atque indicativus saepenumero pro coniunctivo in Plauto ponitur.

128. *uti* cum acc. ut crebro. Vid. Index.

129. In vett. et Ven. deest *tu*. Habent Pall.

130. Sic vett. Both. — Vulg. et Ven. *insipientia est*.

137. Vulg. et Ven. et Pall. et Both. *Nunc*. Vett. *Hunc*.

142. Ven. *Manu liberali causa ambas asseras*. Vett. et vulg. *Manuque liberali causa ambas ass.* Both. *ambo* ex edd. medd. ut scribit. Sic *quisque*, *quis*, pro *quaeque*, *quae*, haud raro. Ego aut includendum duco *ambas*, aut legendum *has* sive *eas*. Ceterum pro *manuque* cdd. *manum*.

147. *Pol magis, quam vellem*, sc. adsimulo illud de filiabus surreptis; nam mihi quoque vere duae filiae surreptae sunt. Dum autem haec ait, flet prae moerore.

148. *crudum* explicant: adspectu trucem, crudeli vultu, obstinato animo; cf. Truc. 2, 8, 14.

152. Post *aquilo* vett. addunt *est*, quo haud opus. *Aquilus*, fuscus.

153. Et vulg. et vett. *ore parvo, atque*, pro quo Both. *os parva atque*. Verum et Pall. et Ven. *ore atque oculis p.* omisso *parvo*. Locus citatur in Gellio XIII, 29, ubi antiquiorum edd. aliae omittunt *parvo*, aliae eaeque seriores, ex plurium codicum collatione emendatae, habent. Atque ante omnia sciendum, *os* saepenumero in Plauto esse i. q. *caput*, veluti Mil. II, 2, 58 et Capt. IV, 2, 14 coll. Curc. II, 3, 8. Cf. Amph. I, 1, 165. Quare et hoc loco neutiquam de labris accipiendum videtur, sed de capite toto, sive addatur *parvo*, sive omittatur. Nam consentaneum est, capitis formam depingi, non labrorum. Sed ea ipsa *oris* significatio incognita serioribus, causa esse potuit, quare inveheretur postea *parvo* in textum, nimirum quia existimarent, os non posse dici pernigrum; id quod probe potest, si caput intellexeris. — Ceterum per me-

Ha. Formám quidem hercle vérbis depinxtí probe.
Mi. Vin' eám videre? *Ha.* Fílias maló meas.
Sed i, atque évoca illam. Si éae meae sunt filiae,
Si illárum est nutrix, mé continuo nóverit.
Mi. Heus, écquis hic est? Núntiate, ut pródeat
Foras Gíddeneme: est, qui íllam conventam ésse volt.

ACTUS V. SCENA III.

GIDDENEME. MILPHIO. HANNO. AGORASTOCLES. PUER.

Gi. Quis púltat? *Mi.* Qui te próxumus est. *Gi.* Quid vís? *Mi.* Eho,
Norístin' tu illunc túnicatum hominem, quí siet?
Gi. Nam quém ego adspicio? Próh supreme Iúpiter,
Herus méus hic quidem est, meárum alumnarúm pater,
Hannó Carthaginénsis! *Mi.* Ecce autém mala!
Praestígiator híc quidem Poenús probust:
Perdúxit omnis ád suam senténtiam.
Gi. O mí here, salve, Hánno, insperatíssume
Mihí tuisque fíliis, salve! átque eho
Miréri noli, néque me contemplárier.
Cognóscin' Giddenémen, ancillám tuam?
Ha. Noví. Sed ubi sunt méae gnatae? id scire éxpeto.
Gi. Apud aédem Veneris. *Ha.* Quíd ibi faciunt? díc mihi.
Gi. Aphródisia hodie Véneris est festús dies:
Orátum ierunt déam, ut sibi esset própitia.

trum et vulgata lectio stare poterit, siquidem vv. *venustas*, *venustus* ex iis sunt, quae in primis syllabis correptim pronunciantur, ut et *modestus* (Men. 5, 5, 33. V, 6, 6. Amph. 1, 1, 9. Stich. 5, 4, 10) et *iuventus*, (Amph. 1, 1, 2) et *dedisti* (Bacch. 4, 3, 51. Men. 4, 3, 15) et alia similia. Atque sic Terent. Hecyr. 5, 4, 8. *Quis me est fortunátior, venustátisque adeo plénior?* et apud nos infra V, 46 anapaesto: *Tanta ibi copia venustátum aderat.* Sic et hoc loco ex vulgata legendum foret: *Specié v'nusta, ore párvo atque oculis pérnigris.* Verumenimvero quia et codices boni refragantur huic lectioni, et os *parvum*, sive de labris sive de capite accipias, minus aptum videtur descriptioni graphicae, quam os nigrum, hiatusque hic perprobe potest locum obtinere, videtur sane servanda librorum lectio, et adiectivum *parvo*, si minus extrudendum, at certe uncinis circumscribendum. Sensus ergo versus est: lepida specie, capite pernigro et item oculis.

154. Pro *probe*, quod praebuit Gellius, edd. omnes *mihi*. Quaeritur, utrum melius. Ceterum apud eundem Gellium antiquae: *depinxit*.

Act. V. Sc. III. Prodit Giddineme; agnoscit Hannonem et ab eo agnoscitur. Agorastocles Hannonem ad aedem Veneris abducere cupit, ut videat suas filias; ille exspectare mavult, dum redeant, ne inter vias eas praetereant. Restant ergo uterque; Milphio autem servos Hannonis in Agorastoclis aedes, una cum nutrice Giddineme, introducit.

3. *Nam quem*, ut saepe, pro: *Quemnam*, per anastrophen. Cf. Amph. 2, 1, 35. II, 2, 35. Cist. 4, 1, 16. Cas. 2, 3, 51. III, 5, 10. et imprimis Aul. 1, 1, 3 et 5, ubi item femina loquitur.

5. *Carthaginensis.* Sic vulg. et Ven. — Vett. et Both. *Carthaginiensis.* — *Ecce autem mala*, ecce autem, quam mala illa! Putat Milphio, omnia fuisse simulata, et a Poeno et a nutrice, quo facilius lenonem dolo perderent.

11. *Cognoscin'.* Sic Ven. et vett. At vulg. *cognostin'*.

Mi. Pol sátis, scio, impetrárunt, quándo hic híc adest.
Ag. Eho, an húius sunt illae filiae? *Gi*. Ita, uti praédicas.
Tua píetas nobis pláne auxilió fuit,
Quum huc ádvenisti hódie in ipso témpore:
Namque hódie earum mútarentur nómina,
Faceréntque indignum génere quaestum córpore.
Pu. Haudónes illi. *Gi*. Havón bene si illi, in mústine.
Me ípsi et eneste dúm et alamna céstinum.
Ag. Quid ílli locuti súnt inter se? díc mihi.
Mi. Matrém salutat híc suam, haec autem hunc filium.
Ha. Tace, átque parce múliebri supelléctili.
Mi. Quae ea ést supellex? *Ha*. Clárus clamor síne modo.
Tu abdúc hos intro, et úna nutricém simul
Iubéto abire hanc ád te. *Ag*. Fac, quod ímperat.
Gi. Sed quís illas tibi monstrábit? *Ag*. Ego doctíssume.
Gi. Abeo ígitur. *Ag*. Facias módo, quam memores, mávelim.
Mi. Opíno hercle hodie, quód ego dixi pér iocum,
Id éventurum esse ét severum et sérium,
Ut hae ínveniantur hódie esse huius filiae.
Ag. Pol istúc quidem iam cértum est. Tu istos, Mílphio,
Addúce intro; nos hásce hic praestolábimur.
Patruo ádvenienti coéna curetúr volo.
Mi. Lachánanim vos! quos égo iam detrudam ád molas,
Inde pórro ad puteum atque ád robustum códicem!

16. *quando* pro composito: *quandoquidem*, ut *enim* pro *enimvero*, et *sed* pro *sedenim*.

18. *pietas*, tuus amor erga tuas, easque inveniendi quaerendique studium.

22, 23. Sic haec Punica in Ven. leguntur, quacum vett. concinunt, nisi quod priori versu legunt *Handones*, ut et vulg. quae tamen habet *havon*, quum vett. *hanun*. Mihi liquet, latere in his salutationem illam Punicam *Havo donni*, cf. V, 2, 41. et quidem duplicem, ut se iam invicem salutent puer ille ex Hannonis comitatu et Giddineme. Nam litterae fere eaedem in *Haudones illi* quae in his: *havon bene si illi*. In illoque *silli* latere videtur allocutio quaedam blandiens. Personae in Veneta plane nullae positae. In vulg. et vett. prior versus integer puero, alter nutrici tribuitur, videlicet propter v. 25, ex quo tamen non statim sequitur, alterutrum integrum versum esse elocutum. Ceterum metrum syllabis optime convenit. Divisionem vulgatam retinuit Bellermannus, qui hunc sensum elicuit: *Pu. Laetatus est dominus meus, quod deus benigne reddidit has filias, non morti tradidit. Gi. Quis me beatior? dolor silebit! in aeternum gaudebimus beatissimi;* sine dubio perperam. Giddinemon plura loqui puere consentaneum est et cum laetitia eius et cum ingenio muliebri, et cum v. 26.

25. *suam* elidendum totum.

26. *Tace*, sc. o Giddineme. Ad hanc enim haec loquitur. — Notanda autem est scansio v. *supellectili*, ut Mil. 4, 4, 44. *expapillato*.

28. Vulg. et Ven. *Tu abduc hos*, sc. servos meos. Vett. *Tu adduc hos*. Acidalius correxit: *Tu abduci hos* sc. iube, quod recepit Bothius. Ego tamen vulgatam servo, et v. *abduc* ad Milphionem, deinde autem sequentia ad Agorastoclem dicta puto, ut *tu* suppleatur.

29. Vulg. et Ven. *Iube*. Vett. *Iubeto hanc abire*.

32—36. Hi versus in libris leguntur post v. 54, unde eos huc recte transtulit Bothius. Pro *opino* libri *opinor*. — *Per iocum*. Cf. V, 2, 140.

34. Vulg. *Ut haec*. Nostr. Ven. et vett.

38. Libri *Lachanum vos*. Nimirum didicit hoc Milphio ab Hannone V, 2, 53, ubi ille exclamat *Lalech* sive *Lech la chananim*, *geh zu den Teufeln!* Atque sic et hoc loco legendum. Additum autem latinum *vos*. Iocose eos ad domum versus compellens, in malam rem abire iubet.

Ego fáxo hospitium hoc léniter laudábitis.
Ag. Audín' tu, patrue? Dico, ne dictúm neges:
Tuam míhi maiorem fíliam despóndeas.
Ha. Pactám rem habeto. *Ag.* Spóndesne igitur? *Ha.* Spóndeo.
Ag. Mi pátrue, salve: nám nunc es plané meus!
Nunc démum ego cum illa fábulabor líbere!
Nunc, pátrue, si vis túas videre fílias,
Me séquere! *Ha.* Iamdudum équidem cupio, et té sequor.
Ag. Quid, si eámus illis óbviam? *Ha.* At, ne intér vias
Praetérbitamus, métuo. Magne Iúpiter,
Restítue certas mi éx incertis núnc opes!
Ag. Ego méos amores mécum confidó fore.
Sed eccás video ipsas. *Ha.* Haécine sunt meae fíliae?
Quantae é quantillis iám sunt factae! *Ag.* Scín', quid est?
Graecaé sunt hae colúmnae: sustollí solent.

ACTUS V. SCENA IV.

ADELPHASIUM. ANTERASTYLIS. AGORASTOCLES. HANNO.

Ad. Fúit hodie operae prétium eius, quí amabilitati ánimum adiiceret,

39. *ad puteum*, videlicet ad aquam hauriendam, ut Olympio minatur Chalino se facturum Cas. I, 1, 32. — *codicem*, i. e. caudicem, h. e. ligna caedenda. Sic Pseud. I, 2, 25. *Te, cum securi caudicali praeficio provinciae.* Alii int. de carcere.

40. Vulg. et vett. *leviter*, ut III, 3, 26. At Veneta *leniter*, h. e. parum laudabitis, idque Both. et unice probandum. Cf. III, 3, 9 et 26.

51. Omnes addunt *quidem* post *Ego*.

54. Sic vulg. — Vett. *Punicae sunt columnae*, *s. s.* At Veneta corruptissime: *troecae sunt coelum ne sustoli solem.* Both. *Scin', quid est Tricarum? Sunt columnae: sustolli solent.* Male. V. C. *Thraece*, unde factum *Graece*, probante Lambino, quamquam improbante Bothie, quia nimirum omnes columnae sustollantur, non Graecae solum. Sed primum quidni addiderit epitheton ornans, quum nusquam terrarum tot columnae, quot in Graecia, sustolli solerent? Similiter in Fragmento Astrabae: *Quasi tolleno vel pilum Graecum reciproces plana via.* Sed *Graecum* etiam usurpatur de rebus usuque communi qui inter homines obtinet. Sic *Graeca fides* Asin. I, 3, 47. est communis hominum mos atque usus, ut praesenti pecunia mercentur. Atque sic h. l. Graecae columnae dicuntur pro columnis in universum. Verum illud *sustolli* ambigue dici, haud absimile vero. Cf. Cist. I, 1, 116 et supra I, 2, 139.

Act. V. Sc. IV. Adveniunt ex aede Veneris duae sorores, colloquentes inter se de sacrorum festivitate quibus interfuerint — 22. Interloquuntur Hanno et Ag. inter se — 30. Tum denuo sorores — 37 et iterum iiii 45. Dein illae laetantur, quod libertatem sibi portenderint exta. Ergo eas alloquuntur Hanno et Agorastocles, Hannoque ait, se eas velle in ius vocare, quia suas illae filias apud se habeant in servitute. Brevi agnitio fit inter patrem et filias, et desponsio Adelphasii Agorastocli.

1. *amabilitati*, rebus festivis, amatoriis. Pro *adiiceret*, quod vulg., vett. et Ven. *addiceret.* Duo relativa sic resolvo, ut sensum proprie subesse hunc dicam: *Hodie operae pretium fuit*, *ut*, *quicunque amabilitati animum adiiceret*, *visum adiret Veneris fanum*, *ibique oculis epulas daret.* Pro hoc autem utitur vago quasi et fluxo orationis genere, quemadmodum plerumque meretrices in Plauti comoediis, et quemadmodum cum earum vita moribusque consentaneum est. Prius autem *qui* cum coniunctivo construitur, ideo quod positum est pro *si forte quis.* Alterum est

Óculis epulas dáre, delubrum qui hódie ornatum eo vísere venit.
Deamávi ecastor íllic [ego] hodie
Lepidíssuma munera méretricum,
Dígna divá venustíssuma Vénere;
Neque cóntemsi eius opús hodie:
Tanta íbi copia venustátum aderat,
In suó quaeque loco síta munde.
Arábius murrhinusque ómnia odor
Complébat. Sordere haúd visust
Festús dies, Venus, nec túum fanum:
Tántus ibí clientárum erat númerus,
Quae ád Calydóniam vénerant Vénerem.
An. Cérto enim, quód quidem ad nós duas attínuit,
[Praepotentes] púlcrae pacísque poténtes, soror, fúimus,
Neque áb iuventúte ibi irrídiculo hábitae,
Quod pól, soror, céteris ómnibus fáctum est.
Ad. Malim ístuc aliís ita videátur, quam utí tu,
Sorór, te collaúdes.
An. Spero équidem. *Ad.* Et pol ego. Quum, íngeniis
Quibus súmus atque aliae, cógnosco:
Eo súmus gnatae genere, út deceat
Nos ésse a culpa cástas.
Ha. Iúpiter, quí genus cólis alisque hóminum,
Pér qüem vívimus vítalem aévom,
Quém penes spés vitae súnt hominum ómnium,
Dá diem hunc sóspitem, quaéso, rebús meis
Agúndis.
Quibus ánnos multos cárui, quasque e pátria pérdidi párvas,
Rédde his libertátem, invictae praémium ut esse sciám pietati.

mere relativum, potissimumque ad *eius* pertinet, cum illud prius deesse etiam possit.

2. *eo*, *dahin*, ut Ter. Ad. 2, 2, 24. Sensus: qui hodie in delubrum venit, ut illud ornatum viseret. Constructio autem: qui hodie eo (h. e. illuc unde redimus) venit, ut viseret delubrum ornatum; seu: qui hodie, ut delubrum ornatum videret, eo venit.

3. *ego* omnes edd. praebent.

6. Pro *opus* bene Lipsius mallit *opes*. Illud omnes edd. et cdd.

8. Pro vulg. et Ven. *munde* vett. *nitide*. Illud Pall.

9. Vett. *omnia*. Vulg. Ven. Both. *omnis*.

10. Omnes: *haud sordere visust*.

14. *enim* pro *enimvero*.

15. Omnes: *praepotentes, pulcrae*. — *Pacis potentes*, securae fuimus ab cavillatione iuvenum, ideo quod nos ob pulcritudinem prae reliquis magni faciebant.

16. *irridiculo* uno verbo vulg., at vett. et Ven. duobus: *in ridiculo*. Cf. Cas. 5, 2, 3. Epid. 3, 4, 88. — Haec omnia quae hucusque leguntur a v. 1, in vett. uni Adelphasio tribuuntur.

20. *Spero equidem*, sc. istuc aliis ita visum iri. V. vs. 18. Pro *Et pol ego* Ven. et vett. *Ut pol ego cum ing.* Post *ego* Bothius comma habet, post *cognosco* punctum. Ego unam periodum puto a. v. *quum ingeniis* usque ad *castas*, ut sensus sit: Quum considero quale sit nostrum ingenium, et quale aliarum, video nos esse eo genere natas, ut deceat nos esse ab omni vituperio liberas. Ad *Et pol ego* suppleo: item spero, illud visum iri aliis. Hinc patet, aeque bene, item salvo sensu, legi posse: *Ut pol ego*.

25. *quēm* divisim legendum, ut *quam* Amph. I, 3, 9. *aevum* ab *aevus* masc.

Ag. Omnía faciet Iupitér faxo: [nam mihi est obnoxius, et me metuit.]
Ha. Tace, quaéso. *Ag.* Ne lacrumá, patrue,
Av. Ut vólupe est homini, méa soror, si, quód agit, cluet victória!
Sicút hodie nos intér alias praestítimus pulcritúdine.
Ad. Stultá, soror, es magis, quám volo. An véro pulcra vidére, obsecro,
Si tíbi illi non os óblitum est fulígine?
Ag. O pátrue, o patrue mí patruissume!
Ha. Quid ést, fratris meí gnate? mí gnate, quíd vis? [expedi.]
Ag. Át enim volo hóc agas. *Ha.* Át enim ego istúc ago.
Ag. Pátrue, [patrue] mí patruissume!
Ha. Quid est? *Ag.* Ést lepida et lauta! Út sapit!
Ha. Ingénium habet patris, quód sapit.
Ag. Quaé res? Iam diu pól sapientiam túam abusa est háec quidem;
Núnc hinc sapit, hinc séntit; quidquid sápit, amore méo sapit.
Ad. Nón eo genere súmus prognatae, támetsi sumus servaé, soror,
Út deceat nos fácere quidquam, quód homo quisquam irrídeat.
Múlta mulierúm sunt vitia; séd hoc e multis máxumum est,
Quúm sibi nimis placént, minusque operám dant ut placeánt viris.
Av. Nímiae voluptati ést, quod in extis nóstris portentúm est, soror,
Quódque haruspex de ambábus dixit .... *Ag.* Vélim de me aliquid díxerit!

31. Vulg. vett. Ven. *nam mihi est o. et m. m.* quod additamentum stultissimum et ἄμετρον non posse ferri patet, etsi codices omnes habeant. Quae antecedunt, dimetrum anap. faciunt, quales et sequentes sunt.

33. *si quod agit cluet victoria*, h. e. si victor discedit in eo quod agit aut suscipit. Cf. Amph. 2, 2, 22. *ut meus victor vir belli clueat.*

34. *inter* prima brevi, ut saepius. Amph. 4, 3, 1. Capt. 3, 5, 19. Cist. I, 1, 53. Ep 2, 2, 55. Merc. 3, 1, 38. Mil. 2, 2, 70. III, 1, 17.

35. *obsecro* correptim proferendum, ut Mil. 2, 6, 61.

36. Vulg. et Ven. *illi;* vett. *illic*, h. e. in templo Veneris. *os* i. e. q. caput, (Cf. ad I, 3, 4.) aut facies. Rem quod attinet, intellegitur immunditiies. Cf. 1, 2, 58. 96. 110.

38. Omnes habent otiosum illud *expedi.*

39. *hoc agas*, h. e. attendas ad rem. Deinde omnes: *at enim ago istuc.* Nostr. ex coni.

40. Addidi alterum *patrue* de coni.

42. Vulg. vett. Ven. *patris habet.* Nostr. Both.

43. Omnes *edepol* — *Quae res?* i. e. q. Quid ais? Cf. Cas. II, 8, 18. III, 6, 14. As. I, 1, 8. Ceterum vett. *Quaeres iamdiu edepol sapientiam tuam, haec quidem cum abusa est.* Nostr. vulg. *Abusa est*, i. e. q. usu absumta est. Sic As. 1, 3, 44. *A. Ubi illaec, quae dedi ante? L. Abusa. Nam si ea durarent mihi, Mulier mitteretur ad te.* Cum accus. constructum legitur et Bacch. 2, 3, 126. Pers. 2, 3, 13. Trin. 3, 2, 56. Sensus igitur: Quod illa ex tete sapientiae habuit, id omne iam diu absumtum est.

44. Vett. *meo amore sapit.* In Ven. deest *sapit.*

45. Omnes: *sumus genere.* — Similiter vs. sq. *farere nos qu.* et deinde: *Multa sunt mulierum vitia.*

48. *minusque.* Sic Ven. et Both. — Vulg. et vett. *nimisque.* At ut placeant mulieres viris, operamque dent ut placeant, crebro solet praecipi in Plauto. V. c. Most. 1, 3, 11. Men. 2, 3, 4 etc.

50. *Quodque.* Sic omnes, neque mutandum erat in *quod*, uti fecit Bothius, siquidem *nempe*, *inde*, *quumque*, *quodque*, alia, saepe tamquam monosyllaba in Plauto pronunciantur. Cf. Mil. II, 6,

An. Nós fore invito dómino nostro diébus paucis líberas.
Íd ego, nisi quid di· aút parentes fáxint, quid sperem, haúd scio.
Ag. Méa fiducia hércle haruspex, pátrue, his promisít, scio,
Líbertatem: quía me amare hanc scít. *Ad*. Soror, sequere hác.
An. Sequor.
Ha. Priúsquam abitis, vós volo ambas. Nísi piget, consístite.
Ad. Quís revocat? *Ag*. Qui béne volt vobis fácere. *Ad*. Facere occásio est.
Séd quis homo est? *Ag*. Amícus vobis. *Ad*. Quí quidem non inimícus est.
Ag. Bónus est hic homo, méa voluptas. *Ad*. Pól istunc malim, quám malum.
Ag. Sí quidem amicitia ést habenda, cum hóc habenda est.
Ad. Haúd precor.
Ag. Múlta bona vobís volt facere. *Ad*. Bónus bonis beneféceris.
Ha. Gaúdio ero vobís .... *Ad*. At edepol nós voluptatí tibi.
Ha. Líbertatique. *Ad*. Ísto pretio túas nos facile féceris.
Ag. Pátrue mi, ita me dí amabunt, út, ego si sim Iúpiter,
Iam hércle ego illanc uxórem ducam, et Iúnonem extrudám foras!
Út pudice vérba fecit, cógitate et cómmode!
Út modeste órationem praébuit! Certo haéc mea est!
Ha. Séd ut astu sum aggréssus ad eas! *Ag*. Lépide hercle atque cómmode.
Ha. Pérgo etiam tentáre? *Ag*. In pauca cónfer: sitiunt, quí sedent.
Ha. Quíd? istuc, quod faciúndum est, cur non ágimus? In ius vós voco.
Ag. Nunc téne tu, patrue, frúgi si [bonae] es! Vin', égo hanc adprehéndam?
Ad. An pátruus est, Agorástocles, tuus híc? *Ag*. Iam faxo scíbis.
Nunc pól ego te ulciscár probe: nam fáxo — mea eris spónsa.
Ha. Ite ín ius! ne morámini! *Ag*. Antestáre me, atque dúce.

28. IV, 2, 81. Cf. supra 1, 3, 10. III, 1, 57.

52. Omnes *quid sperem*. Both. *qui sperem* i. e. quomodo sp.

55. Sic vulg. At vett. *Priusquam vis clama has*. Ven. et Decurt. *Priusquam abiit si vis clama has*. Dein sequentia Agorastocles. At V. C. *vos volamabas*.

57. Sic vulg. At Ven. et vett. *Qui quidem inimicus non est*. Sensus: Certe non inimicus est, quippe quem non noverimus: ergo oportet eum esse amicum. Nam inimicus est: non amicus.

58. *pol istum*, sc. bonum hominem. Bonus autem est: non fraudulentus, non malus, non astutus.

59. Omnes *Haud precor*. Both. *At precor*. Sed et *Haud precor* sensum habet haud incommodum: nolo ei molesta fieri precibus, vel: non audeo precari.

60. Omnes: *facere volt*.

68. *Sitiunt*, *qui sedent*, videlicet spectatores. Cupiunt finiri fabulam.

70. Ab hoc iam versu iambici sequuntur. Vocem *bonae* omnes habent. *tene* sc. Anterastylin. *hanc* sc. Adelphasium. In fine v. omnes addunt *H. tene*, praeter Venetam. Personarum nomina aliae aliter.

72. *ulciscar* i. e. puniam.

73. Falso ante v. *Antestare* ponitur nomen Anterastylis, etiam a Bothio. Antestari enim est, testem aliquem facere in ius vocationis. Sic Curc. 5, 2, 23. Pers. 4, 9, 10. Hor. Sat. I, 9, fin. Non autem eos ipsos antestabantur, quos in ius vocabant. Ergo Agorastoclis sunt ad Hannonem, iubentis, ut se invicem antestentur. *duce* sc. Anterastylin. An-

Ego te ánteatabor; póstea hanc — amábo atque amplexábo.
Sed illúd quidem volui dícere: imo díxi, quod volébam.
Ha. Morámini. In ius vós voco, nisi honéstiust prehéndi.
Ad. Quid in iús vocas nos? quíd tibi debémus? *Ag.* Dicet illi.
Ad. Etiámne meae latránt canes? *Ag.* At tu hércle alludiáto;
Dato míhi pro offa sávium, pro ósse linguam obícito:
Ita hánc canem faciám tibi oleó tranquilliórem.
Ha. Ite, si ítis. *Ad.* Quid nos fécimus tibi? *Ha.* Fúres estis ámbae.
Ad. Nosné tibi? *Ha.* Vos, inquam. *Ag.* Átque ego scio. *Ad.* Quid id fúrti est? *Ag.* Hunc rogáto.
Ha. Quia ánnos multos fílias meas célavistis clám me,
Atque équidem ingenuas líberas summóque genere gnátas.
Ad. Nunquám mecastor réperies tu istúc probrum penés nos.
Ag. Da pígnus, ni nunc péieres, in sávium, uter utrí det.
Ad. Nil técum ago: abscede, óbsecro. *Ag.* Atque hércle mecum agéndum est:
Nam hic pátruus meus est: pro hóc mihi patrónus sim necésse est,
Et praédicabo, quómodo vos fúrta facitis múlta,
Quoqué modo huiusce fílias apud vós habetis sérvas,
Quas vós ex patria líberas subréptas esse scítis.
Ad. Ubi súnt eae, aut quae sunt, óbsecro? *Ag.* Satís sunt macerátae.
Ha. Quin éloquamur? *Ag.* Cénseo hercle, pátrue. *Ad.* Misera tímeo,

testatio autem fiebat per apprehensionem auris adstantis alicuius liberi civis. Cf. Persa 4, 9, 10.

74. postea *hanc*, proprie adiiciendum erat: *ducam* sc. in ius. — *amplexabo* hic habent cdd.

75. Solita in correctione formula. Cf. Cas. 2, 6, 14. III, 5, 55. *illunc dicere villicum volebam*. Sic et hoc loco se ipsum corrigere vult Agorastocles, quoniam v. 74 pro *ducam* dixerat: *amabo atque amplexabor*. Non autem addit veram correctionem; *ducam*, potius iterum delabitur in veros animi sui sensus, affirmans, quae modo dixerat de amplexando. Omnes autem *hercle* addunt post *dixi*.

76. *nisi honestiust pr*. nisi vultis vi abripi, nisi honestius vobis videtur vi abripi.

77. Vulg. et vett. *dice tu illi*. Ven. *dice illi*. At mpti aperte: *Dicet illi*, h. e. Hanno dicet hoc *illic* apud praetorem. Atque sic emendavit Bothius.

78. *Etiamne*. Sic Veneta. *Etiam autem est*: *perguntne* meae canes latrare? Vett. et vulg. *Etiam me*. — *adludiare* est: blandiri, ut vel canes hominibus faciunt, vel homines canibus.

81. Vett. *Ite, sultis*. Ven. *Ite scitis*. Nostr. vulg. Atque apertum hoc est exemplum contractim enunciatae vocis *Ite*. Cf. Cas. 4, 4, 13.

82. Vulg. et vett. *Quid furti est id?* Ven. *Qui id furti estis?* Mss. *Quid id furti estis?* Ab aliis tamen abest *id*. Quod si retineas, *scio*, uti crebro, tamquam monosyllabum pronunciandum.

86. *in savium*, h. e. *savium ponito pignore*, solemni in his rebus locutione. Sic Epid. 5, 2, 35. *In meum numum, in tuum talentum, pignus da*. Cf. et Curc. 5, 2, 13 ubi si admiseris *in*, praecedens *vel* tamquam *ve* erit pronunciandum, ut sane aliquoties faciendum videtur.

88. *pro hoc mihi patronus sim necesse est*, mihi necesse est, ut pro hoc sim patronus.

89. Omnes *faciatis* et seq. *habeatis*. Nostr. Both. Atque indicativus saepe pro coniunctivo.

92. *maceratae*, quasi pisces, qui aqua superinfusa praeparantur ad edendum. Cf. supra 1, 2, 33. Capt. 5, 1, 7. Ter. Ad. 3, 3, 27.

93. Edd. *Quin eloquar? Ag. Censeo hercle, patrue*. Ven. *Qu. eloquar? A. Censeo ergo, patrue*. Hinc Both. *Ego censeo hercle, p*. Mihi omittendum potius

Quid hoc sít negoti, méa soror: ita stúpida sine animo ádsto.
Ha. Advórtite animum, múlieres. Primúm, si id fieri póssit,
Ne indígna indignis dí darent, id ego évenire véllem;
Nunc quód boni mihi dí danunt, vobís vostraeque mátri,
Eas dís est aequom grátias nos ágere sempitérnas,
Quum nóstram pietatem ápprobant decorántque di immortáles.
Vos méae estis ambae fíliae, et hic ést cognatus vóster,
Huiúsce fratris fílius, Agorástocles. *Ad.* Amábó,
Num hi fálso oblectant gaúdio nos? *Ag.* Át med ita di sérvent,
Ut hic páter est voster! Dáte manus. *Ad.* Salve, ínsperate nóbis
Pater, té complecti nós sine! *An.* Cupíte atque exspectáte
Pater, sálve! Ambae fíliae sumus: ámplectamur ámbae.
Ag. Quis me ámplectetur póstea? *Ha.* Nunc égo sum fortunátus!
Multórum annórum míserias nunc hác voluptate sédo!
Ad. Vix hóc videmur crédere. *Ha.* Magis quí credatis, dícam:
Nam vóstra nutrix prímum me cognóvit. *Ad.* Ubi ea, amábo, est?
Ha. Apud húnc est. *Ag.* Quaeso, quí lubet tam díu tenere cóllum,
Priusquám te mihi despónderit? Speráta salve! *Ad.* Omítte
Salútem. *Ag.* Omitto. Et tu áltera. *An.* Nolo égo istuc: enicás me!
Ha. Condámus alter álterum ergo in nérvom brachiálem!
Quibus núnc in terra mélius est? *Ag.* Evéniunt digna dígnis.
Tandem huíc cupitum cóntigit! O Apélla, o Zeuxis píctor,
Cur númerod estis mórtui? hinc exémplum ut pingerétis.
Nam aliós pictores níl moror huiusmódi tractare exémpla.
Ha. Dí deaeque omnes, vóbis habeo mérito magnas grátias,
Quum hác laetitia tánta et tantis ádfecistis gaúdiis,
Út meae gnatae ad mé redirent ín potestatém meam.
Ad. Mí pater, tua píetas plane nóbis auxilió fuit.

ego videtur, ut solet omitti in hac dictione, et legendum *eloquamur*.

95. Omnes: *possit*. Lamb. et Both. *posset*.

96. *ne indigna indignis*, h. e. mala immerentibus.

97. Patet ante *vobis* suppl. *ac*. Pro *danunt* omnes edd. *dant*. Pal. *danint*.

98. Vett. *vos agere*. Nostr. vulg. et Ven. — In hac Hannonis oratione inconcinnitas quaedam videtur esse sententiarum. Male enim sibi respondent: *Primum* et *Nunc* — nisi *primum* explices: *ab initio*, et *evenire vellem*, evenire voluissem, aut: evenisse vellem, ut sensus sit: velim quidem nobis nulla mala evenisse; nunc tamen diis gratias ago, quod pietatem nostram adprobarunt.

101. *Huiusce*, i. e. mei.

104. Vulg. et vett. *nos sine. H. Cupitae atque exspectatae. An. Pater salve.* Veneta: *nos sine.* Poen. *Nae cupite atque exspectate. An. Pater salve.* Both. omisit *nae*.

109. *videmur*. Sic vett. et Ven. — Vulg. *videamur*.

112. In his et personarum nomina in vulg. sunt confusa, et post *desponderit* legitur illud *omitto*, quod nos vs. seq. post *Salutem* demum collocavimus. — Vett. et Ven. *sperate salve*. Nostr. vulgata. De *sperata* cf. Amph. 2, 2, 52.

117. *numero*, h. e. nimis mature, nimis cito. Cf. ad Amph. I, 1, 26. Men. 2, 2, 13. Merc. 4, 3, 37. Cas. 3, 5, 28. Mil. 5, 7.

120. Post *hac* omnes addunt *me*, quod tamen omittendum propter versum.

Ag. Pátrue, facito in mémoriam habeas, túam maiorem filiam
Míhi te despondísse.... *Ha.* Memini. *Ag.* Et dótis quid promíseris.

ACTUS V. SCENA V.

ANTHEMONIDES. ADELPHASIUM. ANTERASTYLIS. HANNO. AGORASTOCLES.

Anth. Si égo minam non últus fuero próbe, quam lenoní dedi:
Túm profecto mé sibi habeant scúrrae ludificátui!
Ís etiam me ad prándium ad se addúxit ignavíssumus.
Ípse abiit foras, mé reliquit pro átriensi in aédibus.
Úbi nec leno neque íllae redeunt, néc, quod edim, quidquám datur:
Pró maiore párte prandii pígnus cepi, abií foras.
Síc dedero! aere mílitari tétigero lenúnculum!
Náctus est hominém, mina quem argénti circumdúceret!
Séd mea amica núnc mihi irato óbviam veniát velim.
Iám pol ego illam púgnis totam fáciam ut sit mórula:
Íta replebo átritate, átrior multo út siet,
Quámde Aegyptii, aut, quí cortinam lúdis per Circúm ferunt.
Ad. Téne, sis, me arcte, méa voluptas: mále ego metuo milüos:
Mála illa bestia ést: ne forte me aúferat, pullúm tuum.
An. Út nequeo te sátis complecti, mí pater! *Anth.* Ego mé moror.
Própemodum hoc nunc ópsonare prándium poteró mihi.

123. *in memoriam*, pro *in memoria*, ἀρχαϊκῶς, ut *in mentem* Amph. I, 1, 26.

Act. V. Sc. V. Accedit miles, de mina illa (Cf. II, 21) cum lenone expostulaturus. Videt patrem et filias amplexantes. Irascitur; minatur; edocetur; gaudet edoctus. Et ecce conspiciunt advenientem Lycum.

2. *habeant* dedi ex Veneta. Atque edd. *habeant o scurrae ludificis caviis.* Vulg. et vett. *habento.* Pro vulg. *ludificatui* vett. et Ven. *ludificis caveis.* — Scurrae sunt urbani iuvenes delicati.

3. *ignavissimus*, *der Schuft.* Sic Trin. I, 2, 128. Alias mollem significat, ut supra IV, 2, 24. — *adduxit* Decurt. et edd.; Both. *abduxit* cum V. C.

6. Ven. et Decurt. *pro more parte pr.* Vulg. et vett. *pro minore*, ut fere V. C. At Lamb. *pro maiore.* Nam maiorem comesurus erat miles. — *pignus.* Videlicet abstulerat miles aliquid ex aedibus lenonis, idque secum gerebat, fortasse nummos.

7. *Sic dedero!* formula de successu sibi gratulantis. *So lobe ich mir's! das war gut gemacht!* Cf. As. 2, 4, 33. Men. 4, 2, 46. 70. — *aere militari*, i. e. quod mercede datur militibus. Cf. Aul. 3, 5, 53. — *tetigero* i. e. q. tangendus erat leno. *Tangere* autem est circumvenire, Ep. 5, 2, 39. Pseud. I, 1, 118. IV, 8, 1. Aul. 4, 10, 14 velut alibi *manum adire.*

10. Vett. et vulg. *morula.* Ven. et cdd. et Both. *merulea*, quod explicant: nigra, ut est merula avicula. At *morula* interpretantur: ut sit Maurae instar nigra: alii a *moro* arbore, eiusque baccis.

11. Vett. *Itaque.* vulg. et Ven. et cdd. *Ita.* Sed istud fere solemne in talibus. Vid. Ind.

12. Both. *Quamde.* Atque sane sic legendum videtur, et ut *Aegyptii* sit trisyllabum. — *aut qui cortinam* etc. Cortina erat vas aeneum, plenum aqua, qua adspergerentur equi, sudore defessi, in ludis Circensibus.

15. *satis te.* Sic vett. et Ven. — At Vulg. codd. et Both. *te satis.* — *Ego me moror.* Videlicet abiturus est ad prandium.

16. *Hoc* est ablativo casu positum.

Séd quid hoc est? quid hóc? quid hoc est? quíd ego video? quómodo?
Quíd hoc est conduplicátionis? quae haéc est congeminátio?
Quís hic homo est cum túnicis longis, quási puer caupónius?
Sátin' ego oculis cérno? estne illaec méa amica Anterástylis?
Ét ea est certo! Iámpridem ego me sénsi nihili péndier.
Nón pudet puellam ámplexari báliolum in mediá via?
Iam hércle ego illunc éxcruciandum tótum carnufici dabo!
Sáne genus hoc múlierosum est túnicis demissítiis.
Sed adíre certum est hánc ad amatricem Áfricam.
Heus tú, tibi dico, múlier, ecquid té pudet?
Quid tíbi negoti autem ést cum istac? díc mihi.
Ha. Aduléscens, salve. *Anth.* Nólo: nihil ad te áttinet.
Quid tíbi hanc digito táctio est? *Ha.* Quia míhi lubet.
Anth. Lubét? *Ha.* Ita dico. *Anth.* Lígula, i in malám crucem!
Tune híc amator aúdes esse, halléx viri,
Aut cóntrectare, quód mares hominés amant,
Deglúpta maena, sárapis, semicínctium,
Mastrúga, halagoras háma, tum autem plénior
Álli úlpicique, quám Romani rémiges?
Ag. Num tíbi, adulescens, málae aut dentes prúriunt,
Qui huic és molestus, án malam rem quaéritas?

Sensus: Parum abest, quin hoc argento, quod lenoni abstuli, ipse mihi emere possim prandium. *Nunc* deest in vulg. et cdd. et Ven.; habent vett. — Ven. *propemodum hoc obs.* Both. *prop. istoc obs.*

21. *ea est certo.* Hoc ordine vett. et Ven. — vulg. et Both. *ea certo est.* Illud mihi antiquius.

22. *baliolum.* Sic omnes edd., neque mutandum. Deducitur enim *a balius*, quod apud Varronem legitur, et i. e. q. *badius*, quod significat rufum colorem, castaneum, subnigrum. Accommodatum sane huic loco. Bothius nulla necessitate mutavit.

23. *Iam*, i. e. brevi, *bald*, *gleich*.

24. *mulierosum* Sic vett. — At Ven. et vulg. et Pall. et Both. *muliebrosum*, quod nuspiam alias legitur.

25. *Africam*, h. e. Afri huiusce amatricem.

27. Vulg. et Both. *cum istac.* Ven. et vett. *cum istoc*, ut ad Anterastylin dicantur.

28. *Adulescens*, *mein Freund.* Non enim cogitandum de adulescentulo ex nostro more. Nam adolescens i. e. q. vir. V. vs. 36. Cf. Most. 3, 1, 120. Pers. 4, 4, 109. Cf. et Sallustium et alios.

29. *Quid tibi hanc digito tactio est?* quid tu hanc digito tangis, aut tangere audes? Construuntur enim verbalia tamquam verba, a quibus descenderunt. Similia v. Amph. 1, 3, 21. Aul. 3, 2, 9. As. 5, 2, 70. Cas. 2, 6, 54. Curc. 5, 2, 27.

30. *ligula* hic producitur, at supra V, 2, 64 corripiebatur. Cf. Martial. 2, 29, quo loco ligula significat ligamen calcei, itidem producta: *lingula.* At idem Martialis in Apophoretis 118. de ligula argentea: *Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque, Dicor ab indoctis lingula grammaticis.* De ligula gladiole cf. Gell. N. A. X, 15.

31. *halles* est muria, faex.

33. Vett. *Deglupta maenas*, *Sarapis*, *senicinctium.* Ven. *De glupta mena: sarapis semicinctum.* Vulg. *Deglupta maena*, *Sarrapis sementium.* Lamb. *Deglupta maenas*, *arra pisa*, *ementium.* Sarapis, auctore Hesychio, Persica tunica. *maena*, pisciculus.

34. Sic vett. et Both. — Ven. *Manstruga: halagoras. amatum autem pl.* Vulg. *Mastruga* ἅλς ἀγορᾶς ἅμα. *Mastruca* est vestis Sarda, quae opponitur purpurae apud Ciceronem pro Scauro. Cf. et orat. de Provinc. consul. — *hama*, cf. Mil. 3, 2, 42. *ein Fass vom Häringsmarkte.* Ceterum Taubmannus cum Vulgata facit. Ac nostrum convenientius cum seqq. *tum autem plenior* etc.

36. *adulescens.* Cf. v. 28. — Vett. et Ven. *malae an d.* Vulg. *aut.* Sed *an* legitur aq.

ANTH. Cur nón adhibuistí, dum [istaec] loquere, týmpanum?
Nam té cinaedum esse árbitror mage, quám virum.
AG. Scín', quám cinaedus sum? Íte istinc, serví, foras!
Efférte fustis! *ANTH.* Heús tu, si quid pér iocum
Dixí, nolito in sérium convórtere.
AN. Quid tíbi lubido est, óbsecro, Anthemónides,
Loqui ínclementer nóstro cognato ét patri?
Nam hic nóster pater est; híc nos cognovít modo,
Et húnc sui fratris fílium. *ANTH.* Ita me Iúpiter
Bene amét, bene factum gaúdeo, et volupe ést mihi,
Siquidém quid lenoni óbtigit magní mali,
Quumque é virtute vóbis fortuna óbtigit!
AN. Credíbile ecastor dícit: crede huic, mí pater.
HA. Credo. *AG.* Ét ego credo. Séd eccum lenoném Lycum!
Bonúm virum, eccum, vídeo; se recipít domum.
HA. Quis hic ést? *AG.* Utrumvis ést, et leno ét Lycus.
In sérvitute hic hábuit filiás tuas,
Et mi [hic] aúri fur est. *HA.* Béllum hominem, quem nóveris!
AG. Rapiámus in ius. *HA.* Mínume. *AG.* Quaproptér? *HA.* Quia
Iniúriarum múlto induci sátius est.

ACTUS V. SCENA VI.

LYCUS. AGORASTOCLES. HANNO. ANTHEMONIDES.

LY. Decípitur nemo méâ quidem senténtiâ,
Qui súis amicis nárrat recte rés suas:
Nam omníbus amicis méis idem unum cónvenit,
Ut mé suspendam, ne áddicar Agorástocli.
AG. Leno, eámus in ius. *LY.* Óbsecro te, Agorástocles,
Suspéndere ut me líceat. *HA.* In ius té voco.
LY. Quid tíbi mecum autem? *HA.* Quía hasce aio líberas
Ingénuasque esse fílias ambás meas,
Quae súnt subreptae cúm nutrice párvolae.

38. Omnes: *Cur non adhibuisti, dum istaec loquerere, tympanum.* At V. C. *dum istaec loquere.* Both. *Cur ne adhibuisti, dum istaec loquere, t.* Fortasse legendum: *Cur non adhibes tu, dum istaec loquere, t.*

40. *Scin' quam?* est minitandi formula. Cf. Amph. I, 1, 203. II, 2, 47. Aul. I, 1, 8. V, 1, 21. Pers. I, 3, 59 et supra I, 2, 165.

48. Sic vulg. et vett. — Ven. et Both. *Si quid lenoni.* Mss. *Siquidem.*

55. *hic* hoc loco in omnibus legitur. *aurifur* uno verbo vett. et Ven.

57. *multam dici.* Sic vulg. cum Lipsio. — Vett. et Pall. *multo induci,* ut et Ven. atque *induci* est *εἰσάγεσθαι.* Muret. Var. Lect. XI, 19. Sciopp. S. L. pag. 74. oppositum *τῷ rapiamus* in praec. Atque Graece dicitur: *δίκην ἐπάγειν.* Multo satius est, eum induci (sc. in ius, h. e. accusari) iniuriarum. Atque sic hae facetiae videntur esse quodammodo affectatae.

ACT. V. SC. VI. Venit Lycus; postulatur iniuriarum; fit sponsio; abit miles; Lycus Agorastocli se addicit.

1. Vett. et Ven. *quidem mea s.* Cf. v. 12. At nostr. Pall.

7. Both. *Quia hasce modo aio liberas,* et Goellerus ad Truculentum pag. 105 legi iubet: *Quia hasce domo aio liberas.* Utrumque contra versum. V. C. habet *hasce mo libcras.* Decurt. *hasce modo liberas,* aperte ex *aio* orto *mo,* ex hoc autem *modo.* Igitur praeferenda vulg., quam dedimus.

Ly. Iamprídem equidem istuc scívi et miratús fui,
Neminém venire, qui ístas adsererét manu.
Meae quídem profecto nón sunt. *Anth.* Leno, in iús eas.
Ly. De prándio tu dícis: debetúr, dabo.
Ag. Duplúm pro furto míhi opus est. *Ly.* Sume hínc quidem.
Ha. Et míhi suppliciis múltis. *Ly.* Sume hinc quídlubet.
Anth. Et míhi quidem mna argénti. *Ly.* Sume hinc quídlubet.
Colló rem solvam iam ómnibus, quasi báiolus.
Ag. Numquíd recusas cóntra me? *Ly.* Haud verbúm quidem.
Ag. Ite ígitur intro, múlieres. Sed, pátrue mi,
Tuam, út dixisti, míhi desponde fíliam.
Ha. Haud áliter ausim. *Anth.* Béne vale. *Ag.* Et tu béne vale.
Anth. Leno, árrhabonem hoc pró mina mecúm fero.
Ly. Perii hércle! *Ag.* Imo haud multó post, quum in ius véneris.
Ly. Quin égomet tibi me addíco: quid praetóre opust?
Verum óbsecro te, ut líceat simplum sólvere,
Trecéntos Philippos. Crédo, corradí potest.
Cras áuctionem fáciam. *Ag.* Tantispér quidem,
Ut sís apud me lígnea in custódia.
Ly. Fiát. *Ag.* Sequere intro, pátrue mi, ut hunc festúm diem
Habeámus hilarem, huíus malo et nostró bono.
Multúm valete. Múlta verba fécimus;
Malúm postremo hoc ómne ad lenoném redit.
Nunc, quód postremum est cóndimentum fábulae,
Si plácuit, plausum póstulat comoédia.

(ACTUS V. SCENA VII.)

[*AGORASTOCLES. LYCUS. HANNO. ADELPHASIUM. ANTERASTYLIS. ANTHEMONIDES.*

Ag. Quam rém agis, miles? quí lubet patruó meo
Loqui ínclementer? Né mirere, múlieres
Quod eúm sequuntur: módo cognovit filias
Suas ésse hasce ambas. *Ly.* Hém, quod verbum aurés meas
Tetigít? Nunc perii! Únde haec perierúnt domo?
Ag. Carthágínienses súnt. *Ly.* At ego sum pérditus!

11. Sic omnes, atque *neminem* correptim proferendum, utpote quod compositum ex *ne hominem*. Atque sic interdum legendum in Plauto. Similiter *neutiquam* corripitur, ut comp. ex *ne utiquam*. Capt. 3, 4, 54. Merc. 3, 4, 14. Mil. 3, 1, 36. Alia etiam sunt, quae modo producantur modo corripiantur, ut supra vidimus in *ligula*. Itaque non mutandum erat; id quod fecit Bothius, qui scripsit: *Venire neminem*, *istas qui adsereret manu*. Ceterum cf. Bentl. ad Ter. Hec. 3, 1, 1.

14. *hinc*, sc. collo meo, *δεικτικῶς*. Cf. v. 17. *collo* autem ait, vel quia se suspensurus erat, vel *collo obstricto* in ius abripiendus. Cf. Amph. 3, 2, 12.

18. Vulg. et Pall. *adversum quidem*. Vett. et Ven. *haud verbum quidem*, uti voluit Turnebus lib. 10, 14. Gruterus vulgatam retinens aliquid obscèni latere opinatur; falso, opinor.

22. *hoc*. Intelligit pecuniam, quam abstulerat lenoni pro maiore parte prandii; cf. V, 5, 6.

31. In vett. et Ven. deest *hoc*, legitur in vulg.

De *Act. V. Sc. VII*, quae legitur in vulg. vett. et Ven. post Sc. VI, cf. V, 5, 43. Atque legebatur ea scena in utroque Mss. Pall. nec non Vaticanis, et libro Sambuci, aliisque. Poesin quod attinet, alia ea est comoediae catastrophe, in qua de lenone paullo lenius agi-

Illúd ego metui sémper, ne cognósceret
Eas áliquis; quod nunc fáctum est. Vae miseró mihi!
Periére, opinor, dúodevigintí minae,
Qui hasce émi. *Ag.* Et tute ípse periistí, Lyce.
Ha. Quis hic ést? *Ag.* Utrumvis ést, vel leno, vél Lycus.
In sérvitute hic fílias habuít tuas,
Et mi aúri fur est. *Ha.* Béllum hominem, quem nóveris!
Ag. Lenó, rapacem te ésse semper crédidi;
Verum ét furacem [nórunt], qui norúnt magis.
Ly. Accédam. Per ego té tua genua óbsecro
Et húnc, cognatum quém tuum esse intélligo:
Quandó boni estis, út bonos facere áddecet,
Facitóte et vostro súbveniatis súpplici!
Iamprídem equidem istas ésse scivi líberas,
Et éxspectabam, si éas quis adsererét manu.
Nam méae prorsus non súnt. Tum autem aurúm tuum
Reddám, quod apud me est, ét iusiurandúm dabo,
Me málitiose níl fecisse, Agorástocles.
Ag. Quod míhi par facere ést, tamen egomet cónsulam.
Omítte genua. *Ly.* Mítto, si ita senténtia est.
Ag. Heús tu, leno. *Ly.* Quíd lenonem vís inter negótium?
Ag. Úti nunc argentúm mihi reddas, priúsquam in nervom addúcere.
Ly. Dí meliora fáxint! *Ag.* Sic est: vídeo, coenabís foris.
Aúrum, argentum, cóllum, leno, trís res nunc debés simul.
Ha. Quíd med hac re fácere deceat, égomet mecum cógito.
Sí volo hunc ulcísci: lites séquar in alieno óppido.
Quántum audivi, ingénium et mores éius quo pactó sient....
Ad. Mí pater, ne quíd tibi cum istoc réi siet, ted óbsecro.
An. Aúscnlta soróri! Abi, disiunge ínimicitias cum ímprobo.
Ha. Hóc age, sis, lenó. Quamquam ego te méruisse, ut pereás, scio:
Nón experiar técum. *Ag.* Neque ego, si aúrum mihi reddás meum,
Léno, quando, ex nérvo emissus, — cómpingare in cárcerem.
Ly. Iám autem, ut solés? *Anth.* Ego, Poene, mé tibi purgatúm volo.
Sí quid dixi irátus advorsum ánimi tui senténtiam,
Íd ut ignoscas, quaéso; et quum istas ínvenisti fílias,
Íta me di ament, míhi voluptast. *Ha.* Ígnosco et credó tibi.
Anth. Léno, tu aut amícam reddas fácito aut auri míhi minam.
Ly. Vín' tibicinám meam habere? *Anth.* Níhil moror tibícinam:
Nescias, utrum eí maiores, búccaene an mammaé, sient.
Ly. Dábo, quae placeat. *Anth.* Cúra. *Ly.* Aurum crás ad te referám tuum.
Ag. Fácito in memoria hábeas. Miles, séquere me. *Anth.* Ego veró sequor.
Ag. Quíd ais, patrue? quándo hinc ire cógitas Cartháginem?
Nám tecum una me íre certum est. *Ha.* Úbi primum potero, íllico.
Ag. Dum aúctionem fácio, hic opus est áliquos ut maneás dies.
Ha. Fáciam ita, ut vis. *Ag.* Áge, sis, eamus; nós curemus. Plaúdite.]

tur, quam in superiore. Singula autem tam imbecille et perverse inter se sunt conglutinata, ut non digna sint quae aut explicentur, aut ad artis scenicae leges accuratius examinentur. Uti enim in maiorum poetarum carminibus, nihil fere inest, in quo non contra melioris artis leges peccatum deprehendas.

METRORUM IN POENULO

DESCRIPTIO.

Prol. et Act. I. Sc. I. trimetri iamb.
Act. I. Sc. II. v. 1—21 bacchiaci.
v. 22 tetr. iamb. catal.
v. 23—28 bacchiaci.
v. 29 tetr. iamb. catal.
v. 30—39 bacchiaci.
v. 40 tetr. iamb. catal.
v. 41, 42 bacch.
v. 43 pausa. dim. iamb. catal.
v. 44—46 bacch.
v. 47—49 dochmiaci.
v. 50 dimeter troch.,
v. 51—203 tetr. troch. catal.
Act. I. Sc. III. et Act. II. senar. iamb.
Act. III. Sc. I. II. tetr. troch. catal.
Act. III. Sc. III—VI. trimetri iamb.
Act. IV. Sc. I. v. 1—4 tetr. iamb. acatal.
v. 5, 6 tetr. iamb. catal.
Act. IV. Sc. II. tetr. troch. catal.
Act. V. Sc. I. tetr. iamb. catal.
Versio latina, trim. iamb.
Act. V. Sc. II. et III. Senar. iamb.
Act. V. Sc. IV. v. 1, 2 tetr. troch. acatal.
v. 3, 4 dimetri anapaest.
v. 5 cret. catal.
v. 6—11 anapaest.
v. 12—17 cretici.
v. 18, 19 bacchiaci.
v. 20—22 anapaest.
v. 23 tripod. spond.
v. 24—27 cret.
v. 28 pausa.
v. 29 tetr. anap. cat.
v. 30 tetr. spond.
v. 31, 32 anapaest.
v. 33—35 tetr. anapaest. sive dimetri.
v. 36 senar. iamb.
v. 37 dactylic. cum anacrusi.
v. 38 bacchiacus.
v. 39 creticus.
v. 40 dactyl.
v. 41, 42 anapaest. cum iamb.
v. 43—69 tetr. troch. cat.
v. 70—118 tetr. iamb. cat.
v. 119—Act. V. Sc. V. v. 24 tetr. troch. cat.
v. 25—fin. senar. iamb.

PSEUDOLUS.

DRAMATIS PERSONAE.

PSEUDOLUS, servus Calidori.
CALIDORUS, adolescens, Simonis f.
BALLIO, leno.
LORARIUS.
SIMO, senex, pater Calidori.
CALLIPHO, senex.
HARPAX, militis Macedonii servus miles.
CHARINUS, Calidori familiaris.
PUER, servus Lenonis.
COCUS.
SIMMIA, Charini servus.
PHOENICIUM, muta persona.

SUMMARIUM.

Adulescens Calidorus, Simonis filius, amat Phoenicium puellam, quae apud lenonem Ballionem est. De eadem autem pepigerat miles quidam cum lenone, numeratis quindecim minis de viginti, quod pretium constitutum fuerat, ita ut, qui reliquas quinque cum chirographo militis et sigillo afferret, ei leno exhiberet puellam. Pseudolus igitur operam pollicetur hero Calidoro. Primum aggrediuntur lenonem ipsum, sed frustra. Postea Pseudolus Simonem patrem, senem hilarem, decepturus. Quem ubi videt praesensisse dolum, fatetur rem, spondetque, si sibi viginti minas promittat praemio daturum, se ab lenone abducturum puellam. Interim venit a milite missus Harpax. Qui, ignarus locorum, Pseudolo, qui se servum Ballionis fingit, epistolam militis tradit. Amicus autem Charinus Calidoro quinque praebet minas. Itaque subornant huius servum Simmiam tamquam Harpagem a milite missum; qui Phoenicium ab lenone abducit. Ita decipitur Ballio, qui antea adeo cum Simone pepigerat, sponsione mutua facta, si hoc efficeret Pseudolus, se ei daturum viginti minas. Igitur poenas dant leno et Simoni et militi, Simo autem Pseudolo; qui, e convivio, quod instituerat Calidorus, ebrius factus, de utroque triumphat.

(Scena est Athenis.)

ARGUMENTUM.

Praeséntis numerat quindecim milés minas;
Simúl consignat sy'mbolum: ut Phoenicium
Ei det leno, qui éum cum reliqüo ádferat.
Veniéntem caculam intervortit sy'mbolo,
Dicéns Syrum se Bállionis, Pseúdolus,
Opémque herili ita tulit: nam Simmiae
Lenó mulierem, quem is supposuit, trádidit.
Venit Hárpax verus: rés palam cognóscitur;
Senéxque argentum, quód erat pactus, réddidit.

PROLOGUS.

[Studéte hodie míhi: bona in scenam áffero:
Nam bóna bonis ferrí reor aequum máxume,
Ut mála malis: ut, quí mali sunt, habeánt mala,
Qui bóni, bona. Bonós quod oderínt mali,
Sunt máli; malos quod óderint boní, bonos
Esse opórtet; vosque ideo éstis boni, quandóquidem
Semper ódistis malos, ét lege et legiónibus
Hos fúgitastis, Quiríites, successís bonis.
Huic vós nunc pariter bónam bóni operam dáte gregi,
Qui bónus est, et hodie ád bonos affert bona.
Aurés, oculi, animus ámpliter fiént saturi.
In scénam qui ieiúnus venerit aút sitiens,
Is ríisu et ventre ráso vigilabit sédulo:

Argum. 1. *Praesentes minas*, *baar*, ut Most. 4, 2, 10. *sex talenta praesentaria*.

3. Vett. ante *qui* habent *sibi*, ut idem sit quod *ei*. Codd. tamen et vulg. omittunt. — *eum*, sc. *symbolum*, masculino genere. Cf. 1, 1, 55.

4. *cacula* servus est militis. V. Trin. 3, 2, 95. *caculam militarem*, ubi corripitur; unde apparet, hic non esse elidendum. Idem IV, 2 fin. vocatur *calator*, quod verbum et legitur Suet. de ill. gramm. 12. Deducunt a *calare* i. e. *καλεῖν*, quasi qui alios calaret, i. e. vocaret, domino iubente.

6. Vett. *is* habent post *herili;* deest illud in vulg. et Ven. — Vulg. *tetulit;* mpti *tulit*.

Prologus. Deest hic prologus in Veneta, in qua nec duo postremi versus leguntur, quos tamen habent Mpti Pall., item omisso prologo. Cuius versuum ea est conditio, ut aegre pro versibus haberi queant.

8. *successis bonis*, h. e. rebus feliciter gestis, quae bene vobis successerunt. Sic Cic. fil. epp. fam. XVI, 21. *Nam cum omnia mea causa velles mihi successa*. Similiter fere *sol occasus*, Epid. I, 2, 41. Men. 5, 7, 35.

9. *boni* omittit Both.

13. *ventre raso*, i. per famem quasi

Dum ridébunt saturi, mórdebunt famélici.
Nunc, sí sapitis, cedíte ieiuni atque discédite.
Vos sáturi, state, imó sedete atque atténdite.
Non árgumentum néque huius nomen fábulae
Nunc próloquar ego: sátis id faciet Pseúdolus:
Satis íd dictum vobís puto iam atque députo.
Ubi lépos, ioci, risús, vinum, ebrietás decent,
Gratiaé, decor, hilaritás atque delectátio,
Qui quaérit alia, is málum videtur quaérere.
Curás malas abiícite iam, ut otiósi, hodie.]
Expórgi meliust lúmbos atque exsúrgier:
Plautína longa fábula in scenám venit.

ACTUS I. SCENA I.

PSEUDOLUS. CALIDORUS.

Ps. Si ex té tacente fíeri possem cértior,
Here, quaé miseriae té tam misere mácerant:
Duorúm labori ego hóminum parsissém lubens,
Mei té rogandi et túi respondendí mihi.
Nunc quóniam id fieri nón potest, necéssitas
Me súbigit, ut te rógitem. Respondé mihi:
Quid ést, quod tu exanimátus iam hos multós dies
Gestás tabellas técum, eas lacrumís lavis,
Neque tuí participem cónsili quemquám facis?
Elóquere, ut, quod ego néscio, id tecúm sciam.
Ca. Miseré miser sum, Pseúdole! *Ps.* Id te Iúpiter
Prohibéssit! *Ca.* Nihil hoc Ióvis ad iudicium áttinet;
Sub Véneris regno vápulo, non súb Iovis.
Ps. Licét me id scire quíd sit? Nam tu me ántidhac
Suprémum habuisti cómitem consiliís tuis.
Ca. Idem ánimus nunc est. *Ps.* Fác me certum, quíd tibi est.
Iuvábo te aut re, aut ópera, aut consilió bono.
Ca. Cape hás tabellas: túte hinc narrató tibi,
Quae mé miseria et cúra contabéfacit.
Ps. Mos tíbi geretur. Séd quid hoc, quaesó? *Ca.* Quid est?
Ps. Ut opínor, quaerunt líterae hae sibi líberos:

adraso. Ceterum sensus ineptus est huius et sequentium versuum.

14. Aut omittendum *Dum*, aut leg. *rident*.

24. Vett. et vulg. *exsurgier*. Both. cum Pareo: *exsurgere*. Mss. *exurger*. Ceterum cf. Epid. grex vs. 2.

Act. I. Sc. I. Exponit Calidorus Pseudolo, opus sibi esse viginti minis, quibus liberet Phoenicum, isque ei promittit, sese rem expediturum, bonumque animum iubet habere. Dein, egrediente lenone, secedunt paullum.

4. *et tui.* Sic edd. omnes. At Aus. Popma de usu antiquae locutionis I, 10 videtur legisse: *et tis resp. mihi*, quemadmodum *tis* pro *tui* legitur Mil. 4, 2, 43. Pall. uterque habent *et te resp.*

16. Sic. vulg. et Pall. ut saepe indicat. pro coni. At Ven. et vett. *quid tibi sit*.

17. Sic vett. et Pareus, nulla nota adiecta. In Ven. et vulg. deest *te*. Imitatus locum est Terentius Heaut. I, 1, 34. *Aut consolando, aut consilio, aut re iuvero.*

Alia áliam scandit. *Ca.* Lúdis me ludó tuo.
Ps. Has quídem pol credo, nísi Sibylla légerit,
Intérpretari álium posse néminem.
Ca. Cur ínclementer dícis lepidis líteris,
Lepidís tabellis, lépida conscriptis manu?
Ps. An, óbsecro hercle, habént quoque gallinaé manus?
Nam has quídem gallina scrípsit. *Ca.* Odiosús mihi es.
Lege, vél tabellas rédde. *Ps.* Imo enim péllegam.
Advórtito animum. *Ca.* Nón adest. *Ps.* At tú cita.
Ca. Imo égo tacebo; tú hinc ex cerá cita:
Nam istíc meus animus núnc est, non in péctore.
Ps. Tuam amícam video, Cálidore. *Ca.* Ubi ea est, óbsecro?
Ps. Eccam ín tabellis pórrectam; in cerá cubat.
Ca. At té di deaeque, quántus's .... *Ps.* Servassínt quidem!
Ca. Quasi sólstitialis hérba, paulispér fui:
Repénte exortus súm, repentino óccidi.
Ps. Tace, dúm tabellas pérlego. *Ca.* Ergo quín legis?
Ps. „Phoenícium Calidóro, amatorí suo,
Per céram et linum líterasque intérpretes
Salútem mittit, ét salutem abs te éxpetit,
Lacrumáns, titubanti ánimo, corde, et péctore."
Ca. Perií, salutem núsquam invenio, Pseúdole,
Quam illí remittam! *Ps.* Quám salutem? *Ca.* Argénteam.
Ps. Pro lígnean' salúte vis argénteam
Remíttere illi? Víde sis, quam tu rém geras.
Ca. Recitá modo: ex tabéllis iam faxó scies,
Quam súbito argento mi úsus inventó siet.
Ps. „Lenó me peregre míliti Macedónico
Minís viginti véndidit, voluptás mea;
Et priúsquam hinc abiit, quíndecim milés minas
Dederát. Nunc unae quínque remorantúr minae.
Ea caúsa miles híc reliquit sýmbolum

24. Vett. *potesse reor neminem.* Ven. et vulg. *posse neminem.* V. C. *posse reor nem.* In Decurtato utrumque desideratur, et *posse* et *reor.*

25. *inclementer* dicere alicui, est: *Jemand schelten, mit Jemand zanken.* Amph. 2, 2, 119.

27. V. C. et Decurt. *habentque*, quod Bothius. Nostr. vulg. et vett.

31. *eum* addunt vett. post *hinc*, quod deest in Pall. et vulg. et Ven. Atque vero similius, accéntum poni in v. *hinc*, quam in v. *tu.*

33. Et hic et alibi *Calidorus* in edd. duplici l litera legitur. At simplici scribendum esse, metrum praestat et hic et v. 39 et I, 3, 53 et 163 et IV, 1, 2 et IV, 4, 6.

35. Pro *quantus es* Pareus ex schedis Passeratii mallt *quantum est*, quod recepit Bothius. Decurt. *quantust.*

36. *solstitialis herba* quae intelligenda sit, nemo facile dixerit. Solstitium opponitur brumae, estque longissimus dies anni, ut bruma brevissimus. *Solstitialis morbus* occurrit Trin. 2, 4, 143. *Hominum nemo extat, qui ibi sex menses vixerit: Ita cuncti solstitiali morbo decidunt.* Inde herba solstitialis possit videri esse herba, quae tempore solstitii exarescat, ut multae sane, nisi legatur v. seq. *Repente exortus sum, rep. occ.* unde apparet, intelligendam esse herbam, quae repente exoriatur, repenteque occidat. Plinius heliotropium esse ait, aut condurdon, lib. XXVI, cap. 5. Ausonius: *Ostentatus raptusque simul, solstitialis velut herba fuit.*

45. Et Veneta et vett. *lignea*, omissa interrogativa *ne.*

Expréssam in cera ex ánulo suam imáginem:
Ut qui húc adferret éius similem sýmbolum,
Cum éo simul me mítteret. Ei réi dies
Haec praéstituta est, próxuma Dionýsia.“
Cras éa quidem sunt. *Ca.* Própe adest exitiúm mihi,
Nisi quíd mihi in te est aúxili. *Ps.* Sine péllegam.
Ca. Sino: nám mihi videor cúm ea fabulárier.
Lege! dúlce amarumque úna nunc miscés mihi.
Ps. „Nunc nóstri amores, móres, consuetúdines,
Iocus, lúdus, sermo, suávis saviátio,
Compréssiones ártae amantum córporum,
Teneris labellis mólles morsiúnculae,
Papíllarum horridulárum oppressiúnculae,
Harúm voluptatum mi ómnium atque itidém tibi
Distráctio, discídium, vasticiés venit,
Nisi quaé mihi in te est, aút tibi est in mé salus.
Haec, quaé ego scivi, ut scíres, curavi, ómnia;
Nunc égo te experiar, quíd ames, quid simulés. Vale.“
Ca. Est mísere scriptum, Pseúdole! *Ps.* O misérrume!
Ca. Quin flés? *Ps.* Pumiceos óculos habeo: nón queo
Lacrumam éxorare ut éxspuant unám modo.
Ca. Quid itá? *Ps.* Genus nostrum sémper siccoculúm fuit.
Ca. Nilne ádiuvare me aúdes? *Ps.* Quid faciám tibi? *Ca.* Heu!
Ps. Heu? Íd quidem tibi hércle, ne parsís, dabo.
Ca. Misér sum: argentum núsquam invenio mútuom,
Pseudóle. *Ps.* Heu! *Ca.* Neque intus númus ullus ést. *Ps.* Eheu!
Ca. Ille ábducturus ést mulierem crás. *Ps.* Eheu!
Ca. Istóccine pacto me ádiuvas? *Ps.* Do id, quód mihi est:
Nam is míhi thesaurus iúgis in nostra ést domo.
Ca. Actum hódie de me est! Séd potes nunc mútuam
Drachmám dare unam míhi, quam cras reddám tibi?
Ps. Vix hércle opinor, sí me opponam pígnori.
Sed quíd de drachma fácere vis? *Ca.* Restím volo
Mihi émere. *Ps.* Quamobrem? *Ca.* Quí me faciam pénsilem.
Certum ést mihi, ante ténebras tenebras pérsequi.
Ps. Quis mi ígitur drachmam réddet, si dederím tibi?
An tú te ea causa vís sciens suspéndere,
Ut mé defrudes dráchma, si dederím tibi?

58. *Cras ea quidem sunt.* Haec vulg. et Both. tribuunt Callidoro, at vett. et Ven. Pseudolo, et rectius.

64. *corporum.* Sic V. C. et Lamb. At vulg. et Decurt. *comparum*, quod et Bothius. Veneta: *arcte amantium comparatae.* Vett. *arete amantum compares.*

70. *scivi*, i. e. comperi.

79. Sic Vulg. vett. Ven. quae posterior et in seqq. legit *heu*, non *eheu*, quod habent Pall. et item Bothius, qui v. *Pseudole* omittit. Ex vulgatae ratione corripienda *néque intus*, ut saepe.

81. Omnes edd. *adiutas.* Nostr. Both. — Cdd. *adtuas.*

84. Vulg. Ven. Pall. *Drachmam dare mihi unam.* Vett. *Drachmam dare unam*, omisso *mihi.* Both. *Drachmam mihi unam dare.*

88. Omnes: *ante tenebras persequi tenebras.* Nostr. ex Ald. Bothius, et item Pareus, qui sic scribit legi in Pall. *Tenebrae* priores sign. noctem, posteriores mortem.

Ca. Profécto nullo pácto possum vívere,
Si illa á me abalienátur atque abdúcitur.
Ps. Quid flés, cucule? Víves. *Ca.* Quid ego ní fleam,
Quoi néc paratus númus argentí siet;
Neque cuí libellae spés sit usquam géntium?
Ps. Ut líterarum ego hárum sermonem aúdio,
Nisí tu ílli drachmis fléveris argénteis,
Quod tu ístis lacrumis té probare póstulas,
Non plúris refert, quám si imbrem in cribrúm geras.
Verum égo te amantem, né pave, non déseram.
Spero, álicunde hodie mé bona opera, aút mala,
Tibi ínventurum esse aúxilium argentárium.
Ca. At íd futurum unde? *Ps.* Únde dicam, néscio;
Nisi, quía futurum est, íta supercilióm salit.
Ca. Utinám, quae dicis, díctis facta súppetant!
Ps. Scis tú quidem hercle, méa si commoví sacra,
Quo pácto et quantas sóleam turbellás dare.
Ca. In té nunc sunt omnés spes aetatí meae.
Ps. Satin' ést, si hanc hodie múlierem effició tibi,
Tua út sit, aut si tíbi do vigintí minas?
Ca. Satis, sí futurum est. *Ps.* Róga me vigintí minas,
Ut me éffecturum tíbi, quod promisí, scias.
Roga, óbsecro, hercle: géstio promíttere.
Ca. Dabísne argenti mi hódie vigintí minas?
Ps. Dabó. Molestus núnc ïam ne sís mihi.
Atque hóc, ne dictum tíbi neges, dicó prius:
Si néminem alium pótero, tuum tangám patrem.
Ca. Di té mihi omnes sérvent! Verum, sí potes,

94. *Cuculi* vocantur scortatores. V. Asin. 5, 2, 73. 84. — *Quid ego ni fleam* pro: *Quidni ego fleam?* per tmesin.

96. *cui* deest in Ven. et vett. Habet vulg. Libella nummus erat argenteus, decima pars denarii, *ein Dreier*.

98. *illi* i. e. q. illic, apud lenonem videlicet.

99. *postulas*, speras, vis, studes, cupis, existimas te posse probare. Construitur cum acc. c. inf., atque *te* est subiectum: probare autem voluit istis lacrumis amorem suum. *Quod* esse reor relativum, non coniunctionem; quae si foret, sequi deberet coniunctivus *postules*, (Cf. Aul. I, 3, 13) quemadmodum legere videtur Acidalius. At omnes habent indicativum. Acid. malit *plorare*.

102. libri: *aut hac mea*, sc. mala, utpote servi, qui sunt mali, i. e. astuti. Atque sic vulg. Veneta: *me bona opera hac mea*. Vett. *me bona opera aut mala*. Both. *me bona operad hac mea*. Lambinus cum vulg. facit. Ego praetuli vett.

104. Vett. Pall. et vulg. Pseudolo haec continuant sic: *Atque id futurum unde, unde dicam nescio*. Nostram habet Veneta.

105. *Nisi quia futurum est* etc. i. e. q. hoc solum scio, supercilium mihi sic salire, uti salire sentio, ideo quia futurum est. Videlicet eiusmodi eventa, qualia sunt sternutationes aut supercilii palpitatio, antiquis erant omini fausto. Sic Theocrit. ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός· ἦ ῥά γ' ἰδήσω αὐτάν.

107. *mea si commovi sacra*, meas artes si adhibeam. Artes autem suas comparat sacris quae fiebant alicui deo, in quibus solemne erat verbum *movere*, uti legitur apud Catonem de re rustica 134 his verbis: *Priusquam porcam feminam immolabis, Iano struem commoveto sic: Iane pater, te hac strue commovenda bonas preces precor.* Sic et Virg. Aen. IV, 401 *qualis commotis excita sacris Thyias*, etc. et Hor. Od. I, 18, 11. *Non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiam.*

109. *aetati*, i. e. vitae.

Pietátis causa vél etiam matrém quoque.
Ps. De istác re in oculum utrúmvis conquiéscito.
Ca. Oculum [utrum], ánne in aurem? *Ps.* At hóc pervolgatúm est nimis.
Nunc, né quis dictum síbi neget, dico ómnibus,
Pubí praesenti in cóncione, omní poplo,
Omníbus amicis nótisque edicó meis,
In húnc diem a me ut cáveant, ne credánt mihi.
Ca. St! táce obsecro hercle! *Ps.* Quíd negoti est? *Ca.* Óstium
Lenónis crepuit. *Ps.* Crúra mavellém modo.
Ca. Atque ípse egreditur, pénitus periurúm caput.

ACTUS I. SCENA II.

BALLIO. LORARII IV. PSEUDOLUS. CALIDORUS.

Ba. Éxite! agite, exíte, ignavi, mále habiti, et male cónciliati;
Quórum nunquam quídquam quoiquam vénit in mentem ut récte faciant.
Quíbus nisi ad hoc exémplum experior, nón potis usurpári usura.
Neque égo homines magis ásinos unquam vídi: ita plagis cóstae callent.
Quós dum ferias, tíbi plus noceas: éo enim ingenio hi súnt flagritribae.
Qui haéc habent consília:
Úbi data occásio est, rápe, clepe, tene, hárpaga, es,
Bíbe, fuge! Hoc eórum opust: út lupos mávelis
Ápud oves línquere, quam hós custodés domi.

119. *verum, si p.* elliptice, pro: *Atque non patrem solum, verum etiam,* etc. *pietatis causa* est i. q. ne scrupulum tibi iniciat pietas mea, ne existimes, me nolle propter pietatem.

122. Vulg. Pall. Ven.: *Oculum utrum, anne in aurem.* Vett. *Oculum utrum, anne aurem?* At primum falso posset accipi *Oculum utrum* de electione alterius utrius oculi. Deinde potius *an* dixerit, quam *anne.* Hinc existimo *utrum* eliciendum. — Omnes: *At hoc pervolgatum est minus.* Nostr. Both., atque sane crebro confunduntur *minus* et *nimis* in codd.

124. *Pubi.* Sic Vett. — Vulg. et Ven. *Pube.*

127. Vulg. et Pall. *St! tace obs. h.* In Ven. et vett. deest illud *St!* Quod si retinueris, *obsecro* corripiendum erit, uti haud raro sane.

Act. I. Sc. II. Procedit Ballio ex aedibus suis cum servis et servabus, longoque et vivacissimo cantico primum servos increpat et ad opera muneraque sua obeunda hortatur, dum a foro cum coquo redeat ad natalem suum celebrandum; deinde, illis intro ablegatis, mulieres evocat, increpat, itemque cohortatur, uti, quoniam natalis suus sit, amatores suos pelliciant ad largiter aggerunda dona. In quibus et Phoenicium adlocutus, in fine scena eas intromittit. Comitatur lenonem puer. Adstant Calidorus et Pseudolus, interloquentes passim. Scena perquam egregia.

1. Pro altero *exite* edd. *ite.* Nostr. est ex emendatione apud Hermannum de metris, ubi totum hoc canticum descriptum legitur. *ignavi* opponuntur servis frugi Poen. 4, 2, 24. *male conciliati,* h. e. damno meo emti. Nam conciliare est emere. Epid. 3, 4, 40. Et *male habiti*, quos malo meo possideo. Cf. Stich. 1, 2, 2.

3. Vulg. *non potest.*

8. Vulg. et vett. *Bibe, es, fuge! Hoc est eorum opus.*

9. Vulg. *Ut mavelis lupos apud oves linquere, quam hos domi custodes.*

At fáciem quom adspiciás eorum, haud máli videntur; ópera fallunt.
Núnc adeo hanc edíctionem nísi animum advortétis omnes,
Nísi somnum socórdiamque ex péctore oculisque ámovetis:
Íta ego vostra látera loris fáciam ut valide vária sint:
Út ne peristromáta quidem aeque pícta sint Campánica,
Neque Alexandrina béluata cónchyliata tapétia.
Atque héri ante dixeram ómnibus dederámque eas províncias;
Verum íta vos perditi éstis, neglegéntes, ingenio ímprobo:
Officium vostrum ut vós malo cogátis commonérier.
Nempe íta animati estís vos: vincite hóc duritia ergo átque me.
Hoc víde, sis: alias rés agunt. Hoc ágite, hoc animum advórtite,
Huc ádhibete auris, quae égo loquar, plagígera genera hóminum!
Nunquam édepol vostrum dúrius tergum érit, quam terginum hóc meum.
Quin núnc? doletne? Hem, síc datur, si quís herum servos spérnit!
Adsístite omnes cóntra me et, quae lóquor, advortite ánimum.
Tu, qui úrnam habes, aquam íngere: face plénum aënum sít cito.
Te, cúm securi, caúdicali praéficio provínciae.
Lo. At haéc retunsa est. *Ba.* Síne siet. Itidém vos estis plágis omnes:
Num quí minus ea grátia tamen ómnium opera útor?
Tibi hóc praecipio, ut níteat aedis: hábes, quod facias: própera, abi intro. —
Tu ésto lectistérniator. — Tu árgentum eluito; ídem exstruito.
Haéc, quom ego a foró revortor, fácite ut offendám parata:
Vórsa, sparsa, térsa, strata; laútaque omnia út sient.
Nám mi hodie natális dies est: décet eum omnes vos cóncelebrare.
Pérnam, callum, glándium, sumen, fácito in aqua iaceánt. Satin' audis?
Mágnifice volo enim summos viros áccipere: ut mihi rem ésse reantur.

11. Vulg. *advortitis*. At Ven. et V. C. *advortetis*.

14. *Campanica*, siquidem ibi luxuria summa vigebat, et imprimis Capuae.

15. *beluata*, in quibus beluae h. e. animalia varia erant picta. — *conchyliata* (cdd. *consiliata*) sunt purpurea.

17. Edd. *estis perditi*.

18. *malo*, poena.

19. Sic Vulg. — Vett. et Ven. *Nempe ita animati estis, vincere hoc duritia tergi, atque me.* — *Hoc*, est baculus, quem manu gerit. *ergo*, re vera.

20. *Hoc vide, sis.* Supplendum antea: Quodsi cuidam ex vobis edico: *hoc v. sis*, h. e. hoc cura. — V. et Vett. ante *alias* habent *ut*.

23. Vulg. et Pall. *Qui nunc?* Vett. *Quin nunc doletne?* Ven. *Cui nunc dolet.* — *Sic datur* formula est ingrepantis cum plagis aut post plagas poenasque ingestas. Cf. Men. 4, 2, 70. Asin. 2, 4, 38.

26. *caudicali pr.*, i. e. lignis caedendis.

27. Vulg. post *vos* addit *quoque*, quod abest a Vett. Quod si retinueris, leg. *item*.

32. Vulg. *Versa, praesterga, strata, lautaque, coctaque o. uti sint.* Et sic Vett. et Ven., quae tamen *uti sient*. V. C. *vorsa spra terga strata.* Decurt. *vorsus praester gastrata.* Pro corrupto *praesterga* Acidalius ex Diomede I, 4. legi iubet *sparsa*, *tersa*, h. e. aqua inspersa atque tersa. Atque sic Bothius. Deinde ex versu exsulare debet *coctaque*, quia hoc non erat servorum, sed coqui, ex fere primum arcessendi. *Vorsa*

Íntro abite atque haéc celebrate: né mora quae sit, cócus quum veniat,
Míhi. Ego eo in macéllum: ut, piscium quídquid est, pretió praestinem.
I, púere, prae: ne quísquam pertundát crumenam, caútio est.
Vel ópperire: est, quód domi dicere péne fui oblítus.
Audítin'? Vobis, múlieres, hanc hábeo edictiónem:
Vós, quae in mundiciís, mollitiis, déliciisque aetátulam agitis
Víris cum summis, ínclutae amicae: núnc ego scibo atque hódie experiar,
Quaé capiti, quae véntri operam det, quaé suae rei, quae sómno studeat;
Quám libertam fóre mihi credam, ét quam venalem, hódie experiar.
Fácite hodie, ut mihi múnera multa huc áb amatoribús conveniant:
Nám nisi penus annúus hodie convénit, cras populo próstituam vos.
Nátalem scitís mihi diem esse hunc: úbi isti sunt, quibus vós oculi estis,
Quíbus vitae, quibus déliciae, quibus sávia, mammillaé mellitaé?
Mániplatim mihi múnerigeruli fácite ante aedís iam hic adsint!
Cúr ego vestem, aurum, átque ea, quibus est vóbis usuí, praehibeo?
Quíd mihi [domi], nisi malúm, vostra opera est [hodie], ímprobae, vinó modo cupidae? [estis]
Éo vos vostros pánticesque adeó madefacitis, quom égo sim hic siccus.
Nunc ádeo hoc factu est óptumum, ut nomine quamque appellém suo:
Ne díctum esse actutúm sibi quaepiám vostrarum míhi neget.
Advórtite animum cúnctae!
Princípio, Hedylium, técum ago, quae amíca es frumentáriis,
Quibus cúnctis montes máxumi, fruménti acervi súnt domi:
Fac, sís, sit delatum húc mihi fruméntum, hunc annum quód satis
Mi et fámiliae omni sít meae,
Atque ádeo ut frumento ádfluam,
Ut cívitas nomén mihi commútet, meque ut praédicet
Lenóne ex Ballióne regem Iásonem.

non a *vertere*, sed a *verrere* h. l. deducendum, uti scribit idem Diomedes l. c.

35. *summos* contractim enunciandum existimo. — Pro *enim* Pall. *me*.

36. *celebrate*, i. e. celeriter efficite. Cf. Mil. 4, 4, 60. *Celebrè apud nos imperium tuum est.* Vulg. et Vett. et Ven. *cito celebrate.*

38. *pertundat*, i. e. perforet, sector zonarius. Cf. Trin. 4, 2, 20.

39. *vel* i. q. *imo.* — Vulg. et Pall. *paene fui oblitus.* Vett. *paene sum oblitus*, ut et Ven. — Fortasse: *fui paene oblitus dicere.*

48. Vulg. et Vett. post *deliciae* addunt *estis.* Dein vulg. *mammilla? mellitae?* ut et Vett. — Ven. *mammilla: mellita.* Nostr. Both.

49. Edd. et cdd. *mihi* post *Manipulatim* addunt, quod Both. ante *adsint* collocavit. Ego puto legendum *Maniplatim*, non autem elidendum *facite.*

50. Omnes: *usui*, et sic V. C. et Dec. — Both. *usus est.*

51. Inclusa in omnibus leguntur; sine dubio eiicienda. E quibus Bothius retinuit *domi*, eiecto *mihi.*

52. *siccus* oppositum *madido*, estque i. q. sobrius.

57. Vulg. *acervi frumenti.*

59. Vulg. *Mihi etiam fam.* Nostr. B.

Ca. Aúdin', furcifér quae loquitur? sátin' magnificus tíbi videtur?
Ps. Pói iste, atque etiám malificus. Séd tace, atque hanc rém gere.
Ba. Aéschrodora, tú, quae amicos tíbi habes, lenonum aémulos,
Lánios, qui item ut nos iúre iurandó malo rem quaérunt, audi!
Nísi carnariá tria gravida tégoribus onere úberi hodie
Míhi erunt, cras te, quási Dircam olim, ut mémorant, duo gnatí Iovis
Dévinxere ad taúrum, item hodie stríngam te ad carnárium. Id
Tíbi profecto taúrus fiet. *Ps.* Nímis sermone huius íra incendor!
Húnccine hic hominém pati [nos] cólere, iuventutem Atticam?
Úbi sunt, ubi latént, quibus aetas íntegra'st, qui amant á lenone?
Quín conveniunt? quín una omnes péste hac populum hunc líberant?
Séd nimis sum stultús, nimium fui indóctus. Nae illi aúdeant
Id fácere; quibus ut sérviant,
Súus amor cogít, simul
Prohibét faciant advórsum eos,
Quód volunt. *Ca.* Vah, táce. *Ps.* Quid est?
Ca. Mále morigerus mále facis mihi, quóm sermone huic óbsonas.
Ps. Táceo. *Ca.* At taceas málo multo, quám tacere dícas. *Ba.* Tu autem,
Xýstylis, fac ut ánimum advortas,
Quóius amatorés olivi δύναμιν domi habent máxumam:
Sí mihi non iam cúlleis huc óleum deportábitur,
Te ípsam culleo égo cras faciam ut déportere in pérgulam;
Íbi tibi adeo léctus dabitur, úbi tu haud somnum cápias;
Séd ubi usque ad languórem .... Tenes, quorsum haécce tendant, quaé loquor?

62. *Iasonem*, Pheraeum tyrannum existimant intelligendum, non Argonautam.

66. Vulg. Vett. *ut nos*, *iurando iure malo quaerunt rem.*

67. *carnaria*, *Fleischkörbe.* — Vulg. *tria grandia tergoribus.* Vett. *grandia tergoribus onerata uberi hodie;* item Ven. quae pro *uberi* habet *iuberi.* Nostr. Lambinus et Pall.

69. Iterandum erat illud *te* post *stringam*, quod exulat in libris. — Dirce fuit uxor Lyci, regis Thebanorum, quam ille duxerat, facto cum Antiope divortio. Ea quoniam senserat Antiopem gravidam esse, inclusit eam carcere, unde liberata postea est a filiis Zetho et Amphione, qui Iovis iussu Lycum e regno turbaverunt, Dircem autem tauro alligatam discerpserunt, donec in fontem est a diis mutata. Cf. Ovid. Met. et in Ibin 536. Prop. 3, 15, 11. Zethus autem et Amphion Iovis erant ex Antiope filii.

71. Vulg. *pati colere.* Pron. *nos* e coni. additum, ad quod appositionem faciunt vv. *iuventutem Atticam.* Colere est: vivere, res suas gerere, negotia sua agitare. Sensus: An probandum est, nos, hoc est iuventutem Atticam, pati, hunc hominem hic vivere?

72. *integra 'st* ab initio corripiendum, ut *inter*, *inde* et alia saepius. Non autem abiiciendum *est.*

80. Edd. *quam tacere te dicas.* quod si praetuleris, *tacere* omissa *e* finali proferendum. Bothius *te* emisit.

83. Veneta: *Si mihi non iam huc culleus olivi deportatur.* Vett. et vulg. *Si mihi non iam huc culleis oleum deportatur.* Atque praesens *adfertur* legitur vs. 96. Bothius: *Si mihi non iam culleis huc oleum deportatum erit*, ex mpto Ambrosiano.

84. In Vett. et Ven. abest *ut*, quam post *faciam* addit vulg. uti et Pall. — *Pergula* erat aedificium parvum seu tuguriolum aut stabulum, iuxta aedes aedificatum, ad exponendas merces; apud lenones, ad exponenda scorta transeuntibus. Cf. Poen. 1, 2, 56—59. Sed et hic tamen, et v. 97 videtur intelligendum conclave ad puniendas ancillas.

86. *ad languorem*, sc. vapules. In

En éxcetra tu, quae tíbi amicos tót habes tam probe óleo onustos,
Num quoípiam est hodié tua tuórum opera cónservorum
Nítidiusculúm caput, aut num ipse égo pulmento utór magis
Únctiusculó! Sed scio: tu óleum haud magni péndis;
Víno te sine módo devincis. Réprehendam ego cuncta hércle una opera:
Nísi quidem hodié tute omnia fácis, scelesta, haec, úti loquor:
Tu aútem, quae pro cápite argentum míhi iam iamque saépe numeras,
Éa pacisci módo scis, sed, quae pácta es, non scis sólvere:
Tíbi, Phoenicium, haéc ego loquor, delíciae summátum virum:
Nísi hodie mi ex fúndis tuorum amícorum omne huc pénus adfertur:
Crás Phoenicióm phoenicio cório invises pérgulam.

ACTUS I. SCENA III.

CALIDORUS. PSEUDOLUS. BALLIO.

Ca. Pseúdole, non audís, quae hic loquitur? *Ps.* Aúdio, here, equidem, atque ánimum advorto.
Ca. Quíd mi es auctor húic ut mittam, né amicam hic méam prostituat?
Béne curassis. *Ps.* Líquido es animo: égo pro me et pro té curabo.
Iám diu ego huic bene et híc mihi volumus, ét amicitia ést antiqua.
Míttam hodie huic suo díe natali málam rem magnam ét maturam.
Ca. Quíd opus est? *Ps.* Potin', áliam rem ut curés? *Ca.* At ...
Ps. Bat. *Ca.* Cruciór! *Ps.* Cor dura.
Ca. Nón possum. *Ps.* Fac póssis. *Ca.* Quonam pácto possim víncere animum?
Ps. Ín rem quod sit, praévortaris, quám re advorsa ánimo auscultes.

seqq. Pall. *quo se haecce tendant.* Vulg. *quorsum haec tendant, quae loquor?* omisso *se.* Item Ven.

89. Sic vulg. — Vett. et Ven. *Nitidissimum.*

91. Edd. *Vino te devincis, sine modo.*

92. Edd. *tu.*

95. Edd. *Phoenicium tibi haec ego loquor.* Both. *Tibi, Phoenicium, ego haec loquor.*

98. *pergulam.* Cf. not. ad v. 84.

Act. I. Sc. III. Promittit Pseudolus Calidoro auxilium suum. — v. 13. Abire iam cum puero parantem lenonem revocat; frustra. — 43. Promisso demum lucro ille restat. Atque Pseudolus excusat herum, quod non dederit promissam argenti summam pro Phoenicio; Calidorusque asserit, se nihil mutui potuisse invenire, quia iam omnis fides ex mundo perierit. — 85. Leno vixisse ait amatorem, nisi perpetuet data. — 100. Petit Calidorus ab eo, ut hos sex opperiatur dies. Leno asserit etiam, sibi iam non venalem esse Phoenicium, — 120. quia iam vendiderit eam militi, quindecimque minas ab eo acceperit, ea conditione, ut, qui reliquas quinque afferret, ei puellam exhiberet. — 135. Ergo uterque eum maledictis onerant. — 150. Abit leno. Pseudolus autem Calidorum iubet adducere hominem aliquem astutum, que possit uti ad defraudandum lenonem.

5. Non elidendum in v. *magnam.* Ceterum Pareus scribit, Decurtatum habere *natalitio* et V. C. *natalie.* Quod si praeplacuerit, *malam* erit contractim correptimque legendum. Tum enim scandendum: *dié natálilió malam rém m. é. m.*

6. *bat!* interiectio interpellationem inhibentis.

8. Sensus: cogita potius, quid in

Ca. Núgae istaec sunt: nón iucundum est, nísi amans facit stúlte.
Ps. Pergin'?
Ca. Ó Pseudóle mi, síne sim nihili! mítte me, sis! *Ps.* Sine módo, ego abeam.
Ca. Máne, mane: iam, ut vóles me esse, ita ero.
Ps. Núnc tu sapis. *Ba.* It diés! ego cesso.
I praé, puere. *Ca.* Heus, abit! Quín revocas?
Ps. Quid próperas? Placide! *Ca.* At priúsquam abeat.
Ba. Quod hóc malum? tam placide ís, puere!
Ps. Hódie nate, heus, hódie nate!
Tíbi ego dico! heus, hódie nate!
Redi ét respice ád nos!
Tamétsi occupátus, morámur. Mané: sunt,
Cólloqui quí volunt té. *Ba.* Quid hoc ést? quis est,
Quí moram óccupató molestam óbtulit?
Ca. Quí tibi sóspitalis fuit. *Ba.* Mórtuost,
Quí fuit;
Qui ést, vivos ést.
Ps. Nímis supérbe! *Ba.* Nímis moléstus!
Ca. Réprehende hominem! adséquere! *Ba.* I, puere!
Ps. Accédamus hác obviám. *Ba.* Iupitér te
Perdát, quisquis és! *Ps.* Te volo. *Ba.* Át vos ego ámbos.
Verte hác te, puér! *Ps.* Non licét conloquí te?
Ba. At míhi non lubét. *Ca.* Sin tuam ést quidpiam ín rem?
Ba. Licétne, obsecró, bitere, án non licét? *Ps.* Vah!
Mánta! *Ba.* Omítte!
Ca. Bállio, audi! *Ba.* Súrdus sum.
Proféсto inánilogús.
Ca. Dedí, dum fuít. *Ba.* Non petó, quod dedísti.
Ca. Dabó, quando erít. *Ba.* Ducitó, quando habébis.
Ca. Heú heu, quam egó malis pérdidi módis,
Quód tibi détuli et quód dedi! *Ba.* Mórtua
Vérba re núnc facis. Stúltus es: rem áctam agis.
Ps. Nósce saltem húnc, quis est.
Ba. Iám diu scio, quí fuit;
Qui núnc est is, ípsus sciát. Ambulá tu.

rem esse possit, quam ut in re adversa aegritudini animi tuae indulgeas.

10. Veneta et Vett. *C. O Pseud. mi, sine sim nihili. P. Mitte me sis. C. Sino. P. Modo ego aberam.* — Vulg. ut nos, nisi quod post *Sine* comma positum habet.

12. Edd. *ego mihi cesso.*

13. Edd. *abiit.*

16. *Hodie nate*, h. e. tu, qui hodie diem tuum natalem celebras. Sic Tibull. I, 7, 53. *Sic venias, hodierne*, coll. vs. 63.

28. *Te volo* ambigue, ut et suppleatur: *paucis*, ut *colloquar tecum;* et: *Iovem perdere.* — *At vos ego ambos* sc. volo Iovem perdere.

31. *bitere.* Sic emendavit Lipsius Epist. Quaest. 1, 14. Vulg. et edd. *vivere*, uti cdd. Nam pro *b* saepe dabatur *v.* ergo ex *vitere* facile ortum *vivere*, emendatione proclivi.

34. Edd. *inanilogus es.*

36. *ducito* sc. Phoenicium.

39. Veneta cum Pall. *Mortua verba nunc facis.* Vett. *Mortuo verba fabulare nunc.* Vulg. *mortua re, verba nunc facis.*

40. *quis* Ven. et Vett. — Vulg. *qui est.*

42. Edd. *Nunc qui est is ipsus sciat.*

Ps. Pótin', ut seméi modo,
Bállio, huc cúm lucro
réspiciás?
Ba. Réspiciam istoc prétio. Nam si sácruficem summó Iovi,
Átque in manibus éxta teneam, ut pórriciam: intereá loci
Sí lucri quid détur, potius rém divinam déseram.
Ps. Nón potest pietáte obsisti huíc, ut res sunt céterae:
Déos quidem, quos máxume aequom est métuere, eos minimí facit.
Ba. Cómpellabo. — Sálve multum, sérve Athenis péssume.
Ps. Dí te deaeque amént vel huius árbitratu, vél meo;
Vél, si dignus álio pacto, néque ament nec faciánt bene.
Ba. Quíd agitur, Calidóre? *Ca.* Amatur átque egetur ácriter.
Ba. Mísereat, si fámiliam alere póssim misericórdia.
Ps. Eía, scimus nós quidem te, quális sis: ne praédices.
Séd scin', quid nos vólumus? *Ba.* Pol ego própemodo: ut male sít mihi.
Ps. Ét id, et hoc, quod té revocamus, quaéso, animum advorte. *Ba.* Aúdio;
Átque in pauca, ut óccupatus núnc sum, confer, quíd velis.
Ps, Húnc pudet, quod tíbi promisit, quáque id promisít die,
Quía tibi minás viginti pró amica etiam nón dedit.
Ba. Nímio id, quod pudét, facilius fértur, quam illud, quód piget.
Nón dedisse, istúm pudet; me, quía non accepí, piget.
Ps. Át dabit, parábit. Aliquot hós dies mantá modo:
Nam híc id metuit, ne íllam vendas ób simultatém suam.
Ba. Fúit occasió, si vellet, iámpridem argentum út daret.
Ca. Quíd, si non habuí? *Ba.* Iam haberes: ínvenires mútuom;
Ád danistam dévenires, ádderes foenúsculum;
Súrriperes patrí. *Ps.* Surriperet híc patri, audacíssume?
Nón periclum est, né quid recte mónstres. *Ba.* Non lenónium est.
Ca. Égon' patri surrípere possim quídquam, tam cautó seni?
Átque adeo, si fácere possem, píetas prohibet. *Ba.* Aúdio.

44. Et vett. et Ven. *hunc cum lucro*. Nostr. vulg.

45. Similes versus vide Trin. 2, 1, 44. sqq.

47. Porriciendi verbum solemne erat in sacrificiis. Est autem i. q. proiicere, descenditque vel a *pro*, vel, ut Festus ait, a *porro* et *iacio*.

49. Edd. hunc versum Pseudolo tribuunt. Both. Lenoni. — Vulg. Pall. et Ven. *pietati*. Vett. *pietate*. Sensus: Huic sc. lenoni non potest obsisti pietate, seu religione. *ut res sunt ceterae*, ut res esse video. V. *ceterae* per pleonasmum adiectum.

52. *vel huius*, *vel meo* i. e. q. et huius et meo.

57. Vett. *propemodum*. Ven. *probe modo*. Mpti *propemodo*, nisi quod V. C. *propemodu*.

60. Constructio: Hunc pudet, quia tibi nondum etiam dedit, quod tibi promisit, nec ea die qua promisit se daturum, videlicet viginti minas pre amica. — *etiam* est i. q. adhuc.

64. Veneta et Vett. *At dabit parabit aliquid hos dies: manta modo*. Nostr. vulg. et Both. et Pareus.

67. *Iam haberes*. Sic Ven. et Vett. Decurtatusque: *Iam habes si invenires tuum*. V. C. *iamabas invenias tuum*. — Vulg. *Amabas?* quod et Both. Sensus: istoc brevi posses habere. *Iam* enim est *brevi*, *mox*.

69. *Surriperes*. Sic Vett. et B. — Vulg. *Surripuísses*, ut mpti. Verum imperf. esse oportere liquet.

Pietatem ergo istam ámplexator nóctu, pro Phoenício.
Séd, quoniam pietátem amori vídeo tuo praevórtere:
Ómnes homines tíbi patres sunt? núllus est tibi, quém roges
Mútuom argentúm? *Ca.* Quin nomen quóque iam interiit Mútuom.
Ps. Heús tu, postquam hercle ísti a mensa súrgunt ***
Qui suum repetúnt, alienum réddunt nato némini:
Póstilla omnes caútiores súnt, ne credánt álteri.
Ca. Nímis miser sum: númum nusquam réperire argentí queo:
Íta miser et amóre pereo, et ínopia argentária.
Ba. Éme die coeca hércle olivum; id véndito oculatá die:
Iam hércle vel ducéntae fieri póssunt praesentés minae.
Ca. Périi, an non tum léx me perdit quína vicennária?
Métuunt credere ómnes. *Ba.* Eadem est míhi lex: metuo crédere.
Ps. Crédere autem? Eho, an poénitet te, quánto hic fuerit úsui?
Ba. Nón est iustus quísquam amator, nísi, qui perpetuát data,
Dátque usque; quándo nihil sit, símul amare désinat.
Ca. Nílne te miserét? *Ba.* Inanis cédis: dicta nón sonant.
Átque ego te vivóm salvomque véllem. *Ps.* Eho, an iam mórtuust?
Ba. Útut est, mihi quidém profecto cum ístis dictis mórtuust.
Íllico vixít amator, úbi lenoni nón placet.
Sémper tu ad me cum árgentata accédito querimónia:
Nam ístoc, quod nunc lámentare, nón esse argentúm tibi,
Ápud novercam quérere. *Ps.* Eho, an unquam tu húius nupsistí patri?
Ba. Dí melius faciánt! *Ps.* Fac hoc, quod té rogamus, Bállio,
Méa fide, si istí formidas crédere: ego in hoc tríduo
Aút terra aut marí alicunde evólvam id argentúm tibi.
Ba. Tíbi ego credam? *Ps.* Cúr non? *Ba.* Quia pol, quá opera credám tibi,

72. *possem* Vett. et Ven. et Vulg. — Both. *possim*.

75. *homines* abest in libris, abreptum a praecedente *omnes*. Restituit Bothius.

77. Post *surgunt* lacunam statuit Lambinus; editiones addunt *saturi poti*, alii: *saturi distenta cute*. Verum enimvero locus non agit de convivatoribus, sed de trapezitis, qui ad mensas suas in foro sedent, rebusque male gestis foro cedunt surgentes a mensis suis, et qui alibi etiam incusantur suum repetere, aliena autem non reddere. Cf. Pers. III, 3, 30 et 38. Igitur eiicienda illa: *saturi*, *poti*, et lacuna cum Lambino statuenda.

79. *Postilla omnes*. Sic Both. ex cod. Ambrosiano. Edd. omnes: *Ab alienis cautiores*.

82. *olivum* i. q. oleum. *Diem coecam* putant esse intelligendam de solutione in diem prolata, *oculatam* de praesenti pecunia. Suadet ergo ut mutuum sumat oleum, vendat autem praesenti pecunia. Olei autem mercatura ingens erat apud Atticos.

84. Lex erat Laetoria, quae vetabat cuiquam filio, qui viginti quinque annis minor esset, aliquid credi, aut cum eo stipulationem fieri, vivo patre.

91. *Utut est*. Hic versus non legitur in Decurt. Vett. et Ven. — Habent vulg. et V. C.

92. Omnes: *ubi lenoni placet*. Acid. *ne placet*, quod Both. At patet, per sensum scribi oportere *non placet*. Nam cum amator nihil habet quod det lenoni, non placet lenoni; ubi non placet, vixit, h. e. mortuus est. De re cf. Trucul. I, 2, 68 sqq.

95. *Apud novercam querere*, i. e. quereris, h. e. pariter a me audiere, atque a noverca.

97. Deest *in* in vett., legitur in Pall.

Úna opera adligém fugitivam cánem agninis láctibus.
CA. Siccine mi abs te béne merenti mále refertur grátia?
BA. Quíd nunc vis? *CA.* Ut ópperiare hos séx dies saltém modo,
Né illam vendas neú me perdas hóminem amantem. *BA.* Animó bono es:
Vél sex mensis ópperibor. *CA.* Eúge, homo lepidíssume!
BA. Ímo vin' etiám te faciam ex laéto laetantém magis?
CA. Quíd iam? *BA.* Quia enim nón venalem iám habeo Phoenícium.
CA. Nón habes? *BA.* Non hércle vero. *CA.* Pseúdole, accerse hóstias,
Víctimas, lanións: ut ego huic sácruficem summó Iovi:
Nam híc mihi nunc est múlto potior Iúpiter, quam Iúpiter.
BA. Nólo victimás; agninis me éxtis placarí volo.
CA. Própera, quid stas? áccerse agnos! Aúdin', quid ait Iúpiter?
PS. Iam híc ero; verum éxtra portam Métiam currendúm est prius.
CA. Quíd eo? *PS.* Lanios índe accersam dúos cum tintinnábulis;
Eádem duo gregés virgarum inde úlmearum adégero:
Út hodie ad litátionem huic súppetat satiás Iovi.
În malam crucem ístic ibit Iúpiter lenónius.
[*BA.* Éx tua re non ést, ut ego emoriár. *PS.* Quidum? *BA.* Ego dicám tibi:
Quía edepol dum ego vívos vivam, númquam eris frugí bonae.]
BA. Éx tua re non ést, ut ego emóriar. *PS.* Quidum? *BA.* Síc: quia,
Sí ego emortuós sim, Athenis té sit nemo néquior.
CA. Díc mihi, obsecro hércle, verum sério hoc, quod té rogo:
Nón habes venálem amicam tú meam Phoenícium?

99. Vett. *qua opera sic credam tibi.* Et Pall. *operas*, omisso *sic;* ut videatur excidisse.

100. Vett. et Both. *canem fugitivam.* Nostr. vulg. nec elidendum *canem*. lactes sunt intestina. Qui autem alligat canem lactibus agninis aut prope lactes agninas collocat, stulte agit; nam brevi fiet, ut lactes a cane devorentur. Cf. v. 110 et de phrasi *una opera* consulito Ind. Alligare autem aliqua re est i. q. aliquam rem ad aliquid ligamentis adiungere. Sic *caput alligare lana* est: lanam obvolvere capiti. Sic et hic lactes cogitandae sunt ad canem alligatae sive obvolutae circa canis corpus.

103. Vett. et Ven. *neu perdas me.* Vulg. *neu me perdas.*

104. Eaedem: *Vel sex opperibor menses.*

106. *iam* legitur in vett.; deest in vulg. et Ven.

110. Omnes: *agninis me extis pl. v.* pro quibus Both. ex Scal. Lips. Dousa: *at minumis me extis pl. v.* Cod. *ac ninis me extis*, al. *ac nimis me extis.* Non placet emendatio. Vult exta agnina, vel ut comedat, vel sub agninis extis pecuniam intelligens. Ceterum *agninis* legendum esse probat vs. sq.

112. *Iam hic ero*, i. e. brevi redibo. — Ante portam Metiam lanii erant.

113. *cum tintinnabulis.* Cf. Truc. 4, 3, 8. *Nisi si ad tintinnaculos vos vultis educi viros*, int. lorarios. Atque sic fortasse et hic legendum.

114. *eâdem* sc. operâ, i. e. simul.

118. *numquam eris frugi bonae*, suppl. post mortem meam fortasse esse poteris. Id autem non vis esse. Ergo utile tibi erit, me vivere. — Sed locum corruptum esse nullus dubito. Ac fortasse omnes isti versus quatuor a v. 117—120. suppositi. Certe priores duo includendos arbitror, et retinendos 119 et 120, personarum autem nomina distribuenda, uti fecimus. Nam in edd. sic; *Ps. Ex tua — emoriar. BA. Quidum? Ps. Sic — nequior.*

121. Et vett. et Ven. *Dic mihi obsecro verum hercle serio.* Utraeque post *rogo* addunt *est.*

Ba. Nón edepol habeó profecto: nám iampridem véndidi.
Ca. Quómodo? *Ba.* Sine órnamentis, cum intestinis ómnibus.
Ca. Méam tu amicam véndidisti? *Ba.* Válde; viginti minis.
Ca. Víginti minís? *Ba.* Utrum vis; vél quater quinís minis,
Míliti Macedónio. Et iam quíndecim hic habeó minas.
Ca. Quíd ego ex te audió? *Ba.* Amicam túam esse factam argénteam.
Ca. Cúr id ausus fácere? *Ba.* Lubuit: méa fuit. *Ca.* Eho, Pseúdole,
Í, gladium adfer .... *Ps.* Quíd opus gladio? *Ca.* Quí hunc occidam, átque me.
Ps. Quín tu ted occídis potius? nam húnc fames iam occíderit.
Ca. Quíd ais, quantum in térra degit, hóminum periuríssume?
Iúravistin', te íllam nulli vénditurum, nísi mihi?
Ba. Fáteor. *Ca.* Nempe concéptis verbis. *Ba.* Étiam consultís quoque.
Ca. Périuravistí, sceleste! *Ba.* At árgentum intro cóndidi.
Égo scelestus núnc argentum prómere possúm domo;
Tú, qui pius es, ístoc genere gnátus, nummum nón habes.
Ca. Pseúdole, adsiste áltrinsecus atque ónera hunc maledictís. *Ps.* Licet.
Núnquam ad praetorem aéque cursim cúrram, ut emittár manu.
Ca. Íngere mala múlta. *Ps.* Iam ego te dífferam dictís meis.
Ímpudice! *Ba.* Ita ést. *Ps.* Sceleste! *Ba.* Dícis vera. *Ps.* Vérbero!
Ba. Quíppini? *Ca.* Bustírape! *Ba.* Certe. *Ca.* Fúrcifer! *Ba.* Factum óptume!
Ca. Sóciofraude! *Ba.* Súnt mea haec ista. *Ps.* Párricida! *Ba.* Pérge tu.
Ps. Sácrilege! *Ba.* Fateór. *Ca.* Periure! *Ba.* Vétera vaticinámini.
Ca. Légirupa! *Ba.* Validé. *Ps.* Pernicies ádulescentum! *Ba.* Acérrume.
Ca. Fúr! *Ba.* Babae! *Ps.* Fugitíve! *Ba.* Bombax! *Ca.* Fráus popli! *Ba.* Planíssume.
Ps. Fraúdulente! *Ca.* Impúre leno! *Ps.* Coénum! *Ba.* Cantorés probos!
Ca. Vérberavistí patrem atque mátrem. *Ba.* Atque occidí quoque
Pótius, quam cibúm praehiberem. Núm peccavi quídpiam?
Ps. Ín pertusum ingérimus dicta dólium; operam lúdimus.
Ba. Númquid aliud étiam voltis dícere? *Ca.* Ecquid té pudet?
Ba. Téd amatorem ínventum esse inánem, quasi cassám nucem.
Séd quamquam multá malaque in me dícta dixistís modo:
Nísi mihi [hodie] attúlerit miles quínque, quas debét, minas,

127. Lege: *Măcĕdōnio.* — *hic* addunt vett. Deest in vulg. et Ven. Est autem: intus apud me.

132. Omnes: *quantum terra tegit.* Nostrum ex Lipsii emendatione Both.

134. *nempe* monosyllabum.

134. *consultis*, bene ponderatis.

136. *promere.* Exemplum productae e finalis in infinitivo. Nam sic omnes habent. Bothius tamen: *potis sum*, nulla auctoritate.

151. Sic vett. et Ven. — Vulg. *alium etiam*, unde Bothius: *alium me etiam.* Verum eundem sensum et nostra praebet, si suppleas *me*.

152. *inventum esse.* Supple: me pudet.

154. Addidimus *hodie* et versus et sententiae causa.

Sícut haec est praéstituta súmma argentó dies;
Si ís non aderit, pósse opinor fácere officiúm me meum.
Ca. Quíd id est? *Ba.* Si tu argéntum attuleris, cum íllo perdiderím fidem.
Hóc meum est offícium. Ego, operae sí sit, plus tecúm loquar;
Séd sine argento frústra est, quod me tuí misereri póstulas.
Haéc mea est senténtia, ut tu hinc pórro, quid agas, cónsulas.
Ca. Iámne abis? *Ba.* Negóti nunc sum plénus. *Ps.* Paulo póst magis.
Íllic homo meus ést! Nisi omnes dí me atque homines déserunt,
Éxossabo ego íllum similiter ítidem, ut muraenám cocus.
Séd nunc, Calidore, óperam te mihi vólo dare. *Ca.* Ecquid ímperas?
Ps. Hóc ego oppidum ádmoenire, ut hódie capiatúr, volo.
Ád eam rem usust hóminem astutum, dóctum, scitum et cállidum,
Quí ímperata effécta reddat; nón, qui vigilans dórmiat.
Ca. Cédo mihi, quid és facturus? *Ps.* Témpori ego faxó scies:
Nólo bis iteráre: sat sic lóngae fiunt fábulae.
Ca. Óptumum atque aequíssumum oras. *Ps.* Própera! adduc hominém cito!
Paúci ex multis súnt amici hómini, qui certí sient.
Ca. Égo scio istuc. *Ps.* Érgo utrimque tíbi nunc delectúm para:
Éx illis exquíre multis únum, qui certús siet.
Ca. Iam híc faxo aderit. *Ps.* Pótin', ut abeas? Tíbi moram dictís creas.

ACTUS I. SCENA IV.

PSEUDOLUS.

Postquam íllic hinc abiit, tú astas solus, Pseúdole.
Quid núnc acturus, póstquam herili filio
Largítus dictis dápsilis? ubi súnt ea?
Quoi néque parata gútta certi cónsili,
Neque ádeo argenti; néque nunc, quid faciám, scio.

156. *officium meum*, sc. ut perdam fidem. V. 157. Pronomen *me*, quod add. vulg. post *officium*, deest in Pall.

158. *operae si sit*, si habeam otium.

161. *magis*, sc. eris negotii plenus, quia tibi ego negotium exhibebo.

173. Omnes: *Ex multis exquire illis*, Transposuit B.

Act. I. Sc. IV. Incertus consilii, quid faciat, secum ipso loquitur Pseudolus, quum accedentes conspicit herum suum Simonem et eius vicinum Calliphonem. Recedit igitur paullum.

2. *acturus* sc. es, uti saepe verb. subst. omisso, et uti vs. sq. *largitus*. Cf. indicem v. *es*.

3. *largitus dictis dapsilis*. Sic omnes. Pro quo Lamb. censet legendum: *l. dicta dapsilia es*. Verum *largior* et alibi construitur cum ablativo, ut Pers. 2, 3, 16. *Nunc amico homini bobus domitis mea ex crumena largiar*. Igitur *dapsilis* erit pro *dapsilibus*, ut saepe tertiae declinationis adiectiva etiam ex secunda declinantur. Atque sic ego interpretor. Nam alii *dapsilis* pro nominativo habuere, ut similis sit sensus atque Epid. I, 2, 14. *Beneficum esse oratione*. Sed primum *dapsilis* non de personis, sed de rebus dicitur. Deinde *largitus* requirit obiectum. Denique seq. *ea* ad ipsa *dicta*, quibus largitus, referendum.

Neque, éxordiri prímum unde occipiás, habes,
Neque ad détexundam télam certos términos:
Sed quási poëta, tábulas quom cepít sibi,
Quaerít, quod nusquam est géntium, reperít tamen;
Facit íllud verisímile, quod mendácium est:
Nunc égo poëta fíam: vigintí minae
Quae músquam nunc sunt géntium, inveniám tamen!
Atque ego huíc iampridem mé daturum díxeram,
Ac vólui iniicere trágulam in nostrúm senem;
Verum ís nescio quo pácto praesensít prius.
Sed cómprimenda est míhi vox atque orátio:
Herum éccum video húc Simonem uná simul
Cum suó vicino Cálliphone incédere.
Ex hóc sepulcro vétere vigintí minas
Effódiam ego hodie, quás dem herili filio.
Nunc húc concedam, ut hórum sermoném legam.

ACTUS I. SCENA V.

SIMO. CALLIPHO. PSEUDOLUS.

Si. Si dé damnosis aút de amatóribus
Dictátor fiat núnc Athenis Átticis:

13. *huic*, herili filio. *daturum* sc. viginti minas alicunde paraturum.

14. *volui* sc. tum.

17. Sic Veneta. Vulg. et Ven. *huc una Simonem simul.*

Act. I. Sc. V. Colloquitur Simo cum Calliphone de filio suo, ostenditque se scire, illum argentum quaerere, ut liberet amicam. Loquitur Callipho pro re Calidori, Simonemque meminisse vult suarum rerum, quas gesserit in adolescentia. — 29. Deinde, conspecto Pseudolo, Simo de hoc male ad Calliphonem loquitur. Is tamen eum placide hunc percontari illum iubet. Id ergo facit. Quaerit ex eo de tibicina. Confitetur Pseudolus. Deinde de viginti minis, an vere sibi eas velit auferre. Item confitetur. Porro quaerit, quare sibi non indicaverit Pseudolus. Quia poenae imminerent a Calidoro. Quaerit Simo, quid nunc sit acturus. Resp. argentum ab ipso ablaturum. Ille negat posse. Confirmat Pseudolus. Fit pactum, ut, si abstulerit, impune ei sit. — 109. Deinde promittit, se ante quam id fiat, tibicinam ab lenone abducturum. Promittit Simo, se, si id effecerit, argentum pro ea esse numeraturum. Callipho operam suam promittit Pseudolo. Introeunt senes. Pseudolus adlocutus spectatores, abit.

1. Sic Pall. vulg. et Ven.; quam lectionem restituendam duxi, ideo quia haud pauci loci extant, in quibus v. *amare* cum derivatis producitur, uti Mil. 4, 6, 32. *Tibi ét Phaoni Lésbio, tam mísere ut amaréntur.* Epid. 2, 2, 32. *Óbviam ornatae óccurrebant súis quaeque amatóribus.* Merc. 1, 1, 4. *Vidi facere amatóres, qui aut nocti aút die.* Cas. 3, 3, 2. *Hominem ámatorem ullum ád forum procédere.* Pers. 1, 1, 1. *Qui amáns egens ingréssus est princéps in amoris vias*, quae est lectio codicum. Inter vv. autem *de amatoribus* statuendus est hiatus. *damnosi* sunt prodigi et per se intelliguntur, nullo etiam addito substantivo. Nam vett. sic habent: *Si de damnosis natis et amatoribus.* Iunt. Ald. *Si de damnosis natis aut de amatoribus.* Quare ego olim dederam: *Si de damnosis natis aut amatoribus*, ut *amatoribus* primis contractis enunciaretur, uti *ama* monosyllabum Curc. 1, 1, 38. Aul. 4, 2, 17. Truc. 2, 7, 6. et 3, 1, 13. Cf. ind. v. *amat.* Bothius sic: *Si de damnosis aut si de amatoribus*, dubio procul ut *de* corripiatur ante vocalem. Ceterum in Plauto de filio *gnatus* usurpatum, non *natus*, (v. vs. 23.) etsi *nata* dicatur pro filia. Unde apparere videtur, illud *natis* serius esse additum metri ergo. Quare hic codices sum secutus.

Nemo ántecedat filio, credó, meo:
Ita núnc per urbem sólus sermo est ómnibus,
Eum vélle amicam líberare et quaérere
Argéntum ad eam rem. Hoc álii mihi renúntiant,
Atque íd iampridem sénsi, et subolét mihi.
Ps. Occísa est haec res; haéret hoc negótium!
Quo in cómmeatum vólui argentárium
Proficísci, ibi nunc óppido obseptá est via.
Praesénsit: nihil est praédae praedatóribus.
Ca. Hominés, qui gestant quíque auscultant crímina,
Si meo árbitratu líceat, omnes péndeant,
Gestóres linguis, aúditores aúribus.
Nam istaéc, quae tibi renúntiantur, filium
Te vélle amantem argénto circumdúcere,
Forsítan ea tibi dícta sunt mendácia;
Sed sí vera ea sunt, út nunc mos est, máxume,
Quid mírum fecit, quíd novum, adulescéns homo
Si amát, si amicam líberat? *Ps*. Lepidúm senem!
Si. Vetus nólo faciat. *Ca*. Át enim nequidquám nevis;
Vel tú ne faceres tále in adulescéntia.
Probúm patrem esse opórtet, qui gnatúm suum
Essé probiorem, quam ípsus fuerit, póstulet.
Nam tú quod damni et quód fecisti flágitii,
Populó viritim pótuit dispartírier.
Idne tú miraris, sí patrissat filius?
Ps. Ὦ Ζεῦ, quam pauci éstis homines cómmodi!
Ehem, ílluc est patrem ésse, ut aequom est, filio!
Si. Quis hic lóquitur? Meus hic ést quidem servos Pseúdolus.
Hic míhi corrumpit filium, scelerúm caput;
Hic dúc, hic ille est paédagogus: húnc ego
Cupio éxcruciari. *Ca*. Iam ístaec insipiéntia est,
Sic íram in promtu gérere. Quanto sátius est,
Adíre blandis vérbis atque exquírere,
Sint illa necne sínt, quae tibi renúntiant?
Bonus ánimus in malá re dimidium ést mali.
Si. Tibi aúscultabo. *Ps*. Ítur ad te, Pseúdole:
Orátionem tíbi para advorsúm senem. —
Herúm saluto prímum, ut aequom est; póstea,
Si quíd superfit, vícinos impártio.
Si. Salvé. Quíd agitur? *Ps*. Státur hic ad húnc modum.
Si. Statúm vide hominis, Cállipho, quasi básilicum.

7. Vett. post *sensi* addunt *ego*. — Post hunc versum cod. Ambros. habet mancum: *Sed dissimulabam. Iam illi .... filius.*

14. *gestores*, delatores, linguis usi ad deferendum, auribus ad auscultandum crimina.

21. *vetus*. Nolim eum facere, quae ante tot iam annos facta sunt a me.

24. Versus male factus in principio.

25. *quod damni fecisti*, quod prodegisti.

41. *impartio*. Sic Ven. — Vulg. et vett. *impertio*.

43. Vulg. *quam basilicum*. Pall. *qui am basilicum*. Vett. Ven. *quasi basilicum*. Particula *quasi* saepe tamquam monosyllaba profertur.

Ca. Bene cónfidenterque ádstitisse intéllego.
Ps. Decet innocentem, quí sit, atque innóxius,
Servóm superbum esse, ápud herum potíssumum.
Ca. Sunt, quaé te volumus pércontari, quaé quasi
Per nébulam nosmet scímus atque audívimus.
Si. Confíciet iam te hic vérbis: ut tu cénseas
Non Pseúdolum, sed Sócratem, tecúm loqui.
Ps. Ita ést. Iampridem tú me spernis, séntio;
Parvam ésse apud te míhi fidem, ipse intéllego;
Cupis, me ésse nequam: támen ero frugí bonae.
Si. Fac, sís, vacivas, Pseúdole, aedis aúrium,
Mea út migrare dícta possint, quó volo.
Ps. Age, lóquere quidvis, támetsi tibi suscénseo.
Si. Mihin' dómino servos tú suscenses? *Ps.* Iám tibi
Mirum íd videtur? *Si.* Hércle qui, ut tu praédicas,
Cavéndum est mi abs te iráto, atque alio tú modo
Me vérberare, atque égo te soleo, cógitas.
Quid cénses? *Ca.* Edepol mérito esse iratum árbitror,
Quum ápud te parum stet [síbi] fides. *Si.* Iam síc sino:
Irátus sit; ego, né quid noceat, cávero.
Sed quíd ais? quid hoc, quod té rogo? *Ps.* Si quid vís, roga.
Quod scíbo, Delphis tíbi responsum dícito.
Si. Advórte ergo animum et fác sis promissí memor.
Quid aís? ecquam scis fílium tibícinam
Meum amáre .... *Ps.* *Ναὶ γάρ.* *Si.* Liberare quám velit?
Ps. *Καὶ τοῦτο ναὶ γάρ.* *Si.* Écquas vigintí minas
Per sýcophantiam átque per doctós dolos
Paritás ut auferás a me? *Ps.* Abs te ego aúferam?
Si. Ita: quás meo gnato dés, qui amicam líberet?
Fatére *δή.* *Ps.* *Καὶ τοῦτο ναί! καὶ τοῦτο ναί!*
Ca. Fatétur! *Si.* Dixin', Cálliphe, dudúm tibi?

45. Sic vett. et vulg. — Veneta: Decet *innocens qui sit atque innoxius.* Both. *innoxium.*

51. *Ita est*, sc. Socratem ut recte quis existimet, qui me audiat loqui. — *spernis*, hominem nequam existimas.

57. Both. *Nam tibi*, ut sit pro: *Mirumnam tibi.* Nulla auctoritate.

58. *Hercle qui*, *ut* etc. Videtur *qui* pro *quoniam* dictum. Cf. Pers. 4, 4, 15.

59. Pro *atque* Both. *haudque*, nulla auctoritate. *alio modo* est: vicissim, et probo potest aequi: *atque ego te soleo.*

61. *Quid censes?* Haec vv. in Vett. tribuuntur Pseudolo, in vulgata Calliphoni, in Ven. Simoni, ut dicta adversus Calliphonem. Cui adstipulor.

62. Male habet versus. Vett. vulg. Ven. *Quum apud te parum stet fides. Ps. Iam sic sino.* Bothius: *Quum apud te stet parum fides. P. Iam sic sino*, in qua lectione obstat quod *parum* corripitur. Ergo existimo excidisse *sibi*, quemadmodum v. 52 *mihi* legitur. Illud *sibi* elisum seq. *fides.*

64. Puto legendum: *Quid vis, roga*, omisso *Si.* Cf. Amph. I, 1, 238.

68. *ναὶ γάρ.* Vett. et Ven. *negar, mea est.* Vulg. *negare meum est.* Nostr. Both. egregie. Cf. Ba. 5, 2, 47.

69. Sic Both. — Vulg. *καὶ τοῦτο καὶ τοῦτο nego.* Veneta: *cauton kaito ito negari.* Vett. *** *Ps. Πρέπον καὶ τοῦτο negari.* ***

73. Vulg. *Ps. Fateri δεῖ καὶ τοῦτο ναὶ, καὶ τοῦτο ναί.* Vett. continuata Simoni: *Fatere κύσαιτο, ἵνα καὶ αὐτὸς φυσαίμην.* Veneta: *Fatere. Ps.* Dycai toina.... chaytorional.... *fatetur.* Bothius: Fatere! *Dic. Ps. Καὶ τοῦτο ναὶ, καὶ τοῦτο ναί.* Fortasse: *Fatere δή. Ps. Καὶ τ.* etc.

74. *dudum*, i. e. paullo ante, sc.

Ca. Meminí. *Si*. Cur haec, tu úbi rescivisti ilico,
Celáta me sunt? cúr non rescivi? *Ps*. Éloquar:
Quia nólebam ex me mórem progigní malum,
Herílem ut servos críminaret ápud herum.
Si. Iubéres hunc praecípitem in pistrinúm trahi?
Ca. Numquíd, Simo, peccátum est? *Si*. Imo máxume.
Ps. Desíste: recte ego méam rem sapio, Cállipho.
Peccáta mea sunt. Animum advorte núnc ïam,
Quaprópter ted expértem amoris [nati] hábuerim:
Pistrínum in mundo scibam, si id faxém, mihi.
Si. Non á me scibas pístrinum in mundó tibi,
Quom ea mússitabas? *Ps*. Scíbam. *Si*. Cur non díctumst mi?
Ps. Quia íllud malum aderat, ístuc aberat lóngius;
Illúd erat praesens, huíc erant diéculae.
Si. Quid núnc agetis? Nam hínc quidem a me nón potest
Argéntum auferri, quí praesertim sénserim.
Ne quísquam credat númum, iam edicam ómnibus.
Ps. Nunquam édepol quoiquam súpplicabo, dúm quidem
Tu víves: tu mihi hércle argentúm dabis:
Abs te équidem sumam. *Si*. Tu á me sumes? *Ps*. Strénue.
Si. Exclúdito mi hercle óculum, si dederó! *Ps*. Dabis.
Iam díco, ut a me cáveas. *Ca*. Certe edepól scio:
Si abstúleris, mirum et mágnum facinus féceris.
Ps. Faciám. *Si*. Si non abstúleris. *Ps*. Virgis caédito.
Sed quíd, si abstulero? *Si*. Dó Iovem testém tibi,
Te aetátem impune habitúrum. *Ps*. Facito, ut mémineris.
Si. Egon' út cavere néqueam, quoi praedícitur?
Ps. Praedíco, ut caveas. Díco, inquam, ut caveás. Cave.
Hem, istís mihi tu hodie mánibus argentúm dabis!
Ca. Edepól mortalem gráphicum, si servát fidem!
Ps. Servítum tibi me abdúcito, ni fécero.

ita esse; velle a me auferre viginti minas.

75. Sic vett. et Ven. et Pareus. — Vulg. *ubi tu*.

77. Omnes: *praegigni*, praeter V. C. qui habet *que gigni*. Nostr. Both.

78. Vulg. *Herum ut servos suum criminaret apud herum*. Eadem vett. quae tamen *criminarer*. Ven. *Herum ut servos criminaret apud herum*. Nostr. Bothius. *herilem* sc. filium.

80. Omnes: *Numquid peccatum Simo est?* Nostr. B.

81. *meam rem*. Sic vett. et Ven. et Pareus. — Vulg. *rem meam*. Sensus est: ego ipse pro me dicere possum. Ego commisi illa peccata, non tu.

83. Vulg. vett. Ven. *Quapropter te expertem amoris nati habuerim*. Bothius: *Quapropter nati amoris te expertem habuerim*. Non placet rhythmus. Fortasse: *Quapropter ted expertem amoris habuerim*.

84. *in mundo* sc. esse, h. e. paratum esse mihi.

86. *mussitabas*, reticebas.

87. *illud*, sc. a filio. *istuc*, sc. a te.

88. *dieculae*, h. e. hoc differri poterat, ita ut dieculae aliquot interessent. Pro *erant* vett. et Ven. *erat dieculae*. Illud vulg.

91. Haec ad spectatores dicit.

100. *aetatem*, i. e. vitam. Sensus: te per omnem vitam immunem poena esse futurum.

105. Quaeritur, ad quem dicat. Videtur sane ad Calliphonem, propter v. *abducito*. At si hoc, et sequens vs. erit Calliphoni tribuendus, quem omnes Simoni tribuunt. Atque Veneta *meust*, ut Both. qui sic habet personas: *Ca*. *Bene atque amice dicis*. *Si*. *Nam nunc iam meust*. Non probo. Ego in-

Ca. Bene átque amice dícis. Nam nunc iám meus.
Ps. Vin' étiam dicam, quód vos magis mirémini?
Ca. Studeo hércle audire: nám ted ausculó lubens.
Si. Agedúm: nam satis lubénter te ausculó loqui.
Ps. Priusquam ístam pugnam púgnabo, ego etiám prius
Dabo áliam pugnam cláram et commemorábilem.
Si. Quam púgnam? *Ps.* Hem, ab hoc lenóne, vicinó tuo,
Per sýcophantiam átque per doctós dolos
Tibícinam illam, túus quam gnatus déperit,
Eà circumducam lépide lenoném. *Si.* Quid est?
Ps. Efféctum hoc hodie réddam utrumque ad vésperum.
Si. Siquidem ístaec opera, ut praédicas, perféceris:
Virtúte regi Ágathocli antecésseris.
Sed sí non faxis: númquid causae est, íllico
Quin te ín pistrinum cóndam? *Ps.* Non unúm diem,
Verum hércle in omnis, quántum est. Sed si effécero:
Dabín' mi argentum, quód dem lenoni, íllico
Tuá voluntate? *Ca.* Iús bonum orat Pseúdolus:
Dabo, ínque. *Si.* At enim scin', quíd mihi in mentém venit?
Quid si híce inter se cónsenserunt, Cállipho,
Aut dé compacto fáciunt consutís dolis,
Qui argénto circumvórtant? *Ps.* Quis me audácior
Sit, si ístuc facinus aúdeam? Imo síc, Simo,
Si súmus compacti, síve consilium inívimus
De istác re, aut si de ea re únquam inter nos convénimus:
Quasi ín libro [cum] scribúntur calamo líterae,
Stilís me totum usque úlmeis conscríbito.
Si. Indíce ludos núnc ïam, quandó lubet.
Ps. Da in húnc diem operam, Cállipho, quaesó, mihi:
Ne quó te ad aliud óccupes negótium.
Ca. Quin, rús ut irem, iámd heri constítueram....

tegrum potius Calliphoni tribuo, ut posteriorum sensus sit: nam tum quasi iam meus es, quia numquam poteris perficere, quod dicis.

115. Sic vulg. At vett. *Eam circumducam lepidule. Si. Quid est?* Veneta: *Eam circumducam lepidule momen. Si. Mirum quidem est.* Nostr. et Both. et Lambin.

120. Vett. vulg. Ven. *non unum quidem diem modo, verum hercle in omnes*, etc. Nostr. Both.

125. Ven. et vett. *Quid si hisce.*

127. Omnes: *qui me arg. circ.* — *Qui* est aut i. q. ut, aut *quomodo.*

128. Vulg. et vett. et V. C. *audeam facere.* Ven. et Decurt. *audeam dicere.* Quo ex ipso apparet, infinitivum esse glossam. — *Imo sic, Simo*, supple: paciscamur.

129. Vett. et Ven. ut fere Pall. *conspecti.* Vulg. *compecti.* Nostr. B. — In seqq. omnes: *sive consilium umquam inivimus.* Both. *seu consilium unquam iniimus.* Puto eiiciendum *unquam*, quod petitum ex vs. sequenti, *sive* autem una syllaba legendum.

130. Sic omnes, atque versus probe habet, modo recte et ex Plauti more legatur, ut *eá* unam faciat syllabam, *inter* autem quasi *'nter* aut duabus brevibus. Cf. Amphitr. IV. scena ult. Capt. 3, 5, 19. Cist. I, 1, 53. Ep. 2, 2, 55. Merc. 3, 1, 38. Mil. 2, 2, 70. Poen. 5, 4, 34.

131. Eiiciendum videtur *cum.*

135. Vett. Ven. *Ne quod.* Vulg. *Ne quo*, uti et Pall.

136. Vett. *Quin uti rus irem iam here constitueram*, quibus Lamb. *hodie* addit post *irem*, scribens *heri*. Vulg. et Ven. *Quin rus ut irem ïam heri constitueram.* Both. *constituveram.* Nemo vidit legendum esse *iamd.*

Ps. At núnc disturba, quás statuísti, máchinas.
Ca. Nunc nón abire cértum est istac grátia:
Lubído est ludos tuós spectare, Pseúdole.
Et, si húnc videbo nón dare argentúm tibi,
Quod díxit, potius quam íd non fiat, égo dabo.
Si. Non démutabo. *Ps.* Námque edepol, si nón dabis,
Clamóre magno et múltum flagitábere.
Agite, ámovemini hínc vos intro núnc iam,
Ac méis vicissim dáte locum falláciis.
Si. Fiát. *Ca.* Geratur mós tibi. *Ps.* Sed té volo
Domi úsque adesse. *Si.* Quín tibi hanc operám dico.
Ca. At ego ád forum ibo. Iam híc adero. *Si.* Actutúm redi.
Ps. Suspício est mihi, núnc vos suspicárier,
Me idcírco haec tanta fácinora promíttere,
Qui vós oblectem, hanc fábulam dum tránsigam,
Neque sím facturus, quód facturus díxeram.
Non démutabo. Atque étiam certum, quód sciam,
Quo sím facturus pácto, nil etiám scio;
Nisi quía futurum est. Nám qui in scenam próvenit
Novo módo, novom aliquid inventum adferre áddecet.
Si id fácere nequeat, dét locum illi, quí queat.
Concédere aliquantísper hinc mi intró lubet,
Dum cóncenturio in córde sycophántias.
Tibícen vos intérea hic delectáverit.

ACTUS II. SCENA I.

PSEUDOLUS.

Proh Iúpiter, ut mihi, quídquid ago, lepide ómnia prospereque éveniunt!
Neque quód dubitem, neque quód timeam, meo in péctore conditum est cónsilium!
Nam ea stúltitia est, facinús magnum timidó cordi credére: nam omnes res
Períude sunt, ut agás, ut eas magnífacias. Nam ego ín meo pectore
Prius íta paravi cópias
Duplicés, triplices dolos, pérfidias:

144. Vett. et Ven. cum Decurtato: *amovemini*. Vulg. cum V. C. *amolimini*.

146. *te*, sc. Simonem.

148. *Iam adero*, brevi redibo. V. ind. *iam*.

151. *oblectem*, *hinhalte*, *bei der Nase herumführe*. Cf. not. ad Pers. I, 3, 46.

153. *Atque* etc. Atque hoc, quantum equidem sciam, certum est: me nescire, quo pacto facturus sim. Hoc solum scio, ~~futurum esse.~~

Act. II. Sc. I. Pseudolus gratulatur sibi de bono eventu. Ostendit se primum aggressurum lenonem, deinde herum Simonem. Et ecce videt Harpagem advenientem. Recedit ergo.

1. *prospere* leg. *prosp're*. De qua re cf. Amph. 1, 2, 1.

2. Sensus: Neque est quod dubitem, neque quod timeam; tale consilium in meo est pectore.

Ubicúnque cum hostibus cóngrediar,
[Malorum meorum fretus virtute dicam,
Mea industria et malitia, fraudulentia]
Facile út vincam, facile út spoliem
Meos pérduelles meis pérfidiis.
Núnc inimicum ego húnc communem meum átque vostrorum ómnium,
Bállionem, exbállistabo lépide. Date operám modo.
[Hóc ego oppidum ádmoenire, ut hóc die capiatúr, volo:
Atque ad hoc meas legiones adducam. Si hoc expugno:
Facilem ego hanc rem civibus meis faciam.]
Póst ad oppidum hoc vétus continuo méum exercitum prótinam obducam.
Índe me et simul partícipes omnes méos praeda onerabo átque opplebo.
Métum et fugam perduéllibus meis iniíciam: med esse út sciant natum,
Quó sum genere gnátus. Magna mé facinora décet efficere,
Quaé post mihi clara ét diu clueant. Séd hunc, quem videó, quis hic est,
Quí oculis meis óbviam ignorábilis obiicitúr? Lubet scire,
Quíd hic [homo] velit cúm machaera, et hínc, quam rem agat, dábo insidias.

ACTUS II. SCENA II.

HARPAX. PSEUDOLUS.

H. Hí loci sunt, atque haé regiones, quaé mi ab hero sunt démonstratae,
Út ego oculis ratiónem capio, quám mi ita dixit herús meus, miles,
Séptimas esse aédis a porta, úbi ille habitat léno, quoi
Iússit symbolúm me ferre et hóc argentum. Nímis velim,
Cértum qui mihi fáciat, Ballio léno ubi habet. *Ps.* St! táce, tace!
Méus hic est homo, ní med omnes dí atque homines déserunt!
Nóvo consilio núnc mihi opus est: nóva res subito mi haéc obiecta est.

7. Vulg. *ubi ubicunque.* Vett. et Ven. ut *ubicunque.* Fortasse l. *ubiubi.*

8, 9. Hos duo versus spurios esse, et metrum et sensus praebet. Vett. *maiorum meum*, quod B. habet.

12. Edd. *vostrum.*

14. Versus hic maxime otiosus, se repetitum clamat ex I, 3, 164. Reliqua autem, quae inclusimus, valde inepta et spuria esse, vel coecus viderit.

17. *oppidum vetus*, sc. Simonem. — pro *meum* edd. *mecum.* Eaedem *protinus.*

23. Addidi o coni. *homo*, propter metrum. — Vulg. et Ven. *et huic, quam rem agat, hinc dabo insidias.* Vett. *et hic.*

Act. II. Sc. II. Advenit Harpax, cacula militis, cum huius syngrapho et quinque minis. Pultanti ad ostium Ballionis occurrit Pseudolus, seque Ballionis atriensem fingit. Ergo Harpax post multas dubitationes et syngraphum tradit et in tabernam abit, ut se lassum ex itinere, reficiat.

5. Omnes: *leno ubi hic habitat* (Vett. *habet*) *Ps. St! tace, tace.*

6. In edd. deest *med*, quod et sensus et metri gratia addendum erat. Quod si nolis addi, legito: *homó.*

Hóc praevortar príncipio; omnia míssa habeo, quae ante ágere occepi.
Iám pol ego hunc stratióticum nuntium ádvenientem próbe percutiam!
H. Óstium pultábo atque intus évocabo aliquém foras.
Ps. Quísquis es, compéndium ego te fácere pultandí volo:
Nam égo precator ét patronus fóribus processí foras.
H. Túne es Ballio? *Ps.* Ímo vero ego éius sum Subbállio.
H. Quíd istuc verbi est? *Ps.* Cóndus promus súm, procuratór peni.
H. Quási te dicas átriensem. *Ps.* Imo átriensi ego ímpero.
H. Quíd tu? servusne és, an liber? *Ps.* Núnc quidem etiam sérvio.
H. Íta videre, et nón videre dígnus, qui libér sies.
Ps. Nón soles respícere te, quum dícas iniuste álteri?
H. Húnc hominem malum ésse oportet. *Ps.* Dí me servant átque amant:
Nam haéc mihi incus ést: procudam ego hódie hinc multós dolos.
H. Quíd illic secum sólus loquitur? *Ps.* Quíd ais tu, adulescéns? *H.* Quid est?
Ps. Ésne tu, an non és, ab illo mílite Macedónio,
Sérvos eius, qui hínc a nobis ést mercatus múlierem?
Qui árgenti hero meó lenoni quíndecim dederát minas,
Quínque debet? *H.* Súm. Sed ubi tu mé novisti géntium,
Aút vidisti, aut cóllocutus? nam équidem Athenas ántidhac
Núnquam adveni, néque te vidi ante húnc diem unquam oculís meis.
Ps. Quía videre inde ésse: nam olim, quum ábiit, argento haéc dies
Praéstituta est, quóad referret nóbis; neque dum rétulit.
H. Ímo adest. *Ps.* Tun' áttulisti? *H.* Égomet. *Ps.* Quid dubitás dare?
H. Tíbi ego dem? *Ps.* Mihi hércle vero, quí res rationésque heri
Bállionis cúro, argentum accépto, [expenso] et, quod debét, dato.
H. Sí quidem hercle etiám supremi prómtas thesaurós Iovis:
Tíbi libellam argénti nunquam crédam. *Ps.* Dum tu strénuas,
Rés erit solúta. *H.* Vinctam pótius sic servávero.
Ps. Vaé tibi! tu invéntus vero, méam qui furcillés fidem!
Quási mihi non sexcénta tanta sóli soleant credier!
H. Pótest, ut alii ita árbitrentur, ét ego ut ne credám tibi.

8. *Hoc praevortar principio.* Hoc ante omnia agam. V. indicem. — Ante *omnia* edd. addunt *illa.*

11. *compendium te facere*, volo te supersedere pultando.

19. *malum*, astutum, abs quo tibi caveas.

21. *adulescens*, *lieber Freund.* Non enim cogitandum de iuvene ex nostro more. Cf. Most. 3, 1, 120. Pers. 4, 4, 109.

32. Omnes habent *expenso.* Sed omitti posse apparet.

35. Omnes: *Res erit soluta.* — *erat*, pro *fuisset* dedit B. nulla cdd. auctoritate.

36. Vulg. *qui focilles fidem.* Vett. *flocilles.* Pall. et Veneta *forcilles.* Both. *furcilles*, alii: *floccilles.* *Furcillare* Festus ait formatum a *furcis*, quibus homines se suspendant; ita ut *furcilles* sit i. q. *suspendas* aut *dubiam facias.*

Ps. Quási tu dicas, mé te velle argénto circumdúcere.
H. Imo vero quási tu dicas, quásique ego autem id súspicer.
Séd quid est tibi nómen? *Ps.* Servos ést huic lenoní Syrus;
Éum esse me dicám. — Syrus sum. *H.* Sýrus? *Ps.* Id est nomén mihi.
H. Vérba multa fácimus. Herus si túus domi est, quin prévoces,
Út id agam, quod míssus huc sum, quídquid est nomén tibi?
Ps. Si íntus esset, évocarem; vérum si dare vís mihi,
Mágis erit solútum, quam ipsi déderis. *H.* At enim scín', quid est?
Réddere hoc, non pérdere, herus me mísit. Nunc certé scio,
Hóc febrim tibi ésse, quia non lícet huc inicere úngulas.
Égo, nisi ipsi Bállioni, númum crédam némini.
Ps. Át illic nunc negótiosust: rés agitur apud iúdicem.
H. Dí bene vortant! Át ego, quando eum ésse censebó domi,
Rédiero. Tu epístolam hanc a me áccipe atque illí dato:
Nám istic symbolum ést inter herum meum ét tuum de múliere.
Ps. Scío equidem: ut, qui argéntum adferret, átque expressam imáginem
Súam huc ad nos, cúm eo aiebat vélle mitti múlierem:
Nam híc quoque exemplúm reliquit éius. *H.* Omnem rém tenes.
Ps. Quíd ego ni teneám? *H.* Dato ergo sýmbolum istum illí. *Ps.* Licet.
Séd quid est tibi nómen? *H.* Harpax. *Ps.* Ápage te, Harpax! haúd places.
Húc quidem hercle haud íbis intro: né quid harpax féceris.
H. Hóstis vivos rápere soleo ex ácie: ex hoc nomén mihi est.
Ps. Pól te multo mágis opinor vása ahena ex aédibus.
H. Nón ita est. Sed scín', quid te orem, Sýre? *Ps.* Sciam, si díxeris.
H. Égo devortar éxtra portam huc ín tabernam tértiam
Ápud anum illam dóliarem, clúdam, crassam, Chrýsidem.
Ps. Quíd nunc vis? *H.* Inde út me arcessas, hérus tuus ubi vénerit.
Ps. Tuo árbitratu, máxume. *H.* Nam ut lássus veni dé via,
Mé volo curáre. *Ps.* Sane sápis, et consiliúm placet.
Séd vide, sis, ne in quaéstione sís, quando arcessám, mihi.
H. Quín, ubi prandéró, dabo operam sómno. *Ps.* Sane cénseo.
H. Númquid vis? *Ps.* Dormítum ut abeas. *H.* Ábeo. *Ps.* Atque audin', Hárpage?
Iúbe, sis, te operirí: beatus éris, si consudáveris.

---

47. Omnes: *certe.* Both. *certo.*
48. *huc.* Sic Vett. et Both. — Vulg. et Ven. *hoc.*
53. *inter* correptim leg. Vide supra I, 5, 130.
57. *Quid ego ni* pro: *Quidni ego.* — Omnes: *istum symbolum.*
64. *doliarem*, cf. Donat. ad Ter. Andr. 4, 4, 31. Significat autem *turgidam*, *inflatam*, *crassam.* al. l. *diabolarem*, et cdd. *dioboliare* referunt. — *cludam* l. q. *claudam*, ut habet Ven.
65. Et vett. et Ven. *Quid vis*, omisso *nunc*, quod interponit vulg.
66. *Tuo*, ut saepe, prorsus elidendum.
71. *operiri*, contegi stragula. Nam salubre tibi erit, si sudaveris.

ACTUS II. SCENA III.

PSEUDOLUS.

Di ímmortales, cónservavit me íllic homo adventú suo!
Súo viaticó reduxit me úsque ex errore ín viam!
Nam ípsa mihi Opportúnitas non pótuit opportúnius
Ádvenire, quam haécce adlata est mi ópportune epístola:
Nam haéc adlata córnu copiae ést, ubi inest, quidquíd volo:
Híc doli, hic falláciae omnes, híc sunt sycophántiae,
Híc argentum est, híc amica amánti herili fílio.
Átque ego nunc, me ut glóriosum fáciam, ut copi péctore,
Quó modo quidque agerem, út lenoni súrriperem mulierculam,
Iam ínstituta, ornáta, cuncta in órdine animo, ut vólueram,
Cérta, deformáta habebam; séd profecto hoc síc erit:
Céntum doctûm hominúm consilia sóla haec devincít dea
Fórtuna. Atque hoc vérum est: proinde ut quísque fortuna útitur,
Íta praecellet, átque exinde sápere eum omnes dícimus.
Béne ubi quod consílium discimus áccidisse, hominém catum
Eum ésse declarámus; stultum autem íllum, quoi vortít male.
Stúlti haud scimus, frústra ut simus, quúm quod cupientér dari
Pétimus nobis, quási, quid in rem sít, possimus nóscere.
Cérta amittimús, dum incerta pétimus; atque hoc évenit
Ín labore atque ín dolore, ut mórs obrepat ínterim.
Séd iam satis est phílosophatum; nímis diu et longúm loquor.
Di ímmortales, aúrichalco cóntra non carúm fuit
Méum mendacium, híc modo quod súbito commentús fui,
Quía lenonis me ésse dixi! Núnc ego hac epístola
Trís deludam, herum ét lenonem et, qui hánc mihi dedit epístolam.
Eúge, par pari! Áliud autem, quód cupiebam, cóntigit:
Vénit eccum Calidórus; ducit néscio quem secúm simul.

Act. II. Sc. III. Gratulatur sibi Pseudolus de epistola, deque Fortuna philosophatur. Advenit Calidorus.

4. Vett. et Ven. *haec cavata est*, uti Pall.

5. Vett. *Nam haec illa cornucop.* Ven. *Nam haec illa ea corn.* Nostr. vulg. ex Pall.

6. Omnes: *omnes sunt*, *hic sunt.*

7. *est* addunt vett. Deest in vulg. et Ven.

8. Sententia sequentium: Atque ego omnia iam apud me constitueram, quemodo agerem, quum ecce Fortuna omnia consilia mea devicit. Verba: *me ut gloriosum faciam*, *ut copi pectore* parenthesi includit Bothius, ut sensus sit: liceat enim mihi gloriari et ostendere, quam copi sim pectore, i. e. quam divitii. Atque sic intelligenda, etsi non includenda. Ven. *Atq. ego n. me. gl. f. et c. p.* Vett. *Atq. e. n. me gl. f.*, *ut c. p.* Nostr. vulg.

10. Pro *animo* Ven. *habeo.*

12. Sic vett. Ven. et Pareus. — Vulg. B. *divincit.*

17. Sensus: Nos enim stulte nescimus saepenumero, quam frustra simus, ubi quid optamus.

22. *aurichalco contra non carum fuit.* De hac locutione vide ad Curc. I, 3, 45. Epid. 3, 3, 30. Most. I, 3, 139. Non nimis carum fuerit, si aurichalco emeris.

26. *par pari* sc. referam, sc. lenoni aut Harpagi, qui me incusavit fallaciarum.

ACTUS II. SCENA IV.

CALIDORUS. CHARINUS. PSEUDOLUS.

Ca. Dúlcia atque amára apud te sum élocutus ómnia.
Scís amorem, scís labórem, scís egestatém meam.
Ch. Cómmemini omnia. Íd tu modo, quid mé vis facere, fác sciam.
Ca. Cum haéc tibi alia sum élocutus, út scires, de sýmbolo.
Ch. Ómnia, inquam: tú modo, quid me fácere vis, fac út sciam.
Ca. Pseúdolus mihi ita ímperavit, út aliquem hominem strénuum,
Bénevolentem, addúcerem ad se. *Ch.* Sérvas imperiúm probe:
Nám eó amicum et bénevolentem dúcis. Sed istic Pseúdolus
Nóvus mihi est. *Ca.* Nimium ést mortalis gráphicus; heuretés mihi est.
Ís mihi haec esse se éffecturum díxit, quae dixí tibi.
Ps. Mágnifice hominem cómpellabo. *Ca.* Quóia vox sonat? *Ps.* Ío, io,
Té, te, te, tyránne, te rogó, qui imperitas Pseúdolo!
Quaéro, quoi ter trína triplicia tríbus modis tria gaúdia,
Ártibus tribus tér demeritas dém laetitias, dé tribus
Fraúde partas pér malitiam et pér dolum et falláciam.
Ín libello hoc óbsignato ad te áttuli pauxíllulo.
Ca. Íllic homo est. Ut páratragoedat cárnufex! *Ps.* Confér gradum
Cóntra pariter. Pórrige audaciter ád salutem bráchium.
Ca. Díc, utrum Spemne án Salutem té salutem, Pseúdole?
Ps. Ímo utrumque. *Ca.* Utrúmque salve. Séd quid actum est? *Ps.* Quíd times?
Ca. Áttuli hunc. *Ps.* Quid? áttulisti? *Ca.* Addúxi volui dícere.
Ps. Quís istic est? *Ca.* Charínus. *Ps.* Euge, iám χάριν τούτῳ ποιῶ.

Act. II. Sc. IV. Quia Pseudolus (I, 3, 171) iusserat Calidorum adducere ad se certum aliquem amicum suum, ille iam adducit Charinum. Verum Pseudolus, propter epistolam mutato iam consilio, petit sibi dari alium, qui Harpagis personam repraesentet apud lenonem. Igitur Charinus promittit se adducturum Simmiam quendam in forum ad trapezitam. Illi ergo abeunt, et item Pseudolus in forum.

1. *dulcia*, amorem meum. *amara*, pericula amoris.

4. Veneta: *Cum haec tibi alia sum elocutus, ut scirem si scis de symbolo.* Vett. et vulg. item, nisi quod *ut scires si scis d. s.* ut fere Pall. Bothius emend. *Cum haec tibi alia, tum elocutus sum, ut sit res de symbolo.* Sensum esse oportet: Cum haec (sc. dulcia et amara) tibi sum elocutus, tum alia, et inter illa etiam illud de symbolo. Ut omissum sit tum ante *alia*.

5. Ven. et vett. *quae me f. v.* Nostr. Pall.

6. Cf. 1, 3, 166.

9. *heuretes*, εὑρέτης, inventor consiliorum.

10. *se* post *esse* addunt vett., omittunt vulg. et Ven. et Pall. — *mihi* elidendum.

13. Videtur peccatum in prosodia in v. *trina*.

14. *de tribus*, videlicet Harpage, lenone, Simone.

16. *pauxillulo*, parvo.

17. In sequentibus personarum nomina varie ponuntur in editionibus, et Charino tribuuntur, quae Calidoro esse assignanda sensus et res praebet.

19. Sic vett. et Dousa et aliae bonae edd. — Vulg. et Ven. et Pall. *Dic utrum Spemne an Matrem te s.*, *Ps.* Ven. *resalutem.* De *Salutis* denominatione cf. Asin. 3, 3, 123—127.

22. Vett. *Euge, iam Charinum volo.* Ven. *Euge, iam Charynum uolo.* Vulg.

Ch. Quín tu, quidquid opúst, audacter ímperas? *Ps.* Iam grátia est.
Béne sit tibi, Charíne! nolo tíbi molestos ésse nos.
Ch. Vós molestos míhi? Molestum est íd quidem. *Ps.* Tum tu igitúr mane.
Ch. Quíd istuc est? *Ps.* Epístolam modo hanc íntercepi, et sýmbolum.
Ch. Sýmbolum? quem sýmbolum? *Ps.* Qui a mílite adlatúst modo.
Éius servo, qui húnc ferebat cúm quinque argentí minis,
Túam qui amicam hinc árcessebat, éi os sublevi modo.
Ca. Quómodo? *Ps.* Horum caúsa haec agitur spéctatorum fábula:
Hí sciunt, qui hic ádfuerunt; vóbis post narrávero.
Ca. Quíd nunc agimus? *Ps.* Líberam hodie túam amicam amplexábere.
Ca. Égone? *Ps.* Tute. *Ca.* Ego? *Ps.* Ípsus, inquam, sí quidem hoc vivét caput;
Sí modo mihi hominem ínvenietis própere.... *Ch.* Qua facié? *Ps.* Malum,
Cállidum, doctúm, qui, quando príncipium prehénderit,
Pórro sua virtúte teneat, quíd se facere opórteat;
Átque eum, qui hic non visitatus saépe sit. *Ch.* Si sérvos est,
Númquid refert? *Ps.* Ímo multo mávolo, quam líberum.
Ch. Pósse opinor mé dare hominem tíbi malum et doctúm, modo
Qui á patre advenít Carysto, néc dum exiit ex aédibus
Quóquam, neque Athenás advenit únquam ante hesternúm diem.
Ps. Béne iuvas. — Sed quínque inventis ópus est argentí minis
Mútuis, quas hódie reddam: nam húius mihi debét pater.
Ch. Égo dabo: ne quaére aliunde. *Ps.* O hóminem opportunúm mihi!
Étiam opust chlamyde ét machaera et pétaso. *Ch.* Possum a mé dare.
Ps. Di ímmortales, nón Charinus mi híc quidem est, sed Cópia!
Séd istic servos, éx Carysto húc qui advenit, quíd sapit?
Ch. Hírcum ab alis. *Ps.* Mánuleatam túnicam habere hominém decet.

euge! iam Χαρῖνον οἰωνὸν ποιῶ. Both. *eugc, iam χάριν οἰωνὸν ποιῶ.* Cod. Palat. *iam charytoiio ποιω.* Sensus sine dùbio is esse debet, ut declaret Pseudolus, sibi nunc iam non opus esse ipso Charino, quia mutaverit consilium. Sequitur enim: *Quin*, *tu* etc. ac deinde: *Iam gratia est.* Fortasse igitur l.: *iam χάριν τούτῳ ποιῶ*, i. e. iam nolo Charini opera uti.

23. *Quin tu* etc. Et haec possent recte Calidoro tribui. At in vett. et Ven. post *opus est* additur *mihi*. Verba *Iam gratia est* non leguntur in Ven. et vett. — Vulg. *Tam gratia est*. Sensus: Iam mihi non eo opus.

24. In edd. et cdd. deest *tibi* post *Bene sit*, quod addendum duxi.

25. *id* deest in Pall. Ven. et vett. legitur in vulg.

36. *virtute*, astutia et prudentia.

37. *eum*, talem, eiusmodi hominem. Vulg. vett. Ven. Pall. *Atque eum qui non hic usitatus saepe sit.* Nostr. Both.

40. *a patre*, sc. missus. *Carystus* Euboeae oppidum. — *exiit ex aedibus.* Sic Ven. et vett. et V. C. — Vulg. non habet *ex*.

43. Omnes: *nam unam mihi huius debet pater*, uti et fere Pall. Emendavit Gulielmus, et omisit *unam* Both.

48. *hircum ab alis*, hircum habet sub alis, hircum olet seu sapit. Facetiae. — *manuleatam*, quales solebant gestare stratiotici.

Écquid habet is hómo aceti in péctore? *Ch.* Atque acidíssumi.
Ps. Quíd, si opus sit, ut dúlce promat índidem? ecquid habét?
Ch. Rogas?
Múrrhinam, passúm, defrutum, mélinam, mel quoíusmodi.
Quín in corde instrúere quondam coépit thermopólium.
Ps. Eúgepae! lepidé, Charine, mé meo ludo iám beas.
Séd quid nomen ésse dicam ego ísti servo? *Ch.* Símmiae.
Ps. Scítne in re advorsá vorsari? *Ch.* Túrbo non aequé citust.
Ps. Écquid argutúst? *Ch.* Malorum fácinorum saepíssume.
Ps. Quíd, quum manufestó tenetur? *Ch.* Ánguilla est: elábitur.
Ps. Écquid is homo scítust? *Ch.* Plebiscítum non est scítius.
Ps. Próbus homo est, ut praédicare te aúdio. *Ch.* Ímo sí scias.
Úbi te adspexerít: narrabit últro, quid sesé velis.
Séd quid illo es actúrus? *Ps.* Dicam. Úbi hominem exornávero:
Súbditicium fíeri ego illum mílitis servóm volo;
Sýmbolum hunc ferát lenoni cúm quinque argentí minis;
Múlierem ab lenóne abducat. Hém tibi omnem fábulam!
Céterum, quo quídque pacto fáciat, ipsi díxero.
Ca. Quíd nunc igitur stámus? *Ps.* Hominem cum órnamentis ómnibus
Éxornatum addúcite ad me iam ád trapezitam Aéschinum.
Séd properate. *Ch.* Príus illi erimus, quám tu. *Ps.* Abite ergo ócius. —
Quídquid incertí mi in animo príus aut ambiguúm fuit,
Núnc liquet, nunc défaecatum est; cór mihi nunc pérvium est.
Ómnes ordinés sub signis dúcam, legionés meas
Ávi sinistra, auspicio liquido átque ex senténtia.
Cónfidentia ést, inimicos méos me posse pérdere.
Núnc ibo ad forum átque onerabo meís praeceptis Símmiam,
Quíd agat: ne quid títubet, docte ut hánc serat falláciam.
Iam égo hoc ipsum oppidum éxpugnatum fáxo erit lenónium.

ACTUS III. SCENA I.

PUER.

Quoi sérvitutem dí danunt lenóniam
Puero, átque eidem si áddunt turpitúdinem:
Nae illí, quantum ego nunc córde conspició meo,

49. *aceti*, acrimoniae, fortitudinis. Cf. Bacch. 3, 3, 1. In seq. versu oppositum eius sequitur *dulce promere*, unde *acetum habere* erit acriter aliquem adloqui posse, increpare.

53. Vett. *Euge pellepide Charine me meo ludo lamberas.* Vulg. et Pall. *Eugepae! lepide, Ch., me m. l. lamberas.* Ven. *Euge pellepide Charine me meo ludo iam beas.* Quod amplectendum.

61. *illo* addunt vett., omittunt vulg. et Pall. et Ven. Verum abesse non debet.

68. *illi*, i. e. illic.

75. Omnes: *ferat.* Correxit Bothius ex edd. vett.

Act. III. Sc. I. Prodit puer a lenone, et de servitute apud hunc sua queritur. Scena sine dubio valde interpolata. Nam a Lambini codice aberant vss. 17. 19. 20 et 21. qui tamen in Pall. et edd. leguntur.

2. *turpitudinem*, sc. ut meritorius sit.

Malám rem magnam múltasque aerumnás danunt!
Velut haéc mi evenit sérvitus, ubi ego ómnibus
Parvís magnisque míseriis praefúlcior;
Neque égo amatorem mi invenire ullúm queo,
Qui amét me, ut curer tándem nitidiúscule.
Nunc huíc lenoni est hódie natalís dies:
Intérminatus ést a minumo ad máxumum,
Si quís non hodie múnus misissét sibi,
Eum crás cruciatu máxumo perbítere.
Nunc néscio hercle, rébus quid faciám meis,
Neque ego íllud possum, quód illi, qui possúnt, solent.
Nunc nísi lenoni múnus hodie mísero:
Cras míhi potandus frúctus est fullónius.
Eheú, quam illae rei ego étiam nunc sum párvolus!
Atque édepol, ut nunc mále eum metuó miser,
Si quíspiam det, quí manus graviór siet,
Quamquam íllud aiunt mágne gemitu fíeri,
Comprímere dentes vídeor posse aliquó modo.
Sed cómprimenda est míhi vox atque orátio:
Herus, éccum, recipit sé domum et ducít cocum.

ACTUS III. SCENA II.

BALLIO. COCUS. PUER.

Ba. Forúm coquinum quí vocant, stulté vocant:
Nam nón coquinum est, vérum furinúm est forum.
Nam si égo iuratus péiorem hominem quaérerem
Cocúm, non potui, quam húnc, quem duco, dúcere,
Multíloquom, gloriósum, insulsum, inútilem.
Quin ób eam rem Orcus récipere ad se hunc nóluit,
Ut ésset hic, qui mórtuis coenám coquat:
Nam hic sólus illis cóquere, quod placeát, potest.
Co. Si me árbitrabare ísto pacto, ut praédicas:
Cur cónducebas? *Ba.* Ínopia: alius nón erat.
Sed cúr sedebas ín foro, si erás cocus
Tu sólus praeter álios? *Co.* Ego dicám tibi.
Hominum égo avaritia fáctus sum improbiór cocus,

8. Omnes *curet.* Both. *curer* ex Gull.

12. *perbitere*, periturum esse.

14. Quid velit se posse, aut si possit, quid eum iuvare possit, aegre perspicias. Ieiunae sunt facetiae, ad vulgus oblectandum ab alio quodam, nec a poeta, interpositae. Fortasse omnis locus a versu 14—21 suppositilius. V. supra argumentum.

18. Unam credo periodum usque ad v. 21. *ut* i. e. q. prout. *eum*, lenonem, v. 19. *det, qui m. gr. s.* h. e. pecuniam. v. 20. *illud*, operam meritoriam. v. 21. patiar tamen, ait, et dentes comprimam dolore.

Act. III. Sc. II. Adducit Ballio coquum, et cum eo de nequitia coquorum loquitur. Introeunt.

6. Omnes: *hunc ad se.*

7. Sensus: ut esset hic, qui tales cibos coqueret, qui numquam vivis placere possent, sed solis mortuis.

12. *tu solus praeter alios*, tu praecipuus inter omnes, ut ais.

13. Omnes: *Hominum avaritia ego*

Non meópte ingenio. *Ba.* Qua istuc ratione? *Co.* Éloquar.
Quia ením, quom extemplo véniunt conductúm cocum,
Nemo illum quaerit, qui óptumus et carissumust;
Illúm conducunt pótius, qui vilíssumust.
Hoc égo fui hodie sólus obsessór fori.
Illi dráchmis issent míseri; me nemó potest
Minóris quisquam númo ut surgam súbigere.
Non égo item coenam cóndio, ut alií coci,
Qui míhi condita práta in patinis próferunt,
Boves quí convivas fáciunt, herbasque óggerunt,
Eas hérbas herbis áliis porro cóndiunt:
Indúnt coriandrum, féniculum, allium, átrum olus,
Adpónunt rumicem, brássicam, betám, blitum,
Eo láserpiti libram pondo díluunt;
Teritúr sinapis scélera cum illís, quí terunt;
Priusquám triverunt, óculi ut exstilléant, facit.
Ei hómines coenas síbi coquint! Quom cóndiunt,
Non cóndimentis cóndiunt, sed strígibus,
Vivis convivis íntestina quae éxedint.
Hoc híc quidem homines tám brevem vitám colunt,
Quom hasce hérbas huiusmodi ín suom alvom cóngerunt,
Formídolosas díctu, non esú modo,
Quas hérbas pecudes nón edunt, hominés edunt.
Ba. Quid tú? divinis cóndimentis útere,
Qui prórogare vítam possis hóminibus,
Qui ea cúlpes condiménta? *Co.* Audacter dícito:
Nam vél ducenos ánnos poterunt vívere,
Meas qui ésitabunt éscas, quas condívero.
Nam ego cícilendrum quándo in patinas índidi
Aut sípolindrum aut mácidem aut sancáptidem:
Eae ipsaé se patinae férvefaciunt íllico.
Haec ád Neptuni pécudes condiménta sunt.
Terréstres pecudes cícimandro cóndio aut
Hapalópside aut cataráctria. *Ba.* At te Iúpiter
Dique ómnes perdant cúm condimentís tuis
Cumqué tuis istis ómnibus mendáciis!
Co. Sine, sís, loqui me. *Ba.* Lóquere atque i in malám crucem!
Co. Ubi ómnes patinae férvent: omnes áperio;

sum. — *improbior factus sum*, postpositus, otiosus.

15. *quum extemplo* dictum scito pro simul *atque* aut *statim ubi*. Loca parallela v. in indice.

18. *Hoc*, i. e. idcirco. Cf. v. 33.

20. *numus* apud Plautum didrachmum valet. Cf. Truc. 2, 7, 10.

21. *item*, eodem modo.

22. *condita prata*, h. e. olera. Cf. v. 23 et Capt. I, 2 ad fin.

23. *boves* monosyllabum.

28. *scelerata* omnes edd., atque fortassis vox *sinapis* contractim proferenda. *scelerata*, maledicta. *Sinapin* foem. cf. Col. 10, 123. Caeterum Pall. *sinapis cclera*, unde fortasse l. *scelera*, quasi breviori forma pro longiori *scelerata*.

30. *sibi*, suppl. *non aliis*.

38. *qui* i. e. q. *ut*.

42. Sic vulg. et Ven. — Vett. *in patina scindidi*.

44. *Eae* in totum elidendum, ut saepe. Falso omisit B.

45. *Neptuni pecudes*, pisces.

Ibi odós demissis pédibus in coelúm volat.
BA. Odór demissis pédibus? *Co.* Peccavi ínsciens.
BA. Quid est? *Co.* Quía demissis mánibus volui dícere.
Eum odórem coenat Iúpiter quotídie.
BA. Si núsquam is coctum, quídnam coenat Iúpiter?
Co. It íncoenatus cúbitum. *BA.* I in malám crucem.
Istáccine tibi caúsa hodie numúm dabo?
Co. Fateór equidem esse mé cocum caríssumum;
Verúm pro pretio fácio ut opera appáreat
Mea, quó conductus véni. *BA.* Ad furandúm quidem.
BA. An tu ínvenire póstulas quemquám cocum,
Nisi mílüinis aút aquilinis úngulis?
BA. An tú coquinatum te íre quoquam póstulas,
Quin íbi constrictis úngulis coenám coquas?
Nunc ádeo tu, qui méus es, iam edicó tibi,
Ut nóstra properes ámoliri ómnia;
Tum ut húius oculos ín oculis habeás tuis.
Quoquo híc spectabit, éo tu spectató simul;
Si quo híc gradietur, páriter progredíminor;
Manum sí protollet, páriter profertó manum.
Suum sí quid sumet, íd tu sinito súmere;
Si nóstrum sumet, tú teneto altrínsecus;
Si iste íbit, ito; stábit, adstató simul;
Si cónquiniscet, ístic cevetó simul.
Item hís discipulis prívos custodés dabo.
Co. Habe módo bonum animum. *BA.* Quaéso, qui possím, doce,
Bonum ánimum habere, quí te ad me adducám domum?
Co. Quia sórbitione fáciam ego te hodié mea,
Item út Medea Péliam concoxít senem,
Quem médicamento et suís venenis dícitur
Fecísse rursus éx sene adulescéntulum:
Item égo te faciam. *BA.* Eho, án tu etiam venéficus?
Co. Imo édepol vero hóminum servatór magis.
BA. Hem, máne! quanti istuc [unum] mé coquinare pérdoces...
Co. Quid? *BA.* Út te servem, né quid subripiás mihi?
Co. Si crédis, numo; sí non, ne miná quidem.
Sed útrum amicis hódie, an inimicís tuis
Datúrus coenam? *BA.* Pól ego amicis scílicet.
Co. Quin tu íllos inimicos pótius, quam amicós, vocas?

52. Post h. v. in edd. sequitur v. 55. Atqui patet sic rectius ordinari.

58. *Istac causa*, ut Iupiter illo odore fruatur. — Edd. *Istacine causa tibi*.

62. *tu* addidit Bothius. Deest in edd., legitur in Palat. cod.

64. *coquinatum* in Plauto corripitur altera syllaba. Cf. vs. 85. et Aul. 3, 1, 8. ubi v. n.

66. Servum alloquitur.

70. Both. ex edd. *progredimino*. Cf. Ep. V, 2, 29. Verbum autem est *progrediri*, ut Cas. 5, 1, 9.

78. Vulg. *Animum bonum*. In vett. et Ven. v. *bonum* exulat, uti et in Pall.

85. Omnes: *istuc unum*. Bothius retinuit *unum*, extrusit *istuc*. Ego hoc potius servandum, illud includendum iudico.

90. Omnes: *illos*. Both. *illo*, ex Acid. emendatione. Potest tamen et illud locum habere, ut sit: *illos quos modo*

Nam ego íta convivis coénam conditám dabo
Hodie átque ita suavi suávitate cóndiam,
Ut quísque quidque cónditum gustáverit,
Ipsés sibi faciam ut dígitos praerodát suos.
Ba. Quaeso hércle, priusquam quídquam convivís dabis,
Gustáto tute príus, et discipulís dato,
Ut praérodatis vóstras furtificás manus.
Co. Fortásse haec tu nunc míhi non credas, quaé loquor.
Ba. Moléstus ne sis. Nímium tinnis: nón places.
Hem, íllic ego habito: intro húc abi, et coenám coque
Properé. *Pu.* Quin is adcúbitum? et convivás cedo:
Corrúmpitur iam coéna. *Ba.* Hem, subolem, sís, vide!
Iam hic quóque scelestus ést coqui sublíngio.
Proféсto, quid nunc prímum caveam, néscio:
Ita in aédibus sunt fúres, praedo in próxumo est.
Nam a me híc vicinus ápud forum pauló prius,
Patér Calidori, ópere petiit máxumo,
Ut míhi caverem a Pseúdolo servó suo,
Neu fídem ei haberem: nam eúm circumire in húnc diem,
Ut mé, si posset, múliere intervórteret.
Eum prómisisse fírmiter dixít sibi,
Sese ábducturum a mé dolis Phoenícium.
Nunc íbo intro atque edícam familiáribus,
Proféсto ne quis quídquam credat Pseúdolo.

ACTUS IV. SCENA I.

PSEUDOLUS. SIMMIA.

Ps. Si únquam quemquam di ímmortales vóluere esse auxílio adiutum:
Túm me et Calidorúm servatum vólunt esse, et lenónem extinctum,
Quúm te adiutorém genuere míhi, tam doctum hominem átque astutum.
Sed ubi íllic est? Sumne ego homo ínsipiens, qui haec mécum egomet loquor sólus?
Dedit vérba mihi hercle, út opinor, malus cúm malos stulte cávi.
Tum pól ego interii, homo si ílle abiit, neque hoc ópus, quod volui, ego hódie efficiam.

dixi, nempe inimicos. — vocas, ad coenam.

92. *suavi* addidit B. ex Taubmanno. Nam in libris non legitur.

105. *praedo.* Int. Pseudolus.

106. Vulg. *Iam a me hic v.* Vett. *Iam me hic v.* Ven. *Iam mihi hic v.* Emendavit Both. ex Acid.

107. Vulg. et Vett. *petivit.* Ven. et Pall. *fecit.* Both. *Nam a me — opere ecfecit maximo.*

Act. IV. Sc. I. Adducit Pseudolus Simmiam, sibique de eo gratulatur, et illi bona promittit, si rem suam adiuvet.

1. Haec loquitur tamquam ad Simmiam, qui tamen in via moratus paullum restiterat. Unde v. 4 metuit Ps., ne cirvumventus ab illo relictusque sit.

5. *malus cum malos stulte cavi*, h. e. dum ego, ipse astutus, astutos homines parum cavi. Sic autem V. C. et vett. — Vulg. et Dec. et B. *malus cum malo st. c.* ut peculiare incisum.

Séd eccum videó, verbeream státuam. Ut magnifice ínfert sese!
Hém, te hercle ego circúmspectabam: nímis metuebam mále, ne abisses.
Si. Fúit meum officium, ut fácerem, fateor. *Ps.* Úbi restiteras?
Si. Úbi mihi libitum est.
Ps. Ístuc ego iam sát scio. *Si.* Cur érgo, quod scis, mé rogas?
Ps. At hóc volo, monére te. *Si.* Monéndus ne me móneat.
Ps. Nimis tándem ego abs te cóntemnor. *Si.* Quippe égo te ni contémnam,
Stratióticus homo quí cluar?
Ps. Iam hoc vólo, quod occeptúm est, agi.
Si. Numquíd agere aliud mé vides?
Ps. Ámbula ergó cito. *Si.* Imo ótiosé volo.
Ps. Haéc ea occásio est: dum ílle dormít, volo
Tú prior óccupes [adire].
Si. Quid próperas? Placide! Né time! Ita ílle faxit Iúpiter,
Ut ílle palam ibidem ádsiet, quisquís ille est, qui adest a mílite!
Núnquam edepol erit ílle potior Hárpax [quam ego.] Habe animúm bonum:
Púlcre ego hanc éxplicatám tibi rém dabo.
Síc ego illúm dolis átque mendáciis
Ín timorém dabo, mílitarem ádvenam,
Ípse sese út neget ésse eum, quí siet,
Méque ut esse aútumet, qui ípsus est. *Ps.* Quí potest?
Si. Occídis me, quom istúc rogas!
Ps. O hóminem lepidum té quoque
Etiám dolis ac mendáciis!
Iúpiter té mihi sérvet! *Si.* Imó mihi!
Sed víde: ornatus híc satis me condécet? *Ps.* Optume habet.
Si. Ésto.
Ps. Tantúm tibi boni di immórtales duint, quántum tu tibi óptes!
Nam si éxoptem quantúm dignus, minus níhilo est: neque ego hoc hómine
Quemquám vidi mage málum et maleficúm. *Si.* Tun' id mihi?
Ps. Táceo.

7. Versus male habet, et *sed eccum* potius trochaeum faceret, ut 4, 2, 10. et ut *sed ecce* Most. 2, 2, 64. aut ut idem iambum Pers. 1, 3, 3. Verum enim *sed* productum et legitur supra 2, 1, 21. et Rud. 3, 4, 87.

9. *ut facerem*, ut abirem, teque frustrarer, quippe qui sim fraudulentus.

12. *contemnor*, pro minus astuto habeor.

18. Vulg. Pall vett. *tu prior ut occupes adire.* Ven. *ut prior tu occ. ad.* Est autem creticus dimeter; ideo abiiciendum *adire* una cum praepositione.

20. *quisquis ille est, qui adest.* Sic legendum, ut *ille* corripiatur, et *adest*, ut saepe, pyrrhichium faciat. Itaque nihil mutandum.

21. Vulg. Pall. vett. Ven. *Numq. edepol erit ille potior Harpax, quam ego.* In qua lectione omittenda *quam ego.* Bothius: *Numq. edepol potior erit Harpax, quam ego. H. a. b.*

25. Omnes: *eum esse.* Nostr. Both.

28. *te quoque*, suppl. pariter atque ego sum.

29. Edd. *etiam dolis atque etiam mendaciis.*

33. Post *quantum dignus* edd. addunt *tantum dent*, quo facile carebimus, praesertim quum versus extrudat. — *neque ego* etc. Haec seorsim eloquitur,

Sed égo quae tibi [dona] dabo ét factum, si hanc rém sobrie adcuráasis!
Si. Potin', út taceas? Memorem ímmemorem facit, quí monet, quod memor méminit.
Teneo ómnia; in pectore cóndita sunt; meditáti sunt doli dócte.
Ps. Probus híc homo est. *Si*. Neque hic est, néque ego. *Ps*. At vide ne títubes. *Si*. Potin', ut táceas?
Ps. Ita mé di ament.... *Si*. Ita nón facient. Mera iám mendacia fúndes.
Ps. Ut ego ób tuam, Simmia, pérfidiam te amo ét metuo et magnífico.
Si. Ego istúc aliis dare cóndidici; mi obtrúdere non potes pálpum.
Ps. Út ego te hodie accípiam lepide,
Úbi effeceris hóc opús.... *Si*. Ha ha he!
Ps. Lépido victu, víno, unguentis
Ét inter pocula púlpamentis!
Íbidem una aderit múlier lepida,
Tibi savia super sávia quae det.
Si. Lépide accipis me. *Ps*. Ímo si efficis, túm faxo magis dícas.
Si. Nísi effecero, crúciabiliter cárnufex me accípito!
Séd propera mihi mónstrare, ubi ostiúm lenonis aédium.
Ps. Tértium hoc est. *Si*. St', tace! aedes híscunt. *Ps*. Credo animó male est
Aédibus. *Si*. Quid iám? *Ps*. Quia edepol ípsum lenonem évomunt.
Si. Ílliccine est? *Ps*. Íllic est. *Si*. Mala mérx est. *Ps*. Illuc, sís, vide:
Nón prorsus, verum éx transverso, cédit, quasi cancér solet.

ACTUS IV. SCENA II.

BALLIO. PSEUDOLUS. SIMMIA.

Ba. Mínus malum hunc hominem ésse opinor, quam ésse censebám, cocum:
Nám nihil etiamdum hárpagavit praéter cyathum et cántharum.
Ps. Heús tu, nunc occásio est et témpus! *Si*. Tecum séntio.
Ps. Íngredere in viám dolose; ego híc in insidiis ero.
Si. Hábui numerum sédulo: hoc est séxtum a porta próxumum
Ángiportum: in id ángiportum mé devorti iússerat.

ad spectatores, ita tamen, ut ille simul ipse possit audire.

35. Omittendum *dona*, quod saepe in similibus omittitur.

38. Vulg. *Probus hic est homo*.

41. *istuc dare aliis*, sc. malum, defraudare eos. — *mi obtr*. sed vicissim mihi nemo par pari referre poterit. Cf. Amph. I, 3, 28. *timidam palpo percutit*, h. e. decipit blanditiis.

48. Pro *efficis* fortasse legendum *effexis*.

49, 50. Haec et dictione et rhythmo malo habent: *accipito* et *ubi ostium*.

Act. IV. Sc. II. Prodit leno. Simmias sub Harpagis persona epistolam ei tradit. Intro eunt, ut educatur puella.

4. Vulg. vett. Ven. *et ego hic*. V. C. *dolo sego et hic*.

5. *sextum a p. pr. angiportum*. Sic omnes. Bothius *angiportu*. De re cf. II, 2, 3. *Septimas esse aedes a porta*.

Quótumas aedes díxerit, id ego ádmodum incertó scio.
Ba. Quís hic homo chlamydátus est, aut únde est, aut quem quaéritat?
Péregrina faciés videtur hóminis, atque ignóbilis.
Si. Séd eccum, qui ex incérto faciet míhi, quod quaero, cértius.
Ba. Ád me adit recta: únde ego hominem hunc ésse dicam géntium?
Si. Heús tu, qui cum hircína barba stás, responde, quód rogo.
Ba. Ého, an non prius salútas? *Si*. Nulla est míhi salus datária.
Ba. Nám pol hinc tantúndem accipies. *Ps*. Iam índe a principió probus.
Si. Écquem in angipórto hoc hominem tú novisti, té rogo.
Ba. Égomet me. *Si*. Pauci ístuc faciunt hómines, quod tu praédicas:
Nam ín foro vix décimus quisque est, qui ípsus esse nóverit.
Ps. Sálvos sum: iam phílosophatur. *Si*. Hóminem ego híc quaeró malum
Légirupam, impiúm, periurum, atque ímprobum. *Ba*. Me quaéritat:
Nám illa mea sunt cógnomenta. Nómen si memorét modo. —
Quíd est ei homini nómen? *Si*. Leno Bállio. *Ba*. Scivín' ego?
Ípse sum, aduléscens, quem tu quaéris. *Si*. Tune es Bállio?
Ba. Égo enimvero is sum. *Si*. Út vestitus, és perfossor párietum.
Ba. Crédo, in tenebris cónspicatus sí sis me, abstineás manum.
Si. Hérus meus tibi mé salutem múltam voluit dícere.
Hánc epistolam áccipe a me: hánc me tíbi iussít dare.
Ba. Quís is homo est, qui iússit? *Ps*. Perii, núnc homo in medió luto est!
Nómen nescit: haéret haec res. *Ba*. Quem hánc misisse ad me aútumas?
Si. Nósce imaginém; tute eius nómen memorató mihi,
Út sciam, te Bállionem esse ípsum. *Ba*. Cedo mi epístólam.
Si. Áccipe, hem, cognósce signum. *Ba*. Oho, Pólymachaeroplácides
Púrus putus est ípsus! novi; heus! *Si*. Pólymachaeroplácides
Nómen est. Scio iám, tibi me récte dedisse epístolam,

9. *ignobilis*, l. ignota. Cf. IV, 7, 9.

12. Vulg. vett. *cum hirquina astas barba*. Ven. *cum hirquina stas b.*

14. *probus*. Sic vett. et Ven. — Vulg. et Pall. *probi*. Both. *probe*. *Probus* autem est pro: *probus est*.

22. Vulg. *Ipse ego is sum, adolescens, quem tu quaeritas*. Sy. *Tune es Ballio*. Item vett. omisso *ego*. Ven. *Sum. ego ipse sum ad.* etc. ut vulg. omisso antea *Scivin ego?* e quibus factum *Sum. ego*. Ergo scribendum: *Ipse sum — quaeris*. S. *Tune es Ballio?*

23. Omnes: *Ut vestitus est perf. par*. Nostr. Both.

28. *haeret haec res*. De hac locutione v. Amph. 2, 2, 192. Trin. 4, 2, 59. Sensus est: *Er weiſs den Namen nicht; das ist es*. V. Ind.

31. Sic vett. — Ven. *Accipe et cogn. s.* Vulg. et Pall. *Accipe, cognosce s.* — Vett. *Eho*. Vulg. et Ven. *Oho*, uti et Pall.

32. Omnes: *Purus putus est ipsus* ut infra IV, 7, 104. *Purus putus hic sycophanta est*, brevi syllaba *pu* in *putus*, quam lexica producunt. Both. *putust*. Idem IV, 7, 104, omittit *hic*.

33. *dedisse* duabus enuntiandum. Cf. Bacch. 4, 3, 51. Amph. 2, 2, 138. Men. 4, 3, 15 et saepius, ut non esse dubium debeat. Vid. Ind.

Póstquam Polymachaéroplacidae élocutus nómen es.
BA. Séd quid agit? *SI.* Quod homo édepol fortis átque bellatór probus.
Séd propera hanc perlégere, quaeso, epístolam, (ita negótium est)
Átque accipere argéntum actutum, múlieremque emíttere:
Nám necesse hodié Sicyoni me ésse, aut cras mortem éxsequi:
Íta herus meus est ímperiosus. *BA.* Nóvi; notis praédicas.
SI. Própera pellegere érgo epistolam. *BA.* Íd ago, si taceás modo.
„Milés lenoni Bállioni epístolam
Conscríptam mittit Pólymachaeroplácides,
Imágine obsignátam, quae inter nós duo
Convénit olim.“ *SI.* Sýmbolum est in epístola.
BA. Video ét cognosco sígnum. Sed in epístola
Nullám salutem míttere' scriptám solet?
SI. Ita mílitaris dísciplina est, Bállio:
Manú salutem míttunt benevoléntibus;
Eádém malam rem míttunt malevoléntibus.
Sed ut óccepisti, pérge operam experírier,
Quid epístola ista nárret. *BA.* Auscúltá modo.
„Harpáx calator méus est, ad te quí venit....“
Tune és is Harpax? *SI.* Égo sum, atque ipse harpáx quidem.
BA. „Qui epístolam istam fért; ab eo argentum áccipi
Et cúm eo simitu múlierem mittí volo.
Salútem scriptam dígnum est dignis míttere;
Te si árbitrarem dígnum, misissém tibi.“
SI. Quid núnc? *BA.* Argentum dés, abducas múlierem.
SI. Utér remoratur? *BA.* Quín sequere ergo intró. *SI.* Sequor.

ACTUS IV. SCENA III.

PSEUDOLUS.

Peiórem ego hominem mágisque vorsuté malum
Nunquam édepol quemquam vídi, quam hic est Símmia;
Nimisque égo illum hominem métuo et formidó male,
Ne málus item erga mé sit, ut erga illúm fuit:
Ne in ré secunda núnc mi obvortat córnua,

35. Vulg. *Sed quid agit is? SY. Quod homo ed. f.* ut et vett. et Ven.

36. *ita negotium est* vide et Mil. 2, 6, 43. et Bacch. 4, 3, 118.

37. Omnes *mihi* ante *emittere.*

39. *notis praedicas*, narras haec mihi qui probe eum novi. Nam et qui novit, notus dicitur.

40. Omnes: *Propera pellegere epistolam ergo.* Ut forsitan legendum sit: *Propera legere ep. ergo.* Nostr. Both.

43. Omnes: *imaginem obsignatam.* Nostr. Both.

47. *disciplina*, usus, consuetudo, mos. Cf. Cist. I, 1, 17.

48. *manu*, armis. Supple: non verbis.

49. *Eádem* sc. manu.

53. Verba: *atque ipse harpax quidem* seorsum dicit, ut ἅρπαξ sit i. q. praedo, qui praedam abducit aut abducturus est.

ACT. IV. SC. III. Pseudolus anxium se esse prodit de eventu.

4. *illum*, Ballionem.

5. *in re secunda*, quum nunc omnia

Si occásionem cápsit, qui siét malus.
Atque édepol equidem nólo: nam illi béne volo.
Nunc ín metu sum máxumo, triplicí modo.
Primum ómnium iam hunc cómparem metuó meum,
Ne déserat nunc me, átque ad hostis tránseat.
Metuo aútem, ne herus rédeat etiamdum á foro:
Ne cápta praeda cápti praedonés fuant.
Quom haec métuo, metuo, ne ílle huc Harpax ádvenat,
Priusquam hínc hic Harpax ábierit cum múliere.
Perii hércle, nimium tárde egrediuntúr foras!
Cor cólligatis vásis exspectát meum,
Si nón educat múlierem secúm simul,
Ut éxulatum ex péctore aufugiát meo.
Victór sum: vici caútos custodés meos!

ACTUS IV. SCENA IV.

SIMMIA. PHOENICIUM. PSEUDOLUS.

Si. Ne plóra: nescis, út res sit, Phoenícium;
Verum haúd multo post fáxo scibis áccubans.
Non égo te ad illum dúco dentatúm virum
Macedóniensem, quí te nunc flentém facit;
Quoiam ésse te vis máxume, ad eum dúco te.
Calidórum haud multo póst faxo amplexábere.
Ps. Quid tu íntus, quaeso, désedisti? Quám diu
Mihi cór retunsum est óppugnando péctore!
Si. Occásionem réperisti, vérbero,
Ubi pérconteris me, ínsidiis hostílibus?
Quin hínc metimur grádibus militáriis?
Ps. Atque édepol, quamquam néquam homo es, recté mones.
Ite hác, triumphi, ad cántharum rectá via!

---

sint in secundo cursu. *mihi obvertat cornua*, contra me ipsum hostiliter agat, me lenoni prodat.

6. *qui siet malus*, h. e. qua mihi nocere possit.

7. *nolo* sc. erga illum malus esse, licet possim.

10. *nunc*, quod deest in Pall. vulg. et Ven., addunt vett. bene, magis etiam propter sensum, quam versum.

11. *herus*, Simo, ne omnem rem evertat, lenonique indicet.

13. *advenat*. Sic V. C. et Both. — Vulg. et vett. *adveniat*, Ven. *veniat*.

16. *conligatis vasis* sc. ad iter paratis, ut, nisi mulierem educat, exulet cor.

Act. IV. Sc. IV. Simmia educit Phoenicium. Abeunt cum Pseudolo.

2. *adcubans*, cum Calidoro.

3. *dentatum*, efferum, similem canis.

5. *Quoiam*, i. e. cuius propriam.

9. Tribuenda haec Simmiae, qui carpit Pseudolum tamquam stultum, qui loco incommodissimo eum moretur. Sensus: tu vero aptam occasionem locumque elegisti, ubi me percontteris, quum hic inter insidias hostiles versemur. Potius hinc facessamus gradibus militariis, h. e. celerrimis. — Falso Both. vss. 9 et 10 Pseudolo tribuit.

13. *Ite hac* etc. Hic versus deest in Ven. et Decurt., legitur in V. C. vett. et vulg., et Lambinus in vetere codice invenit scriptum.

ACTUS IV. SCENA V.

BALLIO.

Ha ha hé! nunc demum mi ánimus in tuto ést loco,
Postquam iste hinc abiit, átque abduxit múlierem.
Libet núnc, venire Pseúdolum, scelerúm caput,
Abdúcere a me múlierem falláciis.
Concéptis hercle vérbis, satis certó scio,
Ego périurare mávellem me míllies,
Quam mi íllum verba pér deridiculúm dare.
Nunc déridebo hercle hóminem, si convénero;
Verum ín pistrinum crédo, ut convenít, fore.
Nunc égo Simonem mi óbviam veniát velim,
Ut méa laetitia laétus promiscám siet.

ACTUS IV. SCENA VI.

SIMO. BALLIO.

Si. Visó, quid rerum méus Ulixes égerit,
Iamne hábeat signum ex árce Ballióni**a**.
Ba. O fórtunate, cédo fortunatám manum,
Simo! *Si.* Quíd est? *Ba.* Iam .... *Si.* Quid iam? *Ba.* Níhil est, quod metuás. *Si.* Quid est?
Venítne homo ad te? *Ba.* Nón. *Si.* Quid est igitúr boni?
Ba. Minaé viginti sánae ac salvae súnt tibi,
Hodié quas abs te est ínstipulatus Pseúdolus.
Si. Velím quidem hercle! *Ba.* Róga me vigintí minas,
Si ille hódie illa sít potitus múliere,
Sive éam tuo gnato hódie, ut promisít, dabit.
Rogáto hercle, obsecro: géstio promíttere:

Act. IV. Sc. V. Gaudet leno, Pseudolum non abduxisse mulierem, exspectatque Simonem.

1. Ven. *Babae:* vett. et vulg. *Hahae.* Pall. *ha he.* Nostr. Both.

3. Omnes edd. *Mihi libet nunc.* At in Pall. abest *Mihi.* — *scelerum caput.* Genitivum esse *scelerum*, intelligitur ex Rud. 4, 4, 54. 55. ubi sequitur *periurii caput.* Alias enim opinari posses, esse neutrum adi. *scelerus*, uti *scelera sinapis*, 3, 2, 29.

4. Omnes: *Et abducere.* Nostr. B.

9. Sensus: Verum credo futurum esse, uti convenit inter eos, ut nimirum Pseudolus, nisi abducat, in pistrinum abducatur.

11. Vulg. *promiscam.* Ven. et Dec. *promiscua.* vett. et V. C. *promisca.* — Promiscam i. e. q. promiscue, h. e. mecum una. Rud. 4, 4, 137.

Act. IV. Sc. VI. Venit Simo, visum, quid egerit Pseudolus. Narrat ei Ballio, abductam iam esse mulierem, et illius viginti minas in tuto esse. Nam Pseudolum frustratum. Quod ni fuerit, promittit se ipsum illas minas viginti esse daturum, et puellam insuper. Stipulatio fit. Advenit verus Harpax.

1. *Viso* locum occupat futuri, uti alia in *so*, velut *conciliasso* etc. *meus Ulysses*, Pseudolus, cui abducenda Phoenicium, quemadmodum Ulysses abduxit Palladium ex arce Troiana. Virg. Aen. 2, 162.

5. *homo*, Pseudolus; tentavitne te fraudare?

7. *quas instipulatus est.* Cf. 1, 5, 122 sqq. Dedi autem lectionem cdd. Pall. omisso *inde.* Nam illi aperte habent *instipulatus.* Vulg. et vett. *Hodie quas abs te inde est stipulatus Ps.* ut videatur tmesis esse facta. Atque Both. *indu est stipul.*

Omníbus modis tibi ésse rem ut salvám scias;
Atque étiam habeto múlierem donó tibi.
Si. Nullúm periclum est, quód sciam, stipulárier,
Ut cóncepisti vérba. Vigintí minas
Dabín'? *Ba.* Dabuntur. *Si.* Hóc quidem actum est haúd male.
Sed hóminem convenístin? *Ba.* Imo ambós simul.
Si. Quid áit? quid narrat, quaéso? quid dicít tibi?
Ba. Nugás theatri, vérba, quae in comoédiis
Solént lenoni díci, quae puerí sciunt:
Malum ét scelestum et périurum aibat ésse me.
Si. Pol haúd mentitust. *Ba.* Érgo haud iratús fui:
Nam quánti refert, té nec recte dícere,
Qui níhili faciat, quíque inficias nón eat?
Si. Quid est, quód non metuas áb eo? id audire éxpeto.
Ba. Quia núnquam abducet múlierem iam, néc potest,
Ab mé. Meministin' tíbi me dudum dícere,
Eám venisse míliti Macedónio?
Si. Memini. *Ba.* Hem, íllius servos húc ad me argentum áttulit
Et óbsignatum sýmbolum.... *Si.* Quid póstea?
Ba. Qui intér me atque illum mílitem convénerat.
Is sécum abduxit múlierem haud multó prius.
Si. Bonán' fide istuc dícis? *Ba.* Unde ea sít mihi?
Si. Vide módo, ne illic sit cóntechnatus quídpiam.
Ba. Epístola atque imágo me certúm facit.
Quin iám quidem illam in Sícyonem [ex urbe] abduxít modo.
Si. Bene hércle factum! Quíd ego cesso Pseúdolum
Facere, út det nomen ád molarum colóniam?
Sed quís hic homo est chlamydátus? *Ba.* Non edepól scio,
Nisi ut óbservemus, quó eat, aut quam rém gerat.

---

11. *obsecro* correptim, ut Mil. 2, 6, 61. Poen. 5, 4, 36. Vid. Ind.

14. Sensus: Non est quare non stipuler in hunc modum.

16. *Hoc*, i. haec stipulatio.

17. *hominem*, Pseudolum. *ambos*, Pseudolum et Calidorum; respicit autem ad *I*, 3, 135—150, quae dudum ante acta. Fortasse ergo locus supposititius usque ad v. 25 aut 26.

21. Haec tamen videntur respicere ad IV, 2, 19.

23. Sensus: Nam stultum est, te eum increpare, qui criminationes nihili facit, neque negat.

25. *ab eo*, sc. Pseudolo.

26. Omnes: *Quia numquam ab me abducet mulierem iam, nec potest.* Transposui vv. *ab me.* Both. *Quia numquam mulierem a me abducet*, nec *potest* — *Iam* etc.

27. *dudum*, i. paullo ante.

28. Deest ad versum aliquid, fortasse *Simo* ab initio.

33. *unde sit mihi*, sc. bona fides, quae nulla est apud lenonem.

36. Omnes: *ex urbe adduxit modo.* Both. *Quin quidem illam in Sicyonem ex urbe abduxit modo.* Et Pall. *qui quidem illam iam adduxit.* Lambinus: *abduxit.* Ego eiiciendum puto: *ex urbe.*

38. Vulg. et Ven. *Facere, ut det nomen ad molarum coloniam.* Vett. *ad molariam coloniam.* Lamb. et Pall. *ad molas col.* quod Bothius, ut *molas* sit genitivus pro *molae.* Alii tamen appositionem existimant, quasi colonia fuerit Molae vocata: *ad Molas coloniam.* Ego ex vulgata nihil muto, ratus *molarum* fortasse contracte preferendum, uti sane quibusdam locis factum esse videtur, ut non solum masculina, sed et foeminina in genitivo plurali contraherentur. Sed fortasse et in *coloniam* prior syllaba elisa fuerit. Constructio

ACTUS IV. SCENA VII.

HARPAX. SIMO. BALLIO.

Ha. Málus et nequam est hómo, qui nihili impérium heri suí facit servos;
Níhili est autem, suúm qui officium fácere immemor est, nísi admonitus.
Nam quí liberós illicó se arbitrántur,
Ex cónspectu herí si suí se abdidérunt,
Luxúriant, lustrántur, edúnt, quod habént,
Ii nómen diú servitútis ferúnt.
Néc boni ingénii quidquam hís inest, nísi uti
Ímprobis se ártibus téneant. Cum hís mihi
Nec lócus nec sermo cónvenit, neque his únquam nobilis fúvi.
Ego, út mihi imperátum, etsi abést, hic adésse herum
Árbitror. Núnc ego illum métuo, quom hic nón adest;
Né, quum adsít, metuam, eí rei operám dabo.
Nám me in tabérna usque adhúc siverát Syrus,
Quoí dedi sýmbolum. Mánsi, uti iússerat.
Léno ubi essét domi, me aíbat arcéssere.
Vérum ubi is nón venit, néc vocat: vénio huc ultro,
Út sciam, quid réí sit: ne illic homó me ludificétur;
Neque quídquam est melius, quám ut hoc pultem, atque áliquem huc evocem íntus.
Léno argentum hóc volo
Á me accipiat átque amittat múlierem mecúm simul.
Ba. Heús tu! *Si.* Quid vis? *Ba.* Híc homo meus est. *Si.* Quídum? *Ba.* Quia praeda haéc mea est:
Scórtum quaerit; hábet argentum. Iam ádmordere hunc míhi lubet.
Si. Iamne íllum comésurus és? *Ba.* Dum recéns est.
Dúm datur, dúm calet, dévorarí decet.
Nám boni mé viri
Paúperant;
Ímprobi alúnt,
Augént rem meám [mali].
Poplí strenuí
Dámno mihi, ímprobi úsui súnt. *Si.* Malum
Quód tibi dí dabunt, quí sic sceléstus.

autem: Sed quid ego cesso curare ut Pseudolus in pistrinum mittatur, ubi sunt molae.

Act. IV. Sc. VII. Advenit Harpax verus. Ballio supposititium credit. Denique se deceptum sentit. Ergo abit, in fore argentum ei redditurus.

1. Similia vide Stich. 1, 2, 1. — Omnes: *servus facit.*

2. Ven. et vulg. et Decurt. *nisi adeo monitus.* Vett. et V. C. *nisi est admonitus.* Nestr. Both.

3. Omnes: *liberos esse illico.*

5. Omnes: *Luxuriantur, lustrantur, comedunt, quod habent.* Fortasse totus omittendus versus.

7. Omnes: *in his inest, nisi ut.*

9. *nobilis*, notus, ut supra *ingnobilis* pro *ignotus*, IV, 2, 9.

10. Omnes: *imperatum est.*

15. *me aibat arcessere*, me vocaturum se promiserat.

18. Omnes: *evocem hic intus*, aut: *evocem huc intus.* Ven. *e. hinc intus.*

21. *Heus tu*, ad Simonem.

25. *boni*, qui nihil prodigunt.

27. *improbi*, prodigi me alunt.

28. Patet *mali* abiiciendum.

HA. Me núnc commorór,
Quum hás hic forés
Nón ferio, utí sciam, sítne Balló domi.
BA. Venus mihi haéc bona dat, quom hos lúcrifugas,
Damní cupidos adigít, qui se suamque aétatem bene cúrant;
Edúnt, bibunt, scortántur. Illi sunt álio ingenio, átque tu,
Quí neque tibi bene ésse patere, et íllis, quibus est, ínvides.
HA. Heús, ubi estis vós? *BA.* Hic quidem ad me récta habet rectám viam.
HA. Heús, ubi estis vós? *BA.* Adulescens, quíd istic debetúr tibi? —
Béne ego ab hoc praedátus ibo. Nóvi: bona scaeva ést mihi.
HA. Écquis hoc aperit? *BA.* Heús, chlamydate, quíd istic debetúr tibi?
HA. Aédium dominúm lenonem Bállionem quaérito.
BA. Quísquis es, aduléscens, operam fác compendi quaérere.
HA. Quíd iam? *BA.* Quia te is ípsus coram praésens praesentém videt.
HA. Tún' is es? *SI.* Chlamydáte, cave, sis, tibi á curio infortúnio,
Átque in hunc inténde digitum: hic léno est. *BA.* At hic est vir probus;
Séd tu, bone vir, flágitare saépe clamore in foro,
Quúm libella núsquam est, nisi quid léno hic subvenít tibi.
HA. Quín tu mecum fábulare? *BA.* Fábulor. Quid vís tibi?
HA. Árgentum accipiás. *BA.* Iamdudum, sí des, porrexí manum.
HA. Áccipe. Hic sunt quínque argenti léctae numeratae minae.
Hóc tibi herus me iússit ferre Pólymachaeroplácides,
Quód deberet, átque ut mecum mítteres Phoenícium.
BA. Hérus tuus? *HA.* Ita díco. *BA.* Miles? *HA.* Íta loquor. *BA.* Macedónius?
HA. Ádmodum, inquam. *BA.* Te ád me misit, Pólymachaeroplácides?
HA. Véra memoras. *BA.* Hóc argentum ut míhi dares? *HA.* Si tú quidem es
Léno Ballio. *BA.* Átque ut a me múlierem tu abdúceres?
HA. Íta. *BA.* Phoenicium ésse dixit? *HA.* Récte meministí. *BA.* Mane:

31. *Malum quod* etc. i. e. q. malum tibi dii dabunt. Cf. Amph. II, 1, 13 et Most. III, 1, 122. *Malum quod isti di deaeque omnes duint!* Apparet *quod* pleonastice adiectum.

33. Addidi *hic*.

35. Vulg. *quum hos huc adigit lucrif. damnicupidos*. Nostr. e coniectura.

36. *damni* sc. quod faciant, dum prodigant aliquid.

39. *Heus, ubi estis vos*, sc. servi Ballionis. Accessit enim ad eius aedes, pultatque.

40. Omnes: *Heus, adolescens*.

41. *scaeva*, i. omen. Vett. *coena*.

45. *is* addunt vett. Deest in vulg. et Ven. et Pall.

46. Non clare elocutus fuerat Ballio, ipsene esset Ballio, an Simo esset. Itaque Harpax Simonem esse ratus, hunc alloquitur, quaeritque ex eo, an ipse sit Ballio. Sic autem Vulg. vett. Ven. et *curium infortunium* est i. q. infortunium macerans, lamentandum. Similiter in Rudente 3, 5, 53. *crassum infortunium*.

48. Haec ad Simonem loquitur. *flagitaris*, cum alicui debes, nec est unde solvas.

49. *leno hic*, i. e. ego.

56. *tu* addidit H. ex Pal.

Iám redeo ad te. *Ha.* At máturate própera: nam properó. Vides,
Iám die multum ésse. *Ba.* Video. Hunc ádvocare etiám volo.
Máne modo istic: iám revortar ád te. — Quid nunc fít, Simo?
Quíd agimus? manuféesto hunc hominem téneo, qui argentum áttulit.
Si. Quíd iam? *Ba.* An nescis, quaé sit haec res? *Si.* Iúxta cum ignaríssumis.
Ba. Édepol hominem vérberonem Pseúdolum! ut docté dolum
Cómmentust! tantúndem argenti, quántum miles débuit,
Dédit huic atque hominem éxornavit, múlierem qui arcésseret.
Pseúdolus tuus állegavit húnc, quasi a Macedónio
Milite esset. *Si.* Hábesne argentum ab hómine? *Ba.* Rogitas, quód vides?
Si. Heús, memento ergó dimidium istínc mihi de praedá dare.
Cómmune istuc ésse oportet. *Ba.* Quíd? malum? Id totúm tuum est.
Ha. Quám mox mi operam dás? *Ba.* Tibi do equidem. — Quid nunc mi es auctór, Simo?
Si. Éxploratorem húnc faciamus lúdos suppositícium
Ádeo, donicum ípsus sese lúdos fieri sénserit.
Ba. Séquere. — Quid ais? Némpe tu illius sérvos es? *Ha.* Planíssume.
Ba. Quánti te emit? *Ha.* Suárum in pugna vírium victória:
Nám ego eram domi ímperator súmmus in patriá mea.
Ba. Án etiam ille unquam éxpugnavit cárcerem, patriám tuam?
Ha. Cóntumeliám si dices, aúdies. *Ba.* Quotumó die
Éx Sicyone huc pérvenisti? *Ha.* Áltero ad merídiem.
Ba. Strénue me hércle isti. — Quámvis pernix hic homo est!
Úbi suram adspiciás, scias, posse eum gérere crassas cómpedes. —
Quíd ais? tune etiám cubitare sólitus in cunís puer?
Si. Scílicet. *Ba.* Etiámne facere sólitus es? scin', quíd loquar?
Si. Scílicet solitum ésse. *Ha.* Sanine éstis? *Ba.* Quid hoc, quod té rogo?
Nóctu in vigiliám quando ibat miles, tum tu ibás simul?
Cónveniebatne ín vaginam túam machaera mílitis?
Ha. Í in malam crucem! *Ba.* Íre licebit tíbi tamen hodie témperi.
Ha. Quín tu mulierém mi emittis? aút redde argentúm. *Ba.* Mane.
Ha. Quíd maneam? *Ba.* Chlamydem hánc commemores, quánti conducta ést. *Ha.* Quid est?

59. Ita Ven. et Dec. — Vulg. et vett. *Phoeniciumne.*

61. *die* pro *diei.* V. Gellium.

62. Vulg. vett. *fiet*, ut et Ven. et Pall.

63. *teneo*, h. e. deprehendi, eum esse a Pseudolo suppositum.

66, 71. Quo pacto dimidium, et quo totum, non appareat ex antecedentibus. Ergo verba *id totum tuum est* referenda ad *malum*, quod totum sit esse Simonis. Ceterum et totum eatenus dici possit esse Simonis, quia iam non opus habeat numerare viginti minas, et ergo totum retineat.

73. Omnes *ludo supposititium.*

81. *isti*, i. ivisti. — Omnes: *Quamvis pernix hic est homo.*

84. Hic versus ab codice Lambini aberat.

89. Omnes: *aut reddis.* Nostr. Both.

90. *commemores*, dicas, quanti conduxeris chlamydem.

BA. Quíd meret machaéra? *HA.* Helleborum hisce hóminibus opus ést. *BA.* Eho....
HA. Mítte. *BA.* Quid mercédis petasus hódie domino démeret?
HA. Quíd, domino? quid sómniatis? Méa quidem haec habeo ómnia,
Méo peculio émta. *BA.* Nempe, quod fémina summa sústinent.
HA. Únoti hi sunt senés: fricari sése ex antiquó volunt.
BA. Résponde, obsecro hércle, hoc vero sério, quod té rogo:
Quíd meres? quantíllo argento té conduxit Pseúdolus?
HA. Quí istic Pseudolúst? *BA.* Praeceptor túus, qui te hanc falláciam
Dócuit, ut falláciis hinc múlierem a me abdúceres.
HA. Quém tu Pseudolúm, quas tu mihi praédicas fallácias,
Quem égo hominem nullíus coloris nóvi? *BA.* Non tu istínc abis?
Níhil est hodie hic sýcophantis quaéstus. Proin tu Pseúdolo
Núnties, abdúxisse alium praédam, qui occurrít prior
Hárpax. *HA.* Is quidem édepol Harpax égo sum. *BA.* Imo edepol ·ésse vis. —
Púrus putus hic sýcophanta est. *HA.* Égo tibi argentúm dedi,
Ét dudum adveniéns extemplo sýmbolum servó tuo,
Héri imagine óbsignatam epístolam, hic ante óstium.
BA. Méo tu epistolám dedisti sérvo? quoi servó? *HA.* Syro.
BA. Nón confidit: sýcophanta hic néquam est: meditatúr male:
Nam íllam epistolam ípsus verus Hárpax huc ad me áttulit.
HA. Hárpax ego vocór; ego servos súm Macedonis mílitis;
Égo nec sycophántiose quídquam ago, nec málefice,
Néque istum Pseudolúm, mortalis quí sit, novi néque scio.
SI. Tú, nisi mirum est, léno, plane pérdidisti múlierem.
BA. Édepol nae istuc mágis magisque métuo, quum verba aúdio.
SI. Míhi quoque edepol iámdudum ille Sýrus cor perfrigéfacit,
Sýmbolum qui ab hóc accepit. Míra sunt, ni Pseúdolust.
Ého tu, qua facié fuit dudum, quoí dedisti sýmbolum?
HA. Rúfus quidam, véntriosus, crássis suris, súbniger,
Mágno capite, acútis oculis, óre rubicundo, ádmodum
Mágnis pedibus. *BA.* Pérdidisti, póstquam dixistí pedes!
Pseúdolus fuit ípsus. Actum est dé me! Iam moriór, Simo!
HA. Hércle haud te sinam émoriri, nísi mi argentum rédditur,

94. *Nempe* etc. nempe eo peculio haec emisti, quod est tibi in summis femoribus, dum passus es te paedicari.
99. Omnes: *a me mulierem abd.* Nostr. Both.
101. *coloris.* Cf. Curc. 2, 1, 17. Mil. 4, 4, 43.
102. Ven. Pall. vett. *proin.* Vulg. *Potin'*.
105. Et hic, ut supra IV, 2, 32. *putus* corripi videtur. Both. tamen omisit *hic.*
106. *dudum*, paullo ante.
109. Sic edd., quae omnes post *nequam est* addunt *nugis.* Sensus: Namquam Syro tantum confidit, ut daret epistolam. — Post hunc versum in vulg. Pall. vett. Ven. repetuntur versus tres qui supra iam leguntur 65—67, nisi quod hic legitur: *mulierem qui abduceret.* Omisit Bothius.
117. *ab* addidit Bothius. Deest in libris et edd. — De dictione *Mira sunt* v. Ind.
118. *dudum*, paullo ante is, cui etc.
121. *Perdidisti — pedes.* Ego haec quoque Ballioni tribuenda censeo, ut sequentia. Nam edd. Simoni tribuunt.
123. Edd. *nisi argentum mihi redditur.*

Víginti minae. *Si.* Átque etiam mihi áliae vigintí minae.
Ba. Aúferetur praémium id a me, quód promisi pér iocum?
Si. De ímprobis virís auferri praémium et praedám decet.
Ba. Sáltem Pseudolúm mihi dedas. *Si.* Pseúdolum ego dedám tibi?
Quíd deliquit? Díxin', ab eo tibi út caveres, céntíes?
Ba. Pérdidit me. *Si.* At mé viginti módicis multavít minis.
Ba. Quíd nunc faciam? *Ha.* Sí mi argentum déderis, te suspéndito.
Ba. Dí te perdant! Séquere, sis, me ergo ád forum, ut solvám. *Ha.* Sequor.
Si. Quíd ego? *Ba.* Peregrinós absolvam; crás agam cum cívibus.
Pseúdolus mihi cénturiata hábuit capitis cómitia,
Qui íllum ad med hodie ádlegavit, múlierem qui abdúceret. —
Séquere tu. Nunc ne éxspectetis, dum hác domum redeám via:
Íta res gesta est, ángiporta haec cértum est consectárier.
Ha. Sí graderere tántum, quantum lóquere, iam esses ád forum.
Ba. Cértum 'st mi, hunc emórtualem fácere ex natalí die.

ACTUS IV. SCENA VIII.

SIMO.

Béne ego illum tetigí, bene autem sérvos inimicúm suom!
Núnc mihi certum est, álio pacto Pseúdolo insidiás dare,
Quam ín aliis comoédiis fit, úbi cum stimulis aút flagris
Ínsidiantur; át ego [iam] inultus prómam vigintí minas,
Quás promisi, si éffecisset; óbviam ei ultro déferam.
Nímis illic mortális doctus, nímis vorsutus, nimis malus.
Súperavit Dolúm Troianum átque Ulixem Pseúdolus.
Núnc ibo intro: argéntum promam; Pseúdolo insidiás dabo.

ACTUS V. SCENA I.

PSEUDOLUS.

Quid hóc? siccine hóc fit, pedés? statin', án non?
An íd voltis, út me hic iacéntem aliquis tóllat?
Nam hércle si cécidero, vóstrum erit flágitium.

125. Edd. *id praemium.* Nostr. B.

128. *tibi* elidendum.

132. Ven. B. *Quid ego peregrinos abs.* Vulg. et vett. *Hodie ego per.* Nostr. Bothius.

136. *dum* pro *ut*, quemadmodum *quum* interdum in praesenti, ut Aul. Prol. 4.

139. Vulg. *Certum est mihi emort.* Vett. et Ven. addunt *hunc*, uti et Pareus, nulla nota.

Act. IV. Sc. VIII.

1. *illum*, Ballionem, de viginti minis.

3. Edd. *in aliis com.*

4. Omnes edd. *at ego iam inultus.* — *inultus*, ita ut non ab eo poenas sumam.

8. *insidias*, nimirum tales, quas dixerat se daturum versu 2.

Act. V. Sc. I. Narrat Pseudolus, quam laete se habuerint in convivio. Deinde Simonem evocari iubet.

Pérgitin' pérgere? Ah, saéviundúm mihi
Hodie ést. Magnum hoc vitiúm vino est:
Pedés captat prímum: luctátor dolósust.
Profécto edepol égo nunc probe ábeo madúlsa:
Ita víctu excuráto, ita múndiciis dígne, ah,
Itaque ín loco festívo sumus féstive accépti!
Quid opús, multas me agere ámbages?
Hoc est hómini, quamobrem amét vitam!
Hic omnés voluptates, in hóc omnes
Venústates súnt.
Deís proxumum ésse arbitrór.
Nam úbi amans complexúst amantem, úbi labra ad labélla adiungit;
Úbi alter alterúm bilingui mánifesto inter sé prehendunt:
Úbi mamma mammílla opprimitur ália, aut, si lubet, córpora
Cónduplicánt; manu' cándida cántharum
Dúlciferúm propináre, amicíssumam
Amícitiám, neque ibi ésse alium álii odio,
Ibí nec moléstum nec sérmonibús
Mórologís utí:
Unguénta atque odóres, lemníscos, corólIas
Darí dapsilés; non ením parciprómi
Victú ceteró.
Ne quís me rogét:
Hoc égo modo atque herús minor hanc diem súmsimus prothýme.
Póstquam opus meum, út voluí, omne pérpetravi, hostíbus fugatis:
Illós adcubántes, potántes, amántes
Cum scórtis relíqui et meúm scortum ibídem,
Córdi atque ánimo suó obsequéntes.
Sed póstquam exsurréxi: oránt me, uti sáltem.
Ad húnc modum me íntuli, illis út satisfácerem
Éx disciplína:
Quíppe ego quí probe pérdidici Iónica.
Sed pálliolátim
Amíctus sic hác ludibúndus incéssi.
Plaudúnt; [partim] clamitánt me, ut revórtar. Occépi;
Hóc modo vólvi; item amícae dabám me
Meae, út med amáret. Ubí circumvórtor,

4. *Saeviundum*, sc. in pedes meos.

7. Vulg. *abeo madulsa.* Vett. et Ven. et Pall. *habeo madulsam.* Verum Festus ait *madulsam* idem esse, quod *ebrium*. Descendit autem a v. *madere.*

8. Vett. *digni ah!* Ven. et Decurt. *ita magnis munditiis digni, ah* etc. Nostr. vulg.

10. Edd. *me multas.* Nostr. B.

11. Edd. *vitam amet.* Nostr. B.

15. In his pro *ubi* Both. *ibi.* At potest in seqq. apodosis esse a verbo: *Manus cand.* v. 18 ut infinitivi pro definitis positi sint.

17. Pro *mamilla* vett. et vulg. et Pall. *manicula.* Veneta autem: *ubi manu mamilla opprimitur, ac etiam si lubet* c. c.

18. *manu'* sic B. pro *manus.* Edd. *manu.*

33. Edd. *ut illis.*

34. *ex disciplina*, pro more consueto, ad iustam normam, ad legem artis.

35. Edd. *Ionica perdidici.*

37. Edd. *incessi ludibundus.*

38. Edd. *omnes: partim.* — Post *occepi* edd. *denuo.*

Cado. Íd fuit naénia lúdo.
Ítaque, dum enitór: pax! iam pene ínquinavi páliium.
Nimiaé tum volúptati pól fui.
Ob cásum datúr cantharús; bibi.
Commúto illicó pallium; íllud posívi;
Inde húc exií, crapulám dum amovérem.
Núnc ab hero ad herum méum maiorem vénio foedus cómmemoratum.
Áperite, aperite, heús, Simoni, méd adesse, quis núntiate!

ACTUS V. SCENA II.

SIMO. PSEUDOLUS. BALLIO.

Si. Vóx viri péssumi me éxciet fóras.
Séd quid hoc? quómodo? quíd video égo?
Ps. Cúm corona ébrium Pseúdolum túum.
Si. Líbere hercle hóc quidem! — Séd vide státum!
Núm mea grátia pértimescít magis?
Cógito, saéviter blánditerne ádloquar.
Sed hoc mé vetat vim fácere nunc,
Quód fero, sí qua in hoc spés sitast míhi.
Ps. Vir málus viro optumo óbviam it.
Si. Dí te ament, Pseúdole. Phuí, in malám crucem!
Ps. Cur égo me adflicter? *Si.* Quíd, malum, ergo in ós mi inructas ébrius?
Ps. Mólliter síste nunc mé! cave, né cadam!
Non vides med, ut madidé madeam?
Si. Quae ístaec audácia est, té sic intérdius
Cúm corolla ébrium incédere? *Ps.* Lúbet.
Si. Quíd? lubet? Pérgin' ructáre in os mihi?
Ps. Suávis ructús mihi est. Síc sine módo.
Si. Credo équidem, posse té, scelus,
Mássici móntis ubérrumos quátuor
Frúctus ebíbere in horo úna. *Ps.* Hiberna, áddito.
Si. Haud mále mones. Sed díc tamen,
Únde onustám celocem ágere te praédicem?
Ps. Cúm tuo fílio pérpotaví modo.

43. Edd. *edepol.*
46. *Inde* vett. et Ven. — Vulg *unde.*
Act. V. Sc. II. Ebrius hero suo occurrit Pseudolus, argentum ab eo accipit, Ballionemque ad convivium abducit. — Ceterum non omnia integra esse in hac scena facile quivis videt. Unde enim v. 36 Ballio veniat, non apparet. Alia perversa leguntur v. 44. Amoira autem v. 38. Denique canticum in fine prorsus contra morem. Ut non dubium sit, hic interpolatoris manum agnosci.
2. *quid video ego?* Sic vett. — Vulg. et Ven. et Pall. *quid tu vides ego?*
7. *hoc*, sc. argentum.
8. *in hac* sc. Pseudolo, quin cogar dare argentum.
10. *Phui!* cogitandus Pseudolus inructasse Simoni in os.
11. Edd. *afflictor?* Sensus: cur abeam in malum? — Edd. *Quid tu, malum, ergo in os mihi ebrius inructas?*
18. Edd. *potesse te.*
22. Sensus: Unde dicam te nunc venire?

Séd, Simo, út probe táctus est Bállio!
Quaé tibi díxi, ut éffecta réddidi!
Si. Dérides? — Péssumus. *Ps*. Múlier haec, féci ego,
Cúm tuo fílio líbera adcúbet.
Si. Omnia, ut quídque egisti, órdine scío.
Ps. Quid érgo dubitas dáre mi argentum? *Si*. Iús petis, fateór. Tene.
Ps. Tamén das?
Át negabás daturum ésse te míhi. —
Onera húnc hominem atque me cónsequere hac.
Si. Ego istum ónerem? *Ps*. Onerabís, scio.
Si. Quíd ego huic homini fáciam? satin' ultro árgentum aufert ét me inridet?
Ps. Vae víctis! Vorte ergo húmerum. Hem!
Ba. Hoc égo nunquam ratus súm fore me, ut
Tibi fíerem supplex. Heú, heu! heu!
Ps. Desíne. *Ba*. Doleo. *Ps*. Ni doleres tu, ego dolerem.
Ba. Quid? hóc auferén', Pseudole, ábs tuo heró?
Ps. Lubéntissumó corde átque animó.
Ba. Nón audes, quaeso, áliquam partem míhi gratiam facere hínc argenti?
Ps. Nóvi, me dicés avidum esse: nam hínc nunquam eris numó divitior.
Néque te mei tergí misereret, sí hoc non hodie éffecissem.
Ba. Érit, ubi te ulciscár, si vivo! *Ps*. Quíd minitare? Hábeo tergum.
Ba. Áge sane. Ps. Igitur rédi. *Ba*. Quid redeam? *Ps*. Rédi modo: non éris deceptus.
Ba. Rédeo. *Ps*. Simul mecum í potatum. *Ba*. Égone eam?
Ps. Fac, quód te iubeo.
Si ís, aut dimidium aút plus etiam fáxo hinc feres. *Ba*. Eo. Dúc me, quo vis.
Ps. Quíd nunc?
Númquid irátus es aút mihi aut fílio
Própter has rés, Simo? *Si*. Níl profectó. *Ps*. I hac.
Ba. Té sequor. Quín vocas spéctatorés simul?
Ps. Hércle me isti haúd solent; neque érgo ego istós volo.
Vérum si vóltis adplaúdere atque ádprobare
Húnc gregem et fábulam, in
Crástinum vós vocábo.

24. Edd. *tactus Ballio est.*
26. Edd. *pessimus homo est.* Suppl. *es.* In fine addidi *ego.* Feci ego, ut mulier iam libera cum tuo filio accubet.
30. *Tamen das?* Haec in edd. post *te mihi* seq. vs. leguntur.
32. *hunc hominem*, i. Ballionem, sc. argento.
34. Edd. *et arg. auf. et m. inr.*
35. *vorte*, sc. Ballio. Sed hic omnis locus non sane videtur expers esse corruptelae. Certe v. 38 videtur esse corruptus, nec sensus undecunque bene habet aut perspicuus est.
44. *habeo tergum*, sc. quo possim poenas dare, si opus sit.
46. Ven. et vulg. et Pall. non habent *I.* Vett. *i simul mec. pot.*
48. Hi versus aut cretici sunt, aut Bacchici, prout v. *Quid nunc?* segreges aut iungas sequentibus. At in bacchiacis dividendum verbum *filio;* quamobrem praeferendi videntur cretici, licet hi quoque incommoditatem habeant in fine.
52. Edd. *solent vocare*, *neque ergo ego istos.* Addidi *volo*, elisum per seq. *verum.*

METRORUM IN PSEUDOLO
DESCRIPTIO.

Act. I. Sc. I. sunt trimetri iamb.
Act. I. Sc. II. v. 1—5 tetr. spondiaci acatal.
v. 6 dimeter creticus.
v. 7—9 cretici tetr.
v. 10 iamb. tetr. hyperm.
v. 11, 12 troch. tetr. acatal.
v. 13, 14 tetr. troch. catal.
v. 15—29 tetr. iamb. partim acat. partim catal. partim hyperc.
v. 30—37 tetr. troch. acatal. praeter v. 32 qui catal.
v. 38—40 tetr. iamb.
v. 41—52 tetr. troch. acat.
v. 53, 54 tetr. iamb. acat.
v. 55 dimeter iamb. catal.
v. 56—58 tetr. iamb.
v. 59, 60 dimetri iamb.
v. 61 tetr. iamb. acat.
v. 62 senarius iamb.
v. 63—74 tetr. troch.
v. 75 dimeter iamb. cat.
v. 76 dimeter troch. cat.
v. 77 dimeter iamb.
v. 78 dim. troch.
v. 79—86 tetr. troch. praeter v. 81, qui est dimeter.
v. 87, 88 tetr. iamb. hyperc.
v. 89—97 tetr. troch.
Act. I. Sc. III. 1—10 tetr. troch. acat.
v. 11, 12 dimetri troch.
v. 13—15 dimetri anapaest.
v. 16, 17 dimetri troch.
v. 18 dimeter bacch.
v. 19 tetr. bacch.
v. 20—22 tetr. cret.
v. 23 cret. monom.
v. 24 dipodia bacch. cat.
v. 25, 26 dimetri troch.
v. 27—31 tetr. bacch.
v. 32 dim. cret. catal.
v. 33 dim. cret.
v. 34 tripod. iamb.
v. 35, 36 tetr. bacch.
v. 37—39 tetr. cret. quorum unus imminutus.
v. 40, 41 dimetri cret.
v. 42 tetr. bacch.
v. 43 dim. cret.
v. 44 dimeter creticus.
v. 45 monometer choriamb.
v. 46—174 tetr. troch. catal.
Act. I. Sc. IV. et V. iamb. senar.
Act. II. Sc. I. 1, 2 tetr. anap. acat.
v. 3, 4 tetr. anap. hyperc.
v. 5—11 dimetri anap. praeter inclusos, qui sunt spurii.
v. 12, 13 troch. tetr. catal.
v. 17—23 tetr. troch. acat.
Act. II. Sc. II., III., IV. tetr. troch.
Act. III. Sc. I. II. senar. iamb.
Act. IV. Sc. I. 1—3 troch. tetr. ac.
v. 4, 5 tetr. anap.
v. 6 tetr. anap. hyperc.
v. 7—10 tetr. troch.
v. 11, 12 tetr. iamb.
v. 13—15 dimetri anapaestico-iamb.
v. 16, 17 tetr. cret.
v. 18 dimeter cret.
v. 19, 20 tetr. iamb.
v. 21 tetr. troch.
v. 22—26 tetr. cret.
v. 27—29 dimetri anap.-iamb.
v. 30 tetr. cret.
v. 31—41 tetr. anapaest.
v. 42—47 dimetri troch.
v. 48—54 tetr. troch.
Act. IV. Sc. II. 1—40 tetr. troch. 41—Sc. VI. senarii iamb.
Act. IV. Sc. VII. 1, 2 tetr. troch.
v. 3, 4 tetr. bacch.
v. 5, 6 tetr. bacch. catal.
v. 7, 8 tetr. cret.
v. 9 tetr. iamb. cat.
v. 10 tetr. bacchiaco-cret.
v. 11—16 tetr. cret.
v. 17 tetr. troch.
v. 18 tetr. iamb.

v. 19 dimeter cret.
v. 20—22 tetr. troch.
v. 23 tetr. bacch.
v. 24 tetr. cret.
v. 25 dimeter cret.
v. 26 monom. cret.
v. 27 monom. choriamb.
v. 28, 29 dochmiaci.
v. 30 tetr. cret.
v. 31 tetr. cret. cat.
v. 32, 33 dochmiaci.
v. 34 tetr. cret.
v. 35 dimeter anapaest.
v. 36 tetr. anapaest.
v. 37 tetr. iamb. acat.
v. 38—139 tetr. troch. catal.
Act. IV. Sc. VIII. tetr. troch.
Act. V. Sc. I. 1—9 bacchiaci.
v. 10—12 anapaest. dimetri.
v. 13 dimeter bacch. cat.
v. 14 trimeter bacch. cat.
v. 15, 16 tetr. troch. ac.
v. 17 tetr. troch. cat.
v. 18—20 tetr. dactylico-cret.
v. 21 tetr. cret. catal.
v. 22 dipodia spond. hyperc.
v. 23, 24 tetr. bacch.
v. 25, 26 dochmiaci.
v. 27 tetr. iamb.
v. 28 tetr. troch.
v. 29, 30 tetr. bacch.
v. 31 cret. tetr.
v. 32, 33 cretici cum anacrusi.
v. 34 dipod. cret. catal.
v. 35 tetr. cret.
v. 36 dactyl. et spond. cum anacrusi.
v. 37, 38 tetr. cret.
v. 39 tetr. cret. cat.
v. 40 tetr. bacch.
v. 41 pausa.
v. 42 tetr. troch.
v. 43, 44 dipod. bacch. cum diiambis.
v. 45, 46 tetr. bacch.
v. 47, 48 tetr. troch.
Act. V. Sc. II. 1—4 cret. tetr. imminuti.
v. 5, 6 cret. tetr.
v. 7 dim. anapaestico-iamb.
v. 8 tetr. cret. imminutus.
v. 9. dipod. iamb.
v. 10 tetr. cret.
v. 11 tetr. iamb. acat.
v. 12 tetr. cret.
v. 13 dim. anapaest.
v. 14—17 tetr. cret. partim imminuti.
v. 18 dipod. iamb.
v. 19, 20 tetr. cret.
v. 21 dimeter iamb.
v. 22—28 tetr. cret. partim imminuti.
v. 29 tetr. iamb.
v. 30 monom. cret.
v. 31 tetr. cret. imminutus.
v. 32, 33 dimetri anapaest.
v. 34 tetr. troch.
v. 35—37 dimetri anap.
v. 38 versus aut spurius aut corruptus.
v. 39, 40 bacch. tetr. catal.
v. 41—47 troch. tetr. acatal.
v. 48 monom. iamb.
v. 49—53 cret. tetr.
v. 54 dimeter cret.
v. 55 creticus cum ditrochaeo.

RUDENS.

DRAMATIS PERSONAE.

ARCTURUS, deus.
SCEPARNIO, servus Daemonis.
PLEUSIDIPPUS, iuvenis.
DAEMONES, senex.
PALAESTRA, puella, Daemonis f. rapta.
AMPELISCA, puella, eius socia.
SACERDOS ANUS.
PISCATORES.
TRACHALIO, servus Pleusidippi.
LABRAX, leno.
CHARMIDES, senex Siculus.
GRIPUS, servus Daemonis.
LORARII, eiusd. servi.

SUMMARIUM.

Daemones est senex, civis olim Atheniensis, qui, amissa in patria re sua familiari, exsul prope Cyrenas habitat, iuxta fanum Veneris. Eius amissam olim filiam, Palaestram, Labrax leno emerat cum alia puella Ampelisca, Cyrenasque venerat; ubi Pleusidippus iuvenis Palaestram amare coepit, arrhabonemque lenoni dedit pro ea. Hunc leno ad sacrificium Veneri in illo fano faciendum invitarat. Interim Siculus quidam, Charmidas, ei suadet, ut in Siciliam deducat puellas, utpote maiorem ibi quaestum facturus. Quo quum leno solvisset, tempestate orta, naufragium patitur. Electae puellae cymba ad fanum adpellunt, recipiunturque a sacerdote; tutantur autem eas Daemones et Pleusidippus a lenone, qui ipse quoque, servatus e naufragio, accesserat. In eodem autem naufragio perierat vidulus, in quo cistula cum crepundiis Palaestrae inerat. Eum in piscatu rudente alligatum extrahit servus Daemonis, Gripus; quarum crepundiarum ope dehinc agnoscitur Palaestra filia esse Daemonis, liberatur Gripus et Ampelisca, et nuptiae iunguntur inter Palaestram Pleusidippumque.

(Scena in Africa prope Cyrenas.)

ARGUMENTUM.

Reti piscator dé mari extraxit vídulum,
Ubi eránt herilis filiae crepúndia,
Dominum ád lenonem quaé subrepta vénerat.
Ea in clienteiám suipte imprudéns patris
Naufrágio eiecta dévenit; cognóscitur
Suóque amico Pleúsidippo iúngitur.

PROLOGUS.

ARCTURUS.

Qui géntes omnis máriaque et terrás movet,
Eiús sum civis cívitate coélitum.
Ita sum, út videtis, spléndens stella cándida;
Signúm, quod semper témpore exoritúr suo,
Hic átque in coelo. Nómen Arcturo ést mihi.
Noctú sum in coelo clárus atque intér deos;
Intér mortalis ámbulod intérdius.
Et ália signa dé coelo ad terram áccidunt.
Qui est ímperator dívom atque hominum, Iúpiter,
Is nós per gentis álium alia dísparat,
Qui fácta hominum, móres, pietatem, ét fidem
Noscámus, ut quemque ádiuvet opuléntia.
Qui fálsas lites fálsis testimóniis
Petúnt, quique in iure ábiurant pecúniam,
Eorúm referimus nómina exscripta ád Iovem.
Cotídie ille scít quis hic quaerát malum.
Qui hic lítem adipisci póstulant periúrio
Malí, res falsas quí impetrant apud iúdicem:
Iterum ílle eam rem iúdicatam iúdicat;
Maióre multa múltat, quam litem aúferunt.

Prolog. 1. Sensus: Ego sum in civitate coelitum civis sub imperio eius, qui gentes omnes mariaque et terras movet, i. e. Iovis. *Cf.* v. 9.

8. *accidunt* Vulg. et Pall. Cf. Poen. II, 1, 39. Vett. et Ven. *occidunt.* Utramque est pro *decidunt*, *deveniunt*.

10. Vett. *alium in alia.* Nostr. vulg. et Pall.

11. Ven. et Pall. *Qui facta hominum*, ut elisio sit omittenda. Vulg. et vett. *Hominum qui facta*, uti et Pareus et Bothius. — *Qui* i. e. q. *ut*. V. Ind.

12. *ut quemque*, eo consilio ut quemque pro pietate opulentia adiuvet Iupiter.

16. *quaerat malum* sc. sibi, h. e. quis poenam mereat.

20. *quam litem auferunt.* Litem auferre est litem vincere. Ergo denuo rem iudicat Iupiter, iniustosque maiore

Bonós in aliis tábulis exscriptós habet.
Atque hóc scelesti in ánimum inducúnt suum,
Iovem sé placare pósse donis, hóstiis.
Et óperam et sumtum pérdunt: id eo fít, quia
Nihil éi acceptum est á periuris súpplicii.
Facílius, si qui píus est, a dis súpplicans,
Quam quí scelestust, ínveniet veniám sibi.
Idcírco moneo vós ego haec, quí estís boni,
Quique aétatem agitis cúm pietate et cúm fide:
Retinéte porro, póst factum ut laetémini.
Nunc, húc qua caúsa véni, argumentum éloquar.
Primúmdum huic esse nómen urbi Díphilus
Cyrénas voluit. Íllic habitat Daémones
In agro átque villa próxuma propter mare,
Senex, qui húc Athenis éxul venit, haúd malus;
Neque is ádeo propter málitiam patriá caret;
Sed, dum álios servat, se ímpedivit ínterim:
Rem béne paratam cómitate pérdidit.
Huiíc filiola vírgo periit párvola;
Eam dé praedone vír mercatur péssumus;
Is eam húc Cyrenas léno advexit vírginem.
Aduléscens quidam cívis huius Átticus
Eam vídit ire e lúdo fidicinó domum:
Amáre occoepit, ád lenonem dévenit,
Minís triginta síbi puellam déstinat,
Datque árrhabonem, et iúreiurando ádligat.
Is léno, ut se aequom est, flócci non fecít fidem,
Neque, quód iuratus ádulescenti díxerat.
Ei érat hospes, par íllius, Siculús, senex
Sceléstus, Agrigentínus, urbis próditor;

multa punit, quam antea mercede vicerant.

22. Sic vulg. et Pall. nec elidendum in v. *animum*. Reizius: *inducunt in animum s.* Nostr. et Both.

23. *Iovem* tamquam monosyllabum enunciandum, ut Amph. prol. 90. *Nunc proferatur, Iovem facere histrioniam* et ib. v. 19 et V, 3, 3. Similiter plura contrahuntur, in quibus *v* intermedia, ut *avus*, *aves*, *aviditas*, *navis*, *ovis* etc. Cf. ad Aul. prol. v. 5. — *donis*, *hostiis*, asyndeton, qualia innumera in Plauto. V. Ind. in v. *Asynd.*

25. *supplicii* tribus legendum syllabis, etsi non pariter scribendum. — Pro *ei* Reizius dederat *eii* propter elisionem; qua tamen emendatione non opus.

27. Pro *inveniet* Both. *invenit*. Illud omn.

30. *Retinete porro* sc. pietatem et fidem. — *post factum ut laetimini*, ut posthac laetemini, sic vos fecisse.

32. *Diphilus*, recentioris comoediae scriptor inclytus, Demosthenis aetate, ex quo Rudentem Plautus convertit. De eo v. Athenaeus l. XIII. Idem et Casinam fecit. — *Primumdum* v. Mil. 2, 3, 26.

35. *Senex* correptim enunciandum, ut Aul. Arg. I, 8. Cf. Ind.

39. Fortasse leg. *Huic filiola olim virgo p. p.* ut e coni. Reizius. Nostr. Both.

42. *huius* sc. Daemonis. — *civis*, popularis.

43. *fidicino*. Sic omnino scribendum cum Camerario, Lambino, Carpentario. Nam et Pall. et vulg. habent *fidicinio*.

45. *destinat*, emit, seu potius paciscitur de emtione, arrhis datis. Cf. Most. III, 1, 109.

49. Transposuit Bothius sine necessitate. Nostr. Reizius et vulg.

50. *urbis proditor*, videlicet qui propter hanc causam exulabat Cyrenis.

Is illius laudare infit formam virginis
Et áliarum itidem, quae éius erant muliérculae;
Infít lenoni suádere, ut secúm simul
Eat ín Siciliam: ibi ésse homines voluptários
Dicít: potesse íbi eum fieri dívitem:
Ibi ésse quaestum máxumum meretrícibus.
Persuádet: navis clánculum condúcitur;
Quidquíd erat, noctu in návem comportát domo
Leno; ádulescenti, quí puellam ab eo émerat,
Ait, sése Veneri vélle votum sólvere.
Id híc est fanum Véneris, et eo ad prándium
Vocávit adulescéntem huc. Ipse hinc íllico
Conscéndit navem, ávehit meretrículas.
Adulésoenti alii nárrant, ut res gésta sit:
Lenónem abivisse. Ád portum adulescéns venit;
Illórum navis lónge in altum abscésserat.
Ego quóniam video vírginem asportárier,
Tetuli éi auxilium et lénoni exitiúm simul:
Incrépui hibernum, et flúctus movi máritumos:
Nam Arctúrus signum súm omnium acérrumum;
Veheméns sum exoriens; quom óccido, vehementior.
Nunc ámbo in saxo, léno atque hospés, simul
Sedént eiecti: návis confracta ést iis.
Illa aútem virgo atque áltera itidem ancíllula
De návi timidae désiluerunt ín scapham.
Nunc éas ab saxo flúctus ad terrám ferunt,
Ad víllam illius, éxul ubi habitát senex,
Quoius déturbavit véntus tectum et tégulas.
Et sérvos illic est éius, qui egreditúr foras.
Adulésoens huc iam advéniet, quem vidébitis,
Qui illám mercatust dé lenone vírginem.
Valéte, ut hostes vóstri diffidánt sibi.

55. Sic Veneta et Pall. — Vulg. et vett. *fieri eum.* — *Potesse* non elid. uti nec *facere* Amph. prol. vs. ult.

62. Ven. *Vocavit adulescentem. Hinc ipse hanc illico* etc. Nostr. Vulg. et Pall.

67. *asportarier*, i. e. absportarier, i. e. abducier, abripi. Cfr Amph. I, 1, 53 et III, 4, 17 *aspellere* i. q. depellere, abigere.

69. *hibernum*, neutre adverbialiter posito, uti alibi multum, magnum, immensum. Sensus: movi tempestatem, qualis solet hiberno tempore excitari.

70. Sic vulg. et Pall. — Reiz. *Nam signum Arcturus omnium sum ac.* transpositione pro arbitrio facta. Both. *Nam Arct. sign. omnium sum acerrimum.* Verum ad *sum* potest suppleri *de* paragogicum; omnium autem plene pronunciari.

73. Vett. pro *iis* habent *ibus*, quod pro *iis* legitur Capt. Arg. 5. Mil. 1, 1, 74. Curc. 4, 2, 20. Truc. 1, 2, 14. At in Milite et Curculione producitur. Pall. *iis*.

79. *illic* tamquam monosyllabum enunciandum, ut saepissime et adverbium et pronomen. V. ind. — Perperam enim Bothius *est* omisit et Reizius distinxit: *illic ést eius.*

ACTUS I. SCENA I.

SCEPARNIO.

Proh di ímmortales, témpestatem quoiusmodi
Neptúnus nobis nócte hac misit próxuma!
Detéxit ventus víllam! Quid verbís opust?
Non véntus fuit, verum Álcumena Eurípidi;
Ita omnís de tecto déturbavit tégulas.
Illústriores fécit, fenestrasque índidit.

ACTUS I. SCENA II.

PLEUSIDIPPUS. DAEMONES. SCEPARNIO.

Pl. Et vós a vostris ábduxi negótiis,
Neque íd processit, quá vos duxi grátia,
Neque quívi lenonem ád portum prehéndere.
Sed méâ desidiâ spém deserere nólui:
Eo vós, amici, détinui diútius.
Nunc húc ad Veneris fánum venio vísere,
Ubi rém divinam sé facturum díxerat.
Sc. Si sápiam, hoc, quod me máctat, concinném lutum.
Pl. Prope me híc nescio quis lóquitur. *Dae.* Heus Sceparnio!
Sc. Qui nóminat me? *Dae.* Quí pro te argentúm dedit.
Sc. Quasi mé tuom esse sérvom dicas, Daémones.
Dae. Luto úsust multo: múltam terram cónfode.
Villam íntegundam intéllego totám mihi:
Nam núnc perlucet éa quam cribrum crébrius.
Pl. Patér, salveto, ámboque adeo. *Dae.* Sálvus sis.
Sc. Sed utrúm tu masne an fémina es, qui illúnc patrem
Vocés? *Pl.* Vir sum equidem. *Sc.* Quaére, vir, porró patrem.

Act. I. Sc. I. 4. *Euripidi* antique pro: *Euripidis*. In illa Alcmena fabula Euripidis fortasse turbines fuerant et tonitrua audita, quemadmodum in Amphitruone Plauti ad finem V, 1, 10. 45.

6. *fenestras*. Pronuntiandum quasi *festras*, quemadmodum et alia, ut *voluptas*, *modestus*, *dedisse*. Cf. Cas. I, 1, 44. Mil. 2, 4, 26. Atque antiqui *festram* pro *fenestra* dicere solebant. Cf. ad Cas. I, 1, 44.

Act. I. Sc. II. Venit Pleusidippus cum tribus militaribus (Cf. II, 2, 9), quos advocaverat sibi, ut lenonem ad portum prehenderet, eumque ad Veneris aedem vult opperiri. Deprehendit Daemonem occupatum in reficiendis aedibus, ex eoque quaerit, an viderit ibi lenonem. Negat ille. Queritur Pleusidippus. Et ecce Daemones prospicit in littore naufragos, duasque mulierculas in cymba adpellentes. Abit Pleusidippus lenonem quaesitum, Daemones autem cum servo introit.

8. *quod me mactat*, quod me fatigat, affligit. Iussus autem erat a Daemone, lutum *concinnare* i. e. *facere* (v. Ind.) ad reficiendum tectum. — Hunc autem versum Bothius habet post v. 14 sic: *Si sapiam: hunc, quo me mactat, concinnem lutum.*

9. Vulg. et Pall. *prope me hinc*. Nostr. vett. et Ven. et Reiz.

15. *salvus sis*. Haud uno loco, sed multis adeo, similes Cretici in fine senariorum occurrunt. Sic Asin. II, 2, 20. *né quam fraudem fraúsus sit*. et ibid. I, 1, 46. *Libane, nescis, quális sit*. et al. Codices autem omnes h. l. *sit* habent, non *siet*. Omittenda igitur in *salveto* elisio.

16. Vulg. *Sed utrum tu mas an f.* Pall. *tuas ne an*. Vett. *Sed utrum tu vir an f.* Veneta: *Sed utrum, tu virne an f.*

Dae. Filíolam ego unam hábui: eam unam pérdidi;
Viríle sexus núnquam ullum habui. *Pl.* At dí dabunt.
Sc. Tibí quidem hercle, quísquis es, magnúm malum,
Qui ótione hic óccupatos óccupes.
Pl. Istíccine vos habitátis? *Sc.* Quid tu id quaéritas?
An, quó furatum vénias, vestigás loca?
Pl. Pecúliosum eum ésse decet servom ét probum,
Quem heró praesente praéteréat orátio,
Aut qui inclementer dícat homini líbero.
Sc. Et ímpudicum et ímpudentem hominem áddecet
Moléstum ultro advenire ad alienám domum,
Quoi débeatur níhil. *Dae.* Tace, Scepárnio.
Quid opús, adulescens? *Pl.* Ísti infortúnium,
Qui praéfestinet, úbi herus adsit, praéloqui.
Sed, nísi molestum est, paúcis percontárier
Volo ego éx te. *Dae.* Dabitur ópera, atque in negótio.
Sc. Quin tu ín paludem is, éxsecasque arúndines,
Qui pértegamus víllam, dum sudúm est? *Dae.* Tace. —
Tu, sí quid opus est, díce. *Pl.* Dic, quod té rogo:
Ecquém tu hic hominem críspum, incanum, víderis,
Malúm, periurum, pálpatorem .... *Dae.* Plúrimos:
Nam ego própter eiusmodí viros vivó miser.
Pl. Hic, díco, in fanum Véneris qui muliérculas
Duas sécum adduxit, quíque adornarét sibi,
Ut rém divinam fáciat aut hodie aút heri.
Dae. Non hércle, adulescens, iam hós dies complúsculos

19. Sic Ven. et vett. et Pall. — Vulg. secus.

21. Omnes *nos* addunt vel ante vel post *hic*.

23. Addunt edd. *mox* ad *venias*.

24. Sic vulg. Ven. et Pall. nisi quod addidimus *eum* ex vett., quae in fine habent *improbum*, non *probum*, ut vulg. Nimirum quaeritur an proprie loqui existimemus Pleusidippum, an ironice. Si proprie, praeferendum erit *improbum*, sin ironice, *probum*. Atque similiter ironice legitur *probus* infra III, 4, 30, ubi ait Trachalio servus ad Labracem lenonem: *Fateor, ego trifurcifer sum; tu es homo apprime probus*. Quae res me movit ut hic vulgatam restituerem. Ceterum Reizius praetulit vett. lectionem: *Peculiosum eum esse decet servum et improbum*, in qua et *esse* tamquam *ess'*, ut centies, et *decet* tamquam *d'cet* ut monosyllaba sunt legenda, de quorum posteriore cf. Capt. 2, 2, 71. Curc. 2, 3, 73. Most. 4, 1, 57. — De peculiosis servis cf. Trin. 2, 4, 33.

25. Sic omnes, atque *praeterit aliquem oratio* esse possit: transit oratio per os alicuius, ἔφυγεν ἕρκος ὀδόντων, excidit alicui oratio, loqui audet. Gr. ἀμείβεσθαι. Reizius tamen ex coniectura scripsit: *Quem hero praesente haud praetereat oratio*, h. e. qui se immisceat colloquio, uti iam legendum iudicarat Acidalius. — Sensus igitur loci: tu sine dubio peculiosus es et improbus, qui loquaris praesente hero, et inclementer dicas libero homini. Illud enim est peculiosi, hoc improbi.

26. *inclementer dicere alicui* est durius loqui adversus aliquem, increpare, *Jemanden anfahren*. Cf. Amph. 2, 2, 119. Pseud. 1, 1, 25.

27. *Impudicus* h. l. i. q. impudens, ut Asin. 2, 4, 69. Est igitur tautologia.

30. *adolescens*, *Freund*. Non autem de iuvene cogitandum. Cf. Most. 3, 1, 120. Pers. 4, 4, 109. Pseud. II, 3, 21.

33. *atque in neg.*, licet occupatus sim.

34. *is*, sc. mecum.

35. *qui* i. q. ut. V. Ind.

40. Pro *Hic*, quod omnes, Reizius *Huc*, ut et Both.

41. Vett. *adornarit*. Vulg. et Pall. *adornaret*. Both. *adornavit*, ut Lamb.

Quemquam ístic vidi sácruficare, néque potest
Clam me ésse, si qui sácruficant: sempér petunt
Aquam hínc, aut ignem, aut váscula, aut cultrum, aút veru,
Aut aúlam extarem, aut áliquid; quid verbís opust?
Veneri paravi vása et puteum, nón mihi.
Nunc íntervallum iam hós dies multós fuit.
Pl. Ut vérba praehibes, mé periisse praédicas.
Daem. Meá quidem hercle caúsa salvos sís, licet.
Sc. Heus tú, qui fana véntris causa círcumis,
Iubére meliust prándium ornarí domi.
Fortásse tu huc vocátus es ad prándium:
Ille, quí vocavit, núllus venit. *Pl.* Ádmodum.
Sc. Nullum ést periclum, te hínc ire impransúm domum.
Cererém te melius, quám Venerem, sectárier:
Amóri haec curat, trítico curát Ceres.
Pl. Delúdificavit me ílle homo indignís modis!
Daem. Proh di ímmortales, quíd illuc est, Sceparnio,
Hominúm secundum líttus? *Sc.* Ut mea opínio est,
Proptér viam illi súnt vocati ad prándium.
Daem. Qui? *Sc.* Quía post coenam, crédo, laverúnt heri.
Confrácta navis ín mari est illís. *Daem.* Ita est.
Sc. At hércle nobis vílla in terra et téguiae. *Daem.* Hui,
Homúnculi quanti éstis! eiecti út natant!
Pl. Ubi súnt ii homines, óbsecro? *Daem.* Hac ad déxteram.
Vidén' secundum líttus? *Pl.* Video. Séquimini.
Utinám sit is, quem ego quaéro, vir sacérrumus!
Valéte. *Sc.* Si non móneas, nosmet méminimus.
Sed, ó Palaemon, sáncte Neptuní comes,
Quique Hércule illi sócius esse díceris,
Quod fácinus video? *Daem.* Quíd vides? *Sc.* Muliérculas
Videó sedentis ín scapha solás duas.
Ut ádflictantur míserae! — Euge, euge! pérbene!
Ab sáxo avortit flúctus ad littús scapham,
Neque gúbernator únquam potuit [réctius]. —

47. *extarem*, ad coquenda exta.

50. Fortasse l. *perhibes*.

56. *Nullumst* etc. Sensum esse puto: Nil te impedit, quin, quum hic impransus sis futurus, domum te recipias, ubi tibi possis prandium parare. — Mutavit Bothius: *Nullum est periculum, ire te hinc pransum domum*, allato loco II, 1, 15 ubi idem legit *coenati*. — Dictionem: *non periclum est* v. Pseud. I, 3, 69.

58. *curat* i. e. praeest. — Vulg. *amore*. vett. et Ven. *Amorem — triticum*. Nostr. Both. ex Scioppio et Reizio. Cf. v. 92 ubi omnes *illis*. Atque dativum nostro l. habebant Sambuci mss.

59. *ille homo*, videlicet leno.

61. Omnes: *Ut mea est opinio*.

62. *Propter viam*. Erat sacrificium, quod vocabatur *propter viam*, in quo, quae non poterant comedi, comburebantur. Conf. Macrob. Saturn. lib. II. et Festum v. *Propter viam*, et Non. v. *bidentis*. Sensus igitur: illi videntur omnia sua perdidisse.

63. *laverunt heri*, h. e. hac nocte naufragium sunt passi.

66. *quanti*, i. e. quanti pretii, quam miseri. Cf. Capt. prol. 51. *Homunculi quanti sunt, quum recogito*.

72. Sic Decurt. vulg. vett. et Reiz. — Ven. et Pall. omisso *illi*. Both. *Quique Herculis sociennus esse diceris*. V. C. *Herculis socius*.

77. Vulg. et Ven. *Neque gubernator unquam potuit*, imperfecto versu, cui Reizius addidit *rectius* i. e. melius sc.

Non vídisse undas mé maiores cénseo.
Salvaé sunt, si illos flúctus devitáverint.
Nunc, núnc periculum ést: eiecit álteram. —
At ín vado est: iam fácile enabit. — Eúgepae,
Viden', álteram illam ut flúctus eiecít foras?
Surréxit, horsum sé capessit. Sálva res!
Desíluit haec autem áltera in terram é scapha.
Ut praé timore in génua in undas cóncidit! —
Salva ést: evasit éx aqua. Iam in líttore est.
Sed déxtrovorsum avórsa it in malám crucem.
Hem, errábit illaec hódie. *Dae.* Quid id refért tua?
Sc. Si ad sáxum quo capéssit, eà deorsúm cadit,
Errátionis fécerit compéndium.
Dae. Si tú de illarum coénaturus vésperi es:
Illis curandum cénseo, Scepárnio;
Si apúd me esurus és, mihi dari operám volo.
Sc. Bonum aéquomque oras. *Dae.* Séquere me hac ergó.
Sc. Sequor.

ACTUS I. SCENA III.

PALAESTRA.

Nimio hóminum fortunaé minus
Miseraé memorantur, quám reapse
Expériundo iis datúr acerbum.
Hoc deó complacitum est, me, hóc ornatu
Ornátam, in incertas régiones
Timidam éiectam?
Hanccíne ego ad rem natám miseram
Me mémorabo? hanccine egó partem
Capio ób pietatem praécipuam?
Nam hóc mi haud labóri est, labórem hunc potíri,
Si érga paréntem aut deós me impiávi.
Sed íd si paráte curávi ut cavérem,
Tum hóc mihi indecóre, iníque, immodéste
Datís, di.

dirigere scapham. Cf. Asin. II, 3, 22. Non potuit pictor rectius describere eius formam. Sed vett. *Neque gubernator usquam illis esse potuit.*

80. *eiecit* sc. fluctus ingruens. *alteram*, unam muliercularum.

82. *alteram*, sc. etiam illam, quae adhuc restabat in cymba.

89. *Si ad s. quo capessit*, sc. se, cf. v. 83. Sic vulg. — Vett. et Ven. *Si ad s. quod c.* Sensus: Si ad saxum praeceps devenerit, deorsumque ceciderit, etc. Alibi in Plauto: *Capessere se praecipitem ad malos mores. Capessit* et *cadit* ἀρχαϊκῶς pro *capessat* et *cadat*, ut *edit*, *duit*. — *Ea* autem est ablativus; et est asyndeton. Nam apodosin faciunt: *Errationis f. c.*

91. *vesperi*, h. e. coena. Sic *de vesperi suo vivere* Mil. 4, 2, 5.

92. *illis*, cf. 58. Sensus: illarum tu res curato.

Act. I. Sc. III. Conqueritur Palaestra de miseria sua.

1. Sensus: Miseriores sunt homines, quam verbis describi potest.

4, 5, 6. Haec spuria iudico.

Nám quid habébunt síbi igitur ímpii
Pósthac, si ad húnc modum est ínnoxiís honos
Apúd vos? Nam mé si aut paréntes sceléste
Fecísse sciam, minus mé miserer.
Sed herile scelus me sóllicitat;
Eius me ímpietas male habét. Navem is
Atque ómnia perdidit ín mari.
Haéc bonorum éius sunt réliquiae. Étiam,
Quaé simul vécta mecum ín scapha est, éxcidit:
[Ego nunc sola sum!]
Quaé mihi sí foret sálva, saltém labor
Lénior ésset hic éius operá mihi.
Nunc quám spem aut opem aút consilí quid capéssam,
Ita híc sola sóiis locís compotíta?
Hic sáxa sunt; hic máre sonat;
Nec quísquam homo mi obviám venit.
Hóc, quod indúta sum, súmmae opes óppido;
Néc, cibo néc loco técta quo sím, scio.
Quaé mihi est spés, qua me vívere vélim?
Néc loci gnára sum, néc díu hic fúi.
Sáltem aliquém velim, quí mihi ex hís locis
Aút viam aut sémitam mónstret: ita núnc,
Hác an illác eam, incérta sum cónsili;
Néc prope usquam híc quidem cúltum agrum cónspicor;
Álgor, errór, pavor, mémbra omnía tenent.
Haéc parentes haúd mei scitis [miseri], mé nunc miseram ita ésse, uti sum.
Líbera ego prognáta fuvi máxume; nequídquam fuvi.
Nunc quí minus ego sérvio, quam, sí forem serva náta?
Neque quídquam unquam iis prófui, qui mé sibi eduxérunt.

ACTUS I. SCENA IV.

AMPELISCA. PALAESTRA.

Am. Quíd mihi meliust, quíd magis in rem est, quám corpore vitam út secludam?

17. Omnes: *Nam me si sciam fecisse aut parentes sceleste.* Constr. *nam si sciam, aut me aut parentes sc. f.*

20. Omnes: *is navem.* Nostr. Reiz.

24. Haec spuria videntur.

26. Edd. *mihi eius opera.* Nostr. Reiz.

28. *Sola* addidimus e coniectura; pro quo Reizius: *miscra.* Vulg. *Ita hic solis locis compotita sum.* Vett. *Ita hic solis locis compedita sum.* Ven. cum vulg. facit.

32. Sensus: nec scio, quo loco aut quo cibo tecta i. e. tuta esse possim.

34. *nec diu hic fui*, nec heri, quum dies erat, hic fui.

36. Fortasse post *nunc* exciderit *ego.*

43. Addidi *ego*, ex Reizio.

Act. I. Sc. IV. Accedit Ampelisca et item lamentatur. Inveniunt se, et amplectuntur ambae; deinde ad Veneris fanum accedunt, precanturque, ut sibi auxilium mittat.

1. *ut* recepi ex ed. Ambros. teste Gepperto.

Íta male vivo, atque íta mihi multae in péctore sunt curae éxanimales.
Núnc dein vitae haud párco. Perdidí spem, qua med óblectabam.
Ómnia iam circúmcursavi, atque ómnibus latebris pérreptavi
Quaérere conservám, voce, oculis, aúribus ut pervéstigarem;
Néque eam usquam invénio, neque, quo éam, neque, qua quaerám, consultum est;
Néque, quem rogitem rèsponsorem, quémquam intereá invenio;
Néque magis solae térrae solae súnt, quam haec loca atque haé regiones;
Néque, si vivit, éam vivam unquam ** quin inveniám desistam.
Pa. Quaénam vox mihi prope híc sonat? *Am.* Pértimui!
Quís hic loquitúr prope?
Pa. Spés bona, óbsecro, súbventa míhi!
Am. Múlier est; múliebris vóx mihi ad aúres
Vénit. An éximes éx hoc miserám metu?
Pa. Cérto vox múliebris aúres tetigít meas.
Num Ámpelisca, óbsecro, est? *Am.* Tén', Palaestra, aúdio?
Pa. Quín voco, ut me aúdiat, nómine illám suo?
Ampelisca! *Am.* Hém, quis est? *Pa.* Égo Palaéstra sum.
Am. Díc, ubi es! *Pa.* Pól ego nunc ín malis plúrimis.
Am. Sócia sum, néc minor párs mea est, quám tua.
Séd videre éxpeto té. *Pa.* Mihi es aémula.
Am. Cónsequamúr gradu vócem. Ubi es? *Pa.* Écce me!
Áccede ad me átque adi cóntra. *Am.* Fit sédulo.
Pa. Cédo manum. *Am.* Áccipe. *Pa.* Díc: vivisne, óbsecro?
Am. Tú facis mé quidem, ut vívere núnc velím,
Quándo mihi té licet tángere! Ut víx mihi
Crédo ego hoc, té tenere! Óbsecro, ampléctere,
Spés mea! Ut me ómnium iám laborúm levas!
Pa. Óccupas praéloqui, quaé mea est orátio.
Núnc abire hínc decet nós. *Am.* Quo, amabo, íbimus?
Pa. Líttus hoc pérsequamúr. *Am.* Sequor, quó lubet.
Pa. Siccine hic cum úvida véste grassábimur?
Am. Hóc quod est, íd necessárium est pérpeti.
Séd quid hoc, óbsecro, est? *Pa.* Quíd? *Am.* Viden'? *Pa.* Quíd vides,

2. *examinales*, quae me exanimant.

3. *Nunc dein* i. q. porro. V. Virg. Aen. XII, 888. — *spem*, intelligit conservam suam quam quaerit, Palaestram. Cf. v. 28.

4. Vulg. et vett. *omnibus in latebris*. Ven. *atque in latebris omnibus perr.* Omisi in, cum Reizio.

6. Tertium *neque* tamquam *ne* legendum existimo, *quo* autem non elidendum. Post *quaeram* alterum *eam* infert Reizius, ut v. 7 *ego ullum*, quibus non est opus, si elisionem omittas.

9. Puto excidisse aliquid, ut versus sit priorum similis. Sed in verbis quae dedimus, omnes consentiunt. Reizius: *quin vivam inv.*

18. Fortasse l. *Ego sum*, *Palaestra sum.* Ven. *Ego Palaestra.* Reiz. *ego tua Pal. sum.*

21. *Mihi es aemula*, idem mecum cupis.

29. *Occupas* etc. Tu eloqueris, quae ego volui. *mea* totum elidendum.

32. *grassabimur*, ingrediemini.

34. Addidi verba *Quid vides?*, quae quomodo facile potuerint excidere, apparet.

Amábo? *Am.* Fanum víden' hoc? *Pa.* Ubi est? *Am.* Ad déxteram.
Pa. Videó decorum dís locum vidérier.
Am. Haud lónge abesse opórtet homines hínc: ita hic lepidúst locus.
Nunc quísquis est deus: véneror, uti nos éx hac aerumna éximat;
Míseras, inopes, aérumnosas út aliquo auxilio ádiuvet.

ACTUS I. SCENA V.

SACERDOS. PALAESTRA. AMPELISCA.

Quí súnt, qui a patróna precés mea expetéssunt?
Nam vóx me precántum huc forás excitávit.
Bonam átque obsequéntem deam átque haud gravátam
Patrónam exsequúntur, benígnamque múltum.
Pa. Iubémus te sálvere, máter. *Sa.* Salvéte,
Puéllae. Sed únde
Vós ire cum úvida véste dicam, óbsecro,
Tam moéstiter vestítas?
Pa. Íllico hinc ímus haud lóngule ex hóc loco;
Vérum longe hínc abest, únde huc vectaé sumus.
Sa. Némpe equo lígneo pér vias caérulas
Éstis vectae. *Pa.* Ádmodum. *Sa.* Ergo aéquius vós erat
Cándidatás venire hóstiatásque: ad hoc
Fánum ad istúnc modum nón veniri solet.
Pa. Quaéne eiectae é mari súmus ambae, óbsecro,
Únde nos hóstias ágere voluísti huc?
Núnc tibi ampléctimur génua, egentés opum,
Quae ín locis nésciis néscia spé sumus:
Út tuo récipias técto, servésque nos,
Míserarumque te ambárum uti mísereat,
Quibús nec locús ullus, néc spes paráta est.
Neque hóc ampliús, quod vidés, nobis quídquam est.
Sa. Manús mihi date! éxsurgite á genibus ámbae!
Miséricordiór nulla me ést feminárum.
Sed haé pauperés res sunt ínopesque, puéllae;
Égomet vix vitám colo, Venerí cibo meo sérvio.
Am. Veneris fanum, obsecro, hoc ést? *Sa.* Fateor.
Ego huiús fani sacerdós clueo.
Verúm, quidquid ést, comitér fiet á me,

39. Ven. *aut aliquo auxilio adiuvat.* Vulg. *ut al, aux. adiuvet.* Vett. *aliquo aux. ut adiuvet.* Both. *aliquo ut aux. adi.* Praetulit vulg.

Act. I. Sc. V. Egreditur ex fano mulier sacerdos, puellasque secum introducit.

1. *preces* videntur pro re ipsa, quam quis precatur, positae. Nam *paces*, quod Lamb. dedit, metrum respuit.

2. Omnes: *Nam vox precantum me h.*

4. *exsequuntur*, i. e. quaerunt, prosequuntur. Cf. ad Epid. 4, 2, 3.

13. Candidis vestibus et cum hostiis.

18. *nesciis*, ignotis. *nescia*, nulla.

22. Omnes: *quam quod vides.* Omisit *quam* Both.

25. *hae* vett. et Ven. — Vulg. *hic.*

Quó nostra cópia valébit.
Ite hác mecum. *Pa.* Amíce benígneque honórem.
Matér, nostrum habés. *Sa.* Opórtet.

ACTUS II. SCENA I.

PISCATORES.

Omníbus modis, qui paúperes sunt hómines, miseri vívunt;
Praesértim quibus nec quaéstus est, nec dídicere artem úllam.
Necéssitate, quídquid est domi, íd sat est habéndum.
Nos iám de ornatu própemodum ut locuplétes simus, scítis.
Hisce hámi atque hae arúndines sunt nóbis quaestu et cúltu;
Quotídie ex urbe ád mare huc prodímus pabulátum;
Pro exércitu gymnástico et palaéstrico hoc habémus:
Echínos, lepadas, óstreas, balanós captamus, cónchas,
Marínam urticam, múscnlos, placúsias striátas;
Post íd piscatum hamátilem et saxátilem adgredímur.
Cibúm captamus é mari; sin éventus non vénit,
Neque quídquam captum est píscium: salsí lautique púre
Domúm redimus clánculum; dormímus incoenáti.
Atque út nunc valide flúctuat mare, núlla nobis spés est.
Nisi quíd concharum cápsimus, incoenáti sumus proféoto.
Nunc Vénerem hanc veneremúr bonam, ut nos lépide adiurit hódie.

ACTUS II. SCENA II.

TRACHALIO. PISCATORES.

Tr. Animo ádvorsavi sédulo, ne herum úsquam praeterírem.
Nam quóm modo exibát foras, ad pórtum se aibat íre;
Me huc óbviam iussít sibi veníre ad Veneris fánum.
Sed, quós percouter, cómmode eccos vídeo adstare: adíbo.
Salvéte, fures máritumi, conchítae atque hamiótae,

30. In postremis fortasse quaedam supposita sunt interiecta. Genuina forsitan fuerint: *Verúm, quidquid ést, comitér fiet á me. — Ite hác mecum. Pa. Amíce benigneque. Sa. Opórtet.* Ut ad *Amice benigneque* suppleatur *facis*. Ceterum locutionem: *honorem alicui habere* de hospitibus vide Cist. I, 1, 4.

Act. II. Sc. I. Piscatores de sorte sua tenui locúti, Venerem venerantur.

2. Sic vulg. et Ven. Nec est elidendum in v. *artem*. — Vett. nec *artem didicere ullam*, ut et Both.

3. *Necessitate*, h. e. coactis sufficere debet, quidquid domi est. Necessitas eos cogit, ut contenti suis vivant.

4. Constr. *Vos iam ex ornatu nostro perspicere potestis, quam nos simus locupletes.*

5. *Hisce* pro Hice, ut saepius, Capt. prol. 35. — *cultu* i. e. q. victu, quoniam *colere* i. e. q. vivere. Cf. Amph. 1, 1, 154.

6. *Quotidie*, quod deest in Pall., addit Lamb. ex Camer. et ex libris.

9. *placusias* B. ex Reizio. Vulg. *plagusias.*

15. Bothius: *coenati.*

16. Vulg. *adiuverit.*

Act. II. Sc. II. Accedit Trachalio, quaeritque ex illis, an Pleusidippum aut lenonem viderint. Illi negant et abscedunt. Restat ad fanum Trachalio.

1. *herum*, Pleusidippum. — *animo advorsavi*, attendi.

Famélica hominum nátio: quid ágitis? ut peritis?
Piscator. Ut píscatorem aequom ést, fame, sitique. *Tr.* Ecquem adulescéntem huc,
Dum híc adstatis, strénua facié, rubicundum, fórtem,
Vidístis, qui tres dúceret chlamydátos cum machaéris?
Pi. Nullum ístac facie, ut praédicas, venísse huc scimus. *Tr.* Écquem
Recálvom ac siloném senem, statútum, ventriósum,
Tortis superciliis, contracta frónte, fraudaléntum,
Deorum ódium atque hominúm málum, [mali] vití probrique plénum,
Qui dúceret muliérculas duas sécum satis venústas?
Pi. Cum istiúsmodi virtútibus operísque natus quí sit,
Eum quídem ad carnuficem est aéquius, quam ad Vénerem, commeáre.
Tr. At sí vidistis, dícite. *Pi.* Huc profécto nullus vénit.
Valé. *Tr.* Valete. — Crédidi. Factum ést, quod suspicábar:
Data vérba hero sunt: léno abit sceléstus exulátum;
In návem ascendit, múlieres avéxit. Hariolús sum.
Is húc herum etiam ad prándium vocávit, sceleris sémen.
Nunc quíd mihi meliust, quam íllico hic opériar herum, dum véniat?
Eadem hánc sacerdotém Veneriam, sí quid ampliús scit,
Si vídero, exquisívero. Faciét me certiórem.

ACTUS II. SCENA III.

AMPELISCA. TRACHALIO.

Am. Intéllego, hanc quae próxuma est villám me Veneris fáno
Pulsáre iussisti átque aquam rogáre. *Tr.* Quoia ad aúris
Vox mi ádvolavit? *Am.* Óbsecro, quis hic lóquitur? quem ego vídeo?
Tr. Estne Ámpelisca haec, quaé foras e fáno egreditur? *Am.* Éstne hic

6. ut *peritis* pro: ut *vivitis?* quomodo vitam colitis? Nam vivere vestrum quasi perire est.

7. *sitique* sc. perire. Sed vulg. addit *speque*, quod sane abiiciendum erat propter versum. Vett. *fame*, *siti speque*. Ven. ut vulg. Item Pall.

9. Vulg. et vett. *qui tres duceret chlamydatos cum machaeris*, *vidistis venire?* Item Ven. omisso *venire*. Transposui *Vidistis*. Chlamydati sunt militares, quos secum duxerat Plcusidippus.

11. *silonem*, hirsutis superciliis. *statutum*, audacem statu, aut: magnae staturae.

13. *mali* abiecerat Reizius.

15. *operisque*, i. e. *factis*, ἔργοις.

23. *Eádem*, sc. operá, i. e. una, simul autem. *si quid*, i. an quid sciat. De utroque v. Ind.

Act. II. Sc. III. Prodit Ampelisca e fano cum urna, aquam adportatum. Loquitur adhuc intus cum sacerdote, Agnoscit eam Trachalio, edoctusque ab ea tristitiam Ampeliscae, in fanum introit, ut eam consoletur. Ampelisca ad portam Daemonis accedit.

1. *me* in fine versus addunt vett., ceterae omittunt. Transposui. Constr. *iussisti me pulsare hanc villam*, *quae proxima est Veneris fano*. Sin malis omittere *me*, non elidendum *proxima*. Reizius e coni. *quae proxima hic est villa V. f.*

Trachálio, quem cónspicor, calátor Pleusidíppi?
Tr. Ea ést. *Am.* Is est. Trachálio, salvé. *Tr.* Salve, Ampelísca.
Quid ágis tu? *Am.* Aetatem haúd mala male. *Tr.* Mélius ominâre.
Am. Verum ómnes sapientés decet confĕrre et fabulári.
Sed Pleúsidippus túus herus ubi, amábo, est? *Tr.* Heia véro,
Quasi nón sit intus! *Am.* Néque pol est, neque húc quidem ullus vénit.
Tr. Non vénit? *Am.* Vera praédicas. *Tr.* Non ést meum, Ampelísca.
Sed quám mox coctum est prándium? *Am.* Quod prándium, obsecró te?
Tr. Nempe rém divinam fácitis hic. *Am.* Quid sómnias, amábo?
Tr. Certe húc Labrax ad prándium vocávit Pleusidíppum,
Herúm meum, herus vostér. *Am.* Pol haud miránda facta dícis:
Si deós decepit ét homines, lenónum more fécit.
Tr. Non rém divinam fácitis hic vos, néque herus? *Am.* Hariolâre.
Tr. Quid tu ágis hic igitur? *Am.* Éx malis multís metuque súmmo
Capitálique ex periculo, orbas aúxilique opúmque, huc
Recépit ad se Véneris haec sacérdos me et Palaéstram.
Tr. An hic Palaestra est, óbsecro te, heri méi amica? *Am.* Cérto.
Tr. Inést lepos in núntio tuo mágnus, mea Ampelísca.
Sed istúc periclum pérlubet, quod fúerit vobis, scíre.
Am. Confrácta est, mi Trachálio, hac nócte navis nóbis.
Tr. Quid návis? quae istaec fábula est? *Am.* Non aúdivisti, amábo,
Quo pácto leno clánculum nos hinc auferre vóluit
In Síciliam, et, quidquíd domi fuit, in navem impesívit?
Ea núnc perierunt ómnia. *Tr.* Oh, Neptúne lepide, sálve!
Nec te áleator úllus est sapiéntior. Profécto
Nimis lépide iecistí bolum: periúrum perdidísti!
Sed núnc ubi est lenó Labrax? *Am.* Perit potando, opínor:
Neptúnus magnis póculis hac nócte eum invitávit.
Tr. Credo hércle ἀναγκαίως datum quod bíberet. Ut ego amé te,
Mea Ámpelisca! ut dúlcis es! ut múlsa dicta dícis!
Sed tu ét Palaestra quómodo salvae éstis? *Am.* Scibis fáxo.
E návi timidae ambae ín scapham insilúimus, quia vidémus
Ad sáxa navem férrier. Properáns exsolvi réstim.
Dum illí timent, nos cúm scapha tempéstas dextrovórsum
Differt ab illis; ítaque nos ventísque fluctibúsque

7. *haud mala*, etsi haud sim improba. Atque sic V. C. et vulg., quum Decurt. et Reiz. et Both. *haud malam male*.

8. *Verum*, i. e. id quod verum est.

10. Libri: *neque ullus quidem huc venit*. Nostr. Both.

11. *meum* sc. vera dicere.

14. Vulg. et Pall. *Certe huc Labrax Pleusidippum ad prandium vocavit*. Vett. *Certe Labrax huc Pleusidippum ad prandium vocavit*. Ven. *Certe huc labrax Pleusidippum vocavit ad prandium*. Nostr. B.

17. *hariolare* i. e. recte augurarís.

21. *te* post *obsecro* addunt vett. omittunt Pall. et vulg. — *mei* elidas, ut seq. vs. *mea*.

33. Vulg. *anancaeo*, i. e. ἀναγκαίῳ, aut ἀναγκαίως. Vett. *anxando*. Lamb. *anacaeo*. Ven. *an an eo*. V. C. *ananceo*. Dec. *anan eo*. Al. *ab Antaeo*.

Iactátae exemplis plúrimis miseraé perpetuam nóctem.
Vix hódie ad litus pértulit nos véntus exanimátus.
Tr. Noví: Neptunus íta solet. Quamvís fastidiósus
Aedílis est: si quae ímprobae sunt mérces, iactat ómnis.
Am. Vae cápiti atque aetatí tuae! *Tr.* Tuó, mea Ampelísca.
Scivi lenonem fácere hoc, quod fécit; saepe díxi.
Capíllum promittam óptumum est, occípiamque hariolári.
Am. Cavístis ergo tu átque herus, ne abíret, quom scibátis?
Tr. Quid fáceret? *Am.* Si amabát, rogas, quid fáceret? Adserváret
Dies nóctesque, in custódia esset sémper. Verum ecástor,
Ut múlti, fecit: íta probe curávit Pleusidíppus.
Tr. Cur tu ístuc dicis? *Am.* Rés palam est. *Tr.* Scin' tu? étiam, qui it lavátum
In báineas, ibi quum séduio sua véstimenta sérvat,
Tamen súbripiuntur; quíppe qui, quem illórum observet, fálsust.
Fur fácile, quem obsérvét, videt: custós, qui fur sit, néscit.
Sed dúce me ad illam. Ubi ést? *Am.* I sane in Véneris fanum huc íntro:
Sedéntem flentemque ópprimes. *Tr.* Ut iam ístuc mihi moléstum est!
Sed quíd flet? *Am.* Ego dicám tibi. Hoc sése excruciat ánimi:
Quia léno ademit cístulam ei, quam habébat, ubique habébat,
Qui súos parentes nóscere potésset: eam verétur,
Ne périerit. *Tr.* Ubinam éa fuit cistéllula? *Am.* Ibidem in návi.
Conclúsit ipse in vídulum, ne cópia esset éius,
Qui súos parentes nósceret. *Tr.* O fácinus impudícum,
Quam líberam esse opórteat, servíre postuláre!
Am. Nunc éam cum navi scílicet abiísse pessum in áltum.
Et aúrum et argentúm fuit lenónis omne ibídem.
Tr. Credo áliquem immersisse átque eum excepísse. *Am.* Id misera moésta est,
Sibi eórum evenisse ínopiam. *Tr.* Iam istóc magis usus fácto est,
Ut eam íntro, consolérque eam, ne se síc excruciet ánimi.
Nam múlta praeter spém scio multís bona evenísse.

43. *aedilis.* Nam aediles praeerant mercibus vendendis. *Quamvis* est: valde.

44. *Vae c.* Solemnis dictio in eiusmodi facetiis, cui saepe simile quid regeritur, ac hic: *Tuo* sc. capiti, ut retorqueatur maledictum. Vide Curc. 2, 3, 35. Epid. 1, 1, 26. 68. III, 1, 14. Capt. 4, 2, 106. Merc. 1, 2, 52. Mil. 2, 3, 15. 55. *aetati* i. q. *vitae.*

45. Sic vulg. Pall. et Ven. — Atque *facere* pariter plene legendum, ac Amph. prol. fin. — Both. *facered.* — Vett. *facturum hoc.*

46. Construe: Optimum erit, ut capillum meum promittam, et vaticinari occipiam. Vera enim praedixi.

53. *falsust,* i. e. incertus est quem opus sit observare, quique fur sit falsus. Truc. 4, 3, 11. *illorum,* sc. qui adsunt in balneo.

57. *hoc,* propter hoc, hanc ob rem.

58. *ubique habebat* sc. crepundia sua Palaestra, *qui,* quibus, quorum ope suos parentes noscere posset, ut noscere posset. Nam *qui* saepenumero i. e. q. *ut.* V. Indic. Cf. v. 62.

59. *noscere.* Luculentum productae e finalis inf. exemplum. V. Ind. in *e.*

61. *copia eius,* ne illa potiretur ea re, cuius ope posset etc.

62. *impudicum,* impudens.

64. *scilicet abivisse,* i. e. intelligitur, patet abivisse.

66. *Credo — excepisse.* Haec vulgo eidem Ampeliscae tribuuntur; a Bothio Trachalioni. Recte, opinor.

Am. At ego étiam, qui speráverint, spem décepisse múltos.
Tr. Ergo ánimus aequus óptumum est aerúmnae condiméntum.
Ego eo íntro, nisi quid vís. *Am.* Eas. Ego, quód mihi imperávit
Sacérdos, id faciam átque aquam hinc de próxumo rogábo.
Nam extémplo si verbís suis peterém, daturos díxit;
Neque digniorem cénseo vidisse anum me quémquam,
Quoi déos atque homines cénseam benefácere magis decére.
Ut lépide, ut liberáliter, ut honéste atque haud graváte
Timidás, egentis, úvidas, eiéctas, exanimátas
Accépit ad sese! haúd secus, quam si éx se simus nátae.
Ut eápse sic succíncta aquam calefáctat, ut lavémus!
Nunc, né morae illi sím, petam hinc aquam, únde mihi imperávit.
Heus, écquis in villa 'st? écquis hoc reclúdit? ecquis pródit?

ACTUS II. SCENA IV.

SCEPARNIO. AMPELISCA.

Sc. Quís est, qui nostrís tám proterve fóribus facit iniúriam?
Am. Égo sum.... *Sc.* Hem, quid hoc boni ést? Heu, edepol spécie lepida múlierem!
Am. Sálve, adulescens. *Sc.* Ét tu multum sálveto, adulescéntula.
[*Am.* Ád vos venio. *Sc.* Accípiam hospitio, sí nox venies, ítem ut adfectam:
Nám nunc nihil est quí te mane.]
Séd quid ais, mea lépida, hilara? *Am.* Ah, nímium familiáriter
Me áttrectas. *Sc.* Proh di ímmortales, Véneris effigia haéc quidem est!
Út in ocellis hílaritudo est! Héia, corpus quoíusmodi!
Súbvolturium! íllud quidem, subáquilum, volui dícere.
Vél papillae quoíusmodi! Tum quae índoles in sávio est!
Am. Nón ego sum pollúcta pago. Pótin', ut me abstineás manum?
Sc. Nón licet te sic, sícce placide, béllam belle, tángere?
Am. Ótium ubi erit, túm tibi operam lúde et deliciaé dabo;

Act. II. Sc. IV. Predit Sceparnio. Videt puellam pulcram, eamque deamare incipit. Denique rogatus ab ea, urnam capit, ut aquam ei hauriat, et ad se intrelt. Adstat sola Ampelisca. Advenit Labrax. Quem illa procul conspiciens, in fanum fugit.

2. *mulierem.* Sic Reizius et quaedam antt. — Vulg. et Pall. *mulier*, ut et Ven. — Vett. *heu edepol lepida mulier.* Ortum nomin. ex compendio scribendi.

4, 5. Locus corruptus. Veneta et Pall. *Accipiam hospitio*, *si mox venis item at adfectam. Am. Nam nunc nihil est qui te maneam.* Eadem vett. et vulg., nisi quod haec pro *maneam* habet *inanem.* Pall. *manem.* Al. *adfectas.* Lambinus: *si mox venias vesperi. Nam nunc nihil est qui te mane* ... Ego spurium iudico versum 5; et fortasse item spurius v. 4.

11. *pollucta pago.* Sic omnes, atque interpretantur: communis et exposita pago. Curc. I, 3, 37. *polluctus virgis*, ubi v. n. Cf. infra V, 3, 63.

12. Ven. et Pall. *Non licet te sic placide.* Vulg. *Non licet te sicce pl.* uti et vett. — Both. *Non licet te sic, sic pl.* Verbum *licet* interdum perbreviter pronunciatur in Plauto, quasi *l'cet.* Hinc puto legendum: *Non licet te sic, sicce pl.*

Núnc, quamobrem huc sum míssa, amabo, vél tu mi aias vél neges.
Sc. Quíd nunc vis? *Am.* Sapiénti ornatus, quíd velim, indiciúm facit.
Sc. Méus quoque hic sapiénti ornatus, quíd velim, indiciúm facit.
Am. Haéc sacerdos hínc me petere iússit a vobís aquam.
Sc. Át ego basilicús sum, quem nisi óras, guttam nón feres.
Nóstro illunc puteúm periclo et férramentis fódimus:
Nísi multis blandítiis, a me gútta non ferrí potest.
Am. Cúr tu aquam graváre, amabo, quam hóstis hosti cómmodat?
Sc. Cúr tu operam graváre mihi, quam cívis civi cómmodat?
Am. Ímo etiam tibi, méa voluptas, quaé voles, faciam ómnia.
Sc. Eúgepae, salvús sum! haec iam me súam voluptatém vocat!
Dábitur tibi aqua: né nequidquam mé ames. Cedo mi urnám.
Am. Cape.
Própera, amabo, efférre. *Sc.* Manta: iam híc ero, voluptás mea.
Am. Quíd sacerdotí me dicam hic démoratam tám diu?
Út etiam nunc misera timeo, ubi óculis intueór mare!
Sed quíd ego misera vídeo procul in lítore?
Meum herúm lenonem Sícilíensemque hóspitem,
Quos périisse ambos misera censebam ín mari!
Iam íllud mali plus nóbis vivit, quám ratae.
Sed quíd ego cesso fúgere in fanum, ac dícere haec
Palaéstrae: in aram utí confugiamús prius,
Quam húc scelestus véniat, nosque hic ópprimat?
Confúgiam hinc: res ita súppetit subitó mihi.

ACTUS II. SCENA V.

SCEPARNIO.

Proh di ímmortales, ín aqua nunquam crédidi
Voluptátem inesse tántam! Ut hanc traxí lubens!
Nimió minus altus púteus vísust, quám prius.
Ut síne labore hanc éxtraxi! Praefiscine,
Satis néquam sum: utpóte qui hodíe incéperim
Amáre. Hem tibi aquam, méa tu bella. Hem, síc volo
Te férre honeste, ut égo fero: ut placeás mihi. —
Sed ubi tú es, delicáta? Cape aquam hanc, sís. Ubi es? —
Amat hércle me, ut ego opínor: delituít mala. —

14. *aias*, concedas, sc. aquam.
15. *ornatus*, quippe quae cum urna venerit.
16. *meus quoq.* Obscenum subest.
17. Omnes: *Haec sacerdos Veneris hinc me.*
18. *basilicus*, superbus, fastidiosus.
24. Vulg. et Pall. *Eugepae.* Vett. et Ven. *Euge.*
32. *Iam illud mali plus.* Sic omnes, et sensus fuerit: Plus mali nobis vivit, quam ratae eramus. *Illud* pleonastice adiectum, quasi δεικτικῶς, et *iam* est i. q. etiam, adhuc.
35. Omnes: *scelestus leno.*
Act. II. Sc. V. Redit Sceparnio cum aqua. Quaerit ubique Ampeliscam. Quam quoniam non invenit, ad fanum accedit, et urnam intro fert, frustra evocata sacerdote.
8. *delicata*, i. e. quae delicias facis, quae ludis me, *du Spafsmacherin.* Existimat enim eam ioco se abscondidisse. Cf. Mil. 4, 1, 37.

Ubi tu és? etiamne hanc úrnam acceptura és? ubi es? —
Commódule melius. — Tándem vero sério!
Etiam ácceptura es úrnam hanc? ubi tu es géntium?
Núsquam hércle equidem illam vídeo. Ludos mé facit.
Adpónam hercle urnam iám ego hanc in mediá via.
Sed aútem, quid si hanc hínc abstulerit quíspiam
Sacram úrnam Veneris? Mi éxhibeat negótium.
Metuo hércle, ne illa múlier mi insidiás locet,
Ut cómprehendar cúm sacra urna Véneris.
Nempe óptumo me iúre in vinclis énicet
Magistrátus, si quis me hánc habere víderit:
Nam haec lítterata est: áb se cantat, quóia sit.
Iam hercle évocabo hinc hánc sacerdotém foras:
Ut hánc accipiat úrnam. Accedam huc ád fores.
Heus, sís, Ptolemocratía, cape hanc urnám tibi!
Muliércula hanc nescío quae huc ad me détulit.
Intróferunda est. Réperi negótium,
Siquidem hís mihi ultro ádgerunda etiam ést aqua.

ACTUS II. SCENA VI.

LABRAX. CHARMIDES.

La. Qui homo ésse sese míserum et mendicúm volet,
Neptúno credat sése atque aetatém suam:
Nam sí quis quid cum éo rei commíscuit,
Ad hóc exemplum amíttit ornatúm domum.
Edepól, Libertas, lépida es, quae nunqnám pedem

11. *Commodule melius.* Cf. Stich. V, 4, 8. *Pro opibus nostris satis commodule*, i. e. satis commode. Hinc videtur sensus: melius est, commode rem peragere, quam ita ut operose te quaeram. *Tandem vero serio*, sc. agamus.

12. *Etiam* accipito, quasi sit: Etiam tibi dico, h. e. iterum iterumque tibi dico ut accipias urnam. Is enim sensus est huius coniunctionis in Plauto. Cf. Amph. I, 1, 228. Aul. I, 1, 16. As. I, 1, 94. V, 2, 73.

26. Vett. *In proferunda abiit.* Ven. *In proferundast.* Sensus: Sed ipsi mihi introferunda est urna. Nemo enim egreditur.

27. ultro *mihi* Vett. — Vulg. et Ven. *mihi ultro*, ut et Pall. ut non sit elidendum.

Act. II. Sc. IV. Labrax et Charmides, ex naufragio, sese invicem culpant, lamentantur suas fortunas.

1. *esse* deest in omnibus. Addidimus. Bothius sic: *Qui homo hominem sese mis.*

2. *aetatem*, vitam, ut saepe.

4. *ad hoc exemplum*, sc. ad quod nos amisit h. e. dimisit. Cf. Men. 2, 2, 68. *ornatum*, *zugerichtet.*

5. Vulg. *Edepol, Libertas, lepida es, qu. n. p. V. in navem cum Hercule una imp.* Vett. item. At Veneta: *Aedepol Libertas, lep. ės, q. n. p. Voluisti in navem mecum hercle una imp.* Hinc Bothius: *Edepol, liberta, es lepida, q n. p. V. i. n. mecum hercle una imp.*, libertam intelligens Labracis, quae eadem fuerit eius uxor, quemadmodum non rarae sint inscriptiones: *LIBERTA ET CONIUX.* — *LIBERTAE ET UXORI BENE MERENTI.* Cf. Hor. Sat. I, 1, 99. *at hunc liberta securi Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.* Sin tueare vulgatam, respexerit ad Comoediam aliquam, in qua Libertas noluerit cum Hercule navigare, quia in navi libera non sit futura. Atque verba *lepida es* videntur quasi esse: *lepide fictum illud de Libertate in Comoedia.* Et adverbium *nunquam* non aptum videtur huic Labracis navigationi. Denique omnia sua Labrax impesuerat in

Voluísti in navem cum Hércule una impónere.
Sed ubi ille meus est hóspes, qui me pérdidit?
Atque, éccum, incedit. *Ch.* Quó, malum, properás, Labrax?
Nam equidém te nequeo cónsequi tam stréaue.
La. Utinám, te prius quam óculis vidissém meis,
Maló cruciatu in Síciliam perbíteres,
Quem própter hoc mihi óbtigit miseró mali!
Ch. Utinám, quom in aedis me ád te adduxistí tuas,
In cárcere illo pótius cubuissém die!
Deosque ímmortalis quaéso, dum vivás, uti
Omnés tui similes hóspites habeás tibi.
La. Malám Fortunam in aédis te adduxí meas.
Quid míhi scelesto tíbi erat auscultátio,
Quidve hínc abítio, quídve in navem inscénsio,
Ubi pérdidi etiam plús boni, quam míhi fuit?
Ch. Pol mínume miror, návis si fracta ést tibi,
Scelus te ét sceleste párta quae vexit bona.
La. Pessúmdedisti mé blandimentís tuis.
Ch. Sceléstiorem coénam coenaví tuam,
Quam quaé Thyestae ánteposita et Téreo est.
La. Perii, ánimo male fit! Cóntine, quaesó, caput.
Ch. Pulmóneum edepol nímis velim vomitúm vomas.
La. Eheú, Palaestra atque Ámpelisca, ubi éstis nunc?
Ch. Piscíbus in alto, crédo, praebent pábulum.
La. Mendícitatem mi óbtulisti operá tua,
Dum tuís ausculto mágnidicis mendáciis.
Ch. Bonam ést quod habeas grátiam meritó mihi,
Qui te éx insulso sálsum feci operá mea.
La. Quin tu hínc is a me in máxumam malám crucem?
Ch. Eás: easque rés agebam cómmodum.
La. Eheú, quis vivit mé mortalis míserior?
Ch. Ego múlto tanto míserior, quam tú, Labrax.
La. Qui? *Ch.* Quía ego indignus súm, tu dignus, quí sies.
La. O scírpe, scirpe, laúdo fortunás tuas,
Qui sémper servas glóriam aritúdinis!
Ch. Equidém me ad velitátionem exérceo:

navem. Cf. Lucian. de mercede cond. c. 23. *Οὐ γὰρ ἐθελήσει σοι ἡ Ἐλευθερία ξυνεισελθεῖν.*

11. *In Siciliam*, ἀρχαϊκῶς pro *in Sicilia.* Atque sic Pall. et vulg. — *perbíteres*, i. q. perisses.

18. Quid me impulit infelicem, ut tibi auscultarem? *Scelestus* i. q. δαιμόνιος, infelix. Cf. Amph. II, 1, 2. Cas. 3, 5, 45. Poen. I, 1, 72. Similia substantiva vide Amph. I, 3, 21. *Quid tibi hanc curatio est rem, verbero, aut muttitio?*

25. Vett. et vulg. *Thyestae quondam.* Veneta autem: *Quam quae Thyestae quondam anteposita est ab Atreo.* Transposui v. est.

27. Sensus: utinam pulmoneam evomas.

35. Veneta: *Meas qui res agebam commodum.* Bothius: *Das* (i. e. dicis) *eas, quas tecum res agebam commodum.* Libri: *Das eas quae res ag. c.* Iunt. Ald. *Da quas res tecum in navi ag. c.* Vulgatae sensus: Tu ipse eas in malam crucem; egoque brevi ante idem feci, in naufragio. Nam commodum i. e. q. modo, hoc ipso tempore, ut Cic. ad Att. 13, 9. *Commodum ad te dederam litteras,* cum etc. Cf. Stich. 2, 2, 41.

Nam omnía coruscа praé tremore fábulor.
La. Edepól, Neptune, es bálneator frígidus:
Cum véstimentis, pósteaquam abs te abii, álgeo.
Ne thérmopolióm quidem ullum ínstruit:
Ita sálsam praebet pótionem et frígidam.
Ch. Ut fórtunati súnt fabri ferrárii,
Qui apúd carbones ádsident! sempér calent.
La. Utinám fortuna núnc anatina úterer,
Uti, quom éxivissem éx aqua, arerém tamen!
Ch. Quid, si áliquo ad ludos mé pro manducó locem?
La. Quaprópter? *Ch.* Quia pol cláre crepito déntibus.
*** iure optumó me lavisse árbitror.
La. Qui? *Ch.* Quía auderem técum in navem ascéndere,
Qui a fúndamento mi úsque movistí mare.
La. Tibi aúscultavi: tú promittebás mihi,
Illic ésse quaestum máxumum meretrícibus;
Ibi mé corruere pósse aiebas dívitias.
Ch. Iam póstulabas, te, ímpurata bélua,
Totám Siciliam dévoraturum ínsulam.
La. Quaenám balaena méum voravit vídulum,
Aurum átque argentum ubi ómne compactúm fuit?
Ch. Eadem ílla, credo, quaé meum marsúpium,
Quod plénum argenti fúit, in saccipério.
La. Eheú, redactus sum úsque ad unam hanc túniculam.
Et ad hóc misellum pállium! perii óppido!
Ch. Vel cónsociare míhi quidem tecúm licet:
Aequás habemus pártes. *La.* Saltem sí mihi
Muliérculae essent sálvae, spes aliquaé forent;
Nunc sí me adulescens Pleúsidippus víderit,
A quo árrhabonem pró Palaestra accéperam,
Iam is éxhibebit híc mihi negótium.
Ch. Quid, stúlte, ploras? tíbi quidem edepol cópia est,
Dum língua vivet, quí rem solvas ómnibus.

---

41. *ad velitationem*, cf. Asin. 2, 2, 41. Innuit, se prae frigore trepidare celeriterque moveri, tamquam velites.

42. *corusca*, *fulminantia* quasi, *trepida*, propter frigus, ita ut verba adeo frigere videantur.

45, 46. Hi versus mihi spurii videntur, partim propter sensum, qui nullus inest idoneus, partim quia non nisi binis interlocutores sibi respondent. Denique praecedente secunda persona, sequitur tertia. Deberet enim esse *instruis*, *praebes*. Personarum autem nomina mutari nequeunt.

51. *manducus* erat in pompa, qui larva indutus maxima, ore magno et dentibus spectatores terrebat. Vid. Festus.

53. Sic Pall. vulg. et Ven. Expletur lacuna a Vett. sic: *Sed nunc iure opt.* Bothius sic: *Iure optimo modo me l. a.*

55. *movisti* sc. per scelera tua.

58. *corruere*, coacervare.

59. *postulabas*, sperabas. V. Ind.

65. *unam hanc* Lamb. et V. C. et B. — Vulg. vett. Ven. et Decurt. *hanc unam.*

72. *Iam is.* Sic vett. — Vulg. Pall. Ven. et B. *Iam se.* — *Hic* i. q. hoc loco. *iam* i. q. brevi.

ACTUS II. SCENA VII.

SCEPARNIO. CHARMIDES. LABRAX.

Sc. Quíd illuc, obsecró, negoti, quód duae muliérculae
Híc in fano Véneris signum fléntes amplexaé tenent,
Néscio quem metuéntes miserae? Nócte hac vero próxuma
Sé iactatas átque eiectas hódie esse aiunt é mari.
La. Óbsecro hercle, aduléscens, ubi istaec súnt, quas memoras, múlieres?
Sc. Híc in fano Véneris. *La.* Quot sunt? *Sc.* Tótidem, quot ego et tú sumus.
La. Némpe meae? *Sc.* Nempe néscio istuc. *La.* Quá sunt facie? *Sc.* Scítula.
Vél ego amare utrámvis possim, sí probe adpotús siem.
La. Némpe puellae? *Sc.* Némpe molestus és. Tu vise, sí lubet.
La. Méas oportet íntus esse hic múlieres, mi Chármides.
Ch. Iúpiter te pérdat et, si súnt, et, si non súnt, tamen!
La. Íntrorumpam iam húc in Veneris fánum. *Ch.* In barathrum mávelim. —
Óbsecro, hospes, dá mihi aliquid, úbi condormiscám, loci.
Sc. Ístic, ubi vis, cóndormisce: némo prohibet: públicum est.
Ch. Át vides me, ornátus ut sim véstimentis úvidis:
Récipe me in tectúm; da mihi vestímenti aliquid áridi,
Dum árescunt mea. Ín aliquo tibi grátiam referám loco.
Sc. Tégillum eccillúd mihi unum aréscit; id, si vís, dabo:
Eódem amictus, eódem·tectus ésse soleo, sí pluit.
Tu ístaec mihi dato: éxarescent fáxo. *Ch.* Eho, an te poénitet,
Ín mari quod élavi, nisi híc in terra iterum éluam?
Sc. Éluas tu an éxungare, cíccum non intérduim.
Tíbi ego nunquam quídquam credam, nísi accepto pígnore.
Tú vel suda, vél peri algu, vél tu aegrota, vél vale.
Bárbarum hospitém mihi in aedes níhil moror: sat lítium est.
Ch. Iámne abis? Venáles illic dúctitavit, quísquis est:
Nón est misericórs. Sed quid ego hic ádsto infelix, úvidus?
Quín abeo hinc in Véneris fanum, ut édormiscam hanc crápulam,

Act. II. Sc. VII. Egreditur Sceparnio ex fano Veneris, posteaquam eo urnam introtulerat, miraturque se vidisse ibi duas mulierculas. Quo audito statim in fanum irrumpit Labrax, suas esse certus. Interim Charmides ab Sceparnione petit, ut sibi praebeat vestem aliquam et locum ubi dormiscat, dum vestimenta sua exarescant. A quo quia repulsam fert, introit ipse quoque in fanum.

1. Ven. et Decurt. *Quid est ill.* Vett. *Quid istuc est obs.* Vulg. omittit *est.* Uterque Pal. *illuc*, non *istuc.*

7. *Nempe* alterum ut monosyllabum eloquere. Cf. Ind.

9. Addidi *Tu*, versus causa. Both. *I, vise.*

14. *Istic*, i. e. hic humi.

15. *ut*, i. e. quemodo. V. Ind.

17. *loco* addit cod. Ambros. — In vulg. et Ven. deest. — Vett. *Dum mea arescunt; in aliquo referam gratiam tibi.* Pall. *Dum arescunt mea.*

18. *Tegillum eccillud.* Ostendit suam ipsius vestem.

20. *istaec*, sc. tua vestimenta.

21. *eluam*, a te vestibus frauder?

25. *barbarum*, vel peregrinum notat, vel Romanum. Nam barbari apud Plautum Romani dicuntur. Cf. Capt. 3, 1, 32. At hic Siculum peregrinum int.

26. *venales* sunt servi, quos qui *ductitabant*, mangones erant eorum, et plerumque saevi atque immisericordes.

Quám potavi praéter animi, quám lubuit, senténtiam?
Quási vinis Graecís Neptunus nóbis subfúdit mare;
Ítaque alvom prodísperavit nóbis salsis póculis.
Quíd opust verbis? si invitare nós paulisper pérgeret,
Íbidem obdormissémus; nunc vix vívos amisít domum.
Núnc lenonem, quíd agit intus, vísam, convivám meum.

ACTUS III. SCENA I.

DAEMONES.

Mirís modis di lúdos faciunt hóminibus,
Mirísque exemplis sómnia in somnís danunt;
Ne dórmientes quídem sinunt quiéscere.
Velút ego hac nócte, quáe praecessit, próxuma
Mirum átque inscitum sómniavi sómnium.
Ad hirúndininum nídum visa est símia
Ascénsionem ut fáceret admolírier,
Neque eás eripere quíbat inde. Póstibi
Vidétur ad me símia adgredírier,
Rogáre, scalas út darem utendás sibi.
Ego ad hóc exemplum símiae respóndeo:
Natás ex Philomela átque ex Procne [esse] hirúndines:
Ago cum ílla, ne quid nóceat meis populáribus.
Atque ílla animo iám fieri ferócior:
Vidétur ultro míhi malum minitárier;
In iús vocat me.. Íbi ego nescio quómodo
Irátus videor médiam arripere símiam;
Conclúdo in vincla béstiam nequíssumam.
Nunc, quám ad rem dicam hoc áttinere sómnium,

30. Constructio: Neptunus nobis mare subfudit, ut aqua marina subfunditur vinis Graecis. V. Horat. Sat. II, 8, 15. *Chium maris expers.* — *prodi speravit.* Sic Pall. vulg. Both. — Uno verbo *prodisperavit* Ven. et vett. — Lamb. *prodisparavit.* Mihi ineptum videtur *speravit.* Nam non speravit tantum, sed effecit. Itaque ἅπαξ λεγόμενον, quod vett. et Ven. exhibent, videtur retinendum eo sensu, ut sit *ciere*, *solvere*, *movere.* — *Itaque*, ut saepe, pro *ita.* V. Ind. Est enim apodosis.

32. *invitare*, *zuzutrinken.* *pergeret*, i. perrexisset.

33. *obdormissemus*, mortui essemus.

34. Vett. *agat.* Nostr. Pall. et vulg.

Act. III. Sc. I. Somniasse sese narrat de simia, quae voluerit nidum hirundinis expugnare, et suum auxilium advocaverit. Se cum illa litem gestasse, illamque in vincula coniecisse. Quod somnium dum interpretari se posse negat, en auditur clamor in Veneris fano.

1, 2, 4. Iidem versus leguntur Merc. 2, 1, 1—3.

2. Pro *somnia* V. C. *omina*, Dec. *omnia.* Sed v. vs. 5 et 19.

8. *eripere* vulg. et Ven. et Pall. At Vett. *recipere.*

9. Omnes: *videbatur.* Nostr. Reiz. Cf. v. 15.

12. Sic omnes. Both. *ac Procne.* Fortasse *esse* abiiciendum. An *natas* una quasi syllaba proferendum? De Procne cf. Aristoph. Av. vs. 665.

13. *meis popularibus*, Atticis, unde Philomela et Procne erant, regis Pandionis filiae.

Numquam hódie quivi ad cóniecturam evádere.
Sed, quid hic in Veneris fáno [meae viciniae]
Clamóris oritur, ánimus miratúr meus.

ACTUS III. SCENA II.

TRACHALIO. DAEMONES.

Tr. Próh, Cyrenensés populares, vóstram ego imploró fidem!
Ágricolae, accolaé, propinqui qui éstis his regiónibus,
Férte opem inopiae átque exemplum péssumum pessúmdate!
Víndicate: ne ímpiorum pótior sit polléntia,
Quam ínnocentum, quí se scelere fíeri nolunt nóbiles.
Státuite exemplum ímpudenti; dáte pudori praémium!
Fácite hic lege pótius liceat, quám vi, victo vívere!
Cúrrite huc in Véneris fanum! Vóstram iterum imploró fidem,
Quí prope hic adéstis, quique audítis clamorém meum,
Férte suppetiás, qui Veneri Véneriaeque antístitae
Móre antiquo in cústodelam súom commiserúnt caput!
Praétorquete iniúriae prius cóllum, quam ad vos pérveniat!
Dae. Quíd istuc est negóti? *Tr.* Per ego haec génua te obtestór, senex,
Quísquis es.... *Dae.* Quin tu érgo omitte génua et, quid sit, mi éxpedi,
Quíd tumultués! *Tr.* teque oro et quaéso, si sperás tibi
Hóc anno multúm futurum sirpe et laserpítium,
Eámque eventuram éxagogam Cápuam salvam et sóspitem,
Átque ab lippitúdine usque síccitas ut sít tibi....
Dae. Sánun' es? *Tr.* seu tíbi confidis fóre multam magúdarim:
Út te ne pigeát dare operam míhi, quod te orabó, senex.
Dae. Át ego te per crúra et talos térgumque obtestór tuom,
Út tibi ulmeam úberem esse spéras virgidémiam,

21. Veneta: *'Sed quid in Veneris phano clamoris oritur? animus miratur.* tamquam uno versu. Quamquam eadem et in praec. longiores habet versus senarios. Vulg. ut Pall. duobus: *Sed quid hic in Veneris fano — Clamoris oritur. Animus mirat.* Ut videatur in utroque aliquid excidisse in fine. Item vett., quae tamen in altero versu habent: *Animus miratur meus.* Lambinus ex suis libris priori addit in fine: *meae viciniae.* Bothius trochaicum tetram. habet: *Séd, quid hic in Véneris fano oritúr clamoris, ánimus mirat.*

Act. III. Sc. II. Trachalio ex fano proruens precatur auxilium contra Labracem, qui puellas abstrahere velit. Ergo Daemones servos suos evocat, eosque intromittit ad mulctandum lenonem. Egrediuntur puellae ex fano.

1. Cf. Aul. 3, 1, 1.

3. *exemplum p. p.* i. e. pessimum facinus punite.

5. *nobiles*, i. notos, insignes.

7. *Quam vi victo vivere.* Sic omnes. Atque similis locus in Sall. Iug. 42. *Sed bono vinci satius est, quam malo more iniuriam vincere.*

11. Omnes: *in custodiam.*

12. Omnes: *perveniat.*

13. Omnes: *per ego te haec g. o. s.*

16. *Sirpe, laserpitium, magudaris;* (v. 18) harum herbarum admodum ferax erat ager Cyrenensis. Cf. Prisc. libr. 7. Solin. c. 15 et 40. Theophr. VI, 3. Dioscor. III, 94.

17. *exagogam*, i. e. exportationem hinc in urbem Capuam. Sensus: et ut eas merces multas mittere possis Capuam mari salvas et sospites. Pro Capuam, quod Pall., vett. et Ven. captum.

Ét tibi esse evénturam hoc anno úberem messém mali,
Út mi istuc dicás negoti quíd sit, quod tumúltues.
TR. Quí lubet maledícere? equidem tíbi bona optavi ómnia.
DAE. Béne equidem tibi díco, qui, te digna ut eveniant, precor.
TR. Óbsecro, hoc praevórtere ergo. *DAE.* Quíd negoti est? *TR.* Múlieres
Dúae innocentes íntus hic sunt, túi indigentes aúxili,
Quíbus advorsum iús legesque insignite iniúria hic
Fácta est fitque in Véneris fano; túm sacerdos Véneris
Índigne adflictátur. *DAE.* Quis homo est tánta confidéntia,
Quí sacerdotem aúdeat violáre? Sed eae múlieres
Quaé sunt, aut quid íis iniqui fít? *TR.* Si das operam, éloquar.
Véneris signum súnt amplexae; núnc ***
Eás deripere vúlt. Eas ambas ésse oportet líberas.
DAE. Quís istic est, qui déos tam parvi péndit? Paucis éxpedi.
TR. Fraúdis, sceleris, párricidii, périurii plenissimus,
Légirupa, impudéns, impurus, inverecundíssumus;
Úno verbo absólvam: leno est: quíd illum porro praédicem?
DAE. Édepol infortúnio hominem praédicas donábilem.
TR. Quí sacerdotí scelestus faúces interprésserit.
DAE. Át malo cum magnó suo hercle fécit. Ite istínc foras,
Túrbalio, Sparáx! Ubi estis? *TR.* I, óbsecro, intro! súbveni
Íllis! *DAE.* Iterum haud ímperabo. Séquimini hac! *TR.* Age, núnc iam
Iúbe oculos elídere, itidem ut sépiis faciúnt coqui!
DAE. Prórípite hominem pédibus huc, itidém quasi occisám suem! —
TR. Aúdio tumúltum: opinor, léno pugnis péctitur.
Nímis velim improbíssumo homini málas edentáverint.
Séd, eccas, ipsae huc égrediuntur tímidae e fano múlieres.

ACTUS III. SCENA III.

PALAESTRA. AMPELISCA. TRACHALIO.

PA. Núnc id est, quum ómnium cópiarum átque opum,

25. Omnes: *exoptavi.* Nostr. Reiz. Both.

27. *praevortere*, hoc ante alia omnia age.

32. Geppert: *violare audeat?*

34. Post *nunc* Lamb. addit: *homo audacissimus.* Nam in libris lacuna est, fortasse ibidem loci in plagula, quo supra III, 1, 21. Geppert: *nunc eas deripere volt.*

36. *paucis expedi.* Et haec et v. praec. *liberas* adiecta sunt a Lambino ex codd.

37. Sic vett. — Vulg. et Ven. *plenus.* Sed et in hoc v. excidit aliquid; quod clare patet ex V. C. et Dec. Deinde et in sequenti legitur superlativus.

39. Geppert: *qui illum.*

42. Sic vett. — Vulg. et Ven. *fecit hercle*, uti Geppert. Male.

44. *Iterum haud imperabo.* Suppl. potius vapulabitis, nisi progediemini, Turbalio et Sparax.

49. Omnes: *Sed ecce.* Nostr. Both.

ACT. III. Sc. III. Fugiunt ex fano puellae. Trachalio eas consolatur, et ad aram sedere iubet. Precantur Venerem, ut se tutetur.

1. *Nunc id est.* Similiter Capt. 3,

Aúxili, praésidi, víduitas nós tenet;
Úlla nec spécula est, quaé salutem ádferat;
Néc, quam in partem íngredi pérsequamur, scio.
Máximo miserae ín metu núnc sumus ámbae:
Tánta importúnitas tántaque iniúria
Fácta in nos ést modo hic íntus ab nóstro hero,
Quí scelestús sacerdótem anum praécipem
Répulit, própulit, pérquam indignís modis,
Nósque ab signo íntumo ví deripuít sua.
Séd nunc, se ut rés fortunaéque nostraé ferunt,
Pár moriri ést; neque est mélius morte ín malis
Rébus, miserís. *Tr.* Quid est? quae íllaec orátio est?
Césso ego has cónsolari? Heús, Palaestra! *Pa.* Quí vocat?
Tr. Heús, Ampelísca! *Am.* Obsecró, quis est, quí vocat?
Quís is est, qui nóminat? *Tr.* Sí respexís, scies.
Pa. Ó salutís meae spés! *Tr.* Tace ac bóno animo es.
Mé vide! *Pa.* Sí modo id líceat, vis ne ópprimat;
Quaé vis, vim mi ádferam ipsa, ádigit. *Tr.* Ah, désine:
Nímis inepta és.
Pa. Desiste dictis núnc iam miserám me consolári.
Nisi quíd re praesidium ádparas, Trachálio, acta haec rés est!
Certum ést moriri, quam húnc pati grassári lenonem ín me.
Sed múliebri animo súm tamen: miserae ubi venit in méntem
Mihi mórtis, metus membra óccupat edepól. *Tr.* Etsi hoc acérbum,
Bonum ánimum habete. *Pa.* Nam, óbsecro, unde ánimus mihi invenítur?
Tr. Ne, inquám, timete. Adsídite hic in ára. *Am.* Istaec quid ára
Prodésse nobis plús potest, quam sígnum in fano hic íntus
Venerís, quod amplexaé modo, unde abréptae per vim míserae?
Tr. Sedéte hic modo: ego hinc vós tamen tutábor. Aram habéte hanc
Vobís pro castris, moénia haec: hinc égo vos defensábo.
Praesídio Veneris málitiae lenónis contra incédam.
Am. Tibi aúscultamus; ét, Venus alma, ambaé ted obsecrámus,

3, 1. *Nunc illud est, quum me fuisse quam esse nimio mavelim.*

3. Vulg. et vett. *Nec ulla.* Geppert: *Nulla nunc sp. e.* Idem multa hic novat secusque ex ingenio, ut videtur, constituit, quae nullius fructus sunt. Quare porro non commemorabuntur. — *Specula*, i. spes parva. Sed in Ven. locus lacunosus hoc modo legitur: ..... *cuia est, quae salutem afferat* ...... *Mortem ingredi persequamur* .... *In metu nunc sumus ambae* ..... *importunitas* ... *tantaque iniuria* .... *nos est modo hic intus ab nostro hero.* Quae lacunae eodem modo fere in Palat. cod. leguntur et ab editoribus hoc modo, quo dedimus, sunt expletae.

11. Edd. *Sed nunc sese ut ferunt res fortunaeque nostrae, Par est moriri.*

14. *Palaestra* contractim pronunciato, tamquam *P'laestra.* Similiter alibi in nominibus faciendum. Cf. Cas. 3, 5, 11.

20. *inepta*, nimis timida.

23. In Ven. et Pall. deest v. *grassari.*

25. Ven. *Tr. hunc acerbum* ....

26. *Nam obs.* i. e. Unde nam, obsecro, animus mihi invenitur? Veneta: *Nam obsecro unde? Tr. intus inibi invenitur.*

31. In edd. deest *haec*, quod ad explendum versum adiecimus.

33. Vett. *ted.* Vulg. *te.*

Aram ámplexantes hánc tuam lacrumántes, genibus níxae,
Nos in custodelám tuam ut recípias et tutére;
Illós scelestos, quí tuom fecérunt fanum párvi,
Ut últiscare, nósque ut hanc tua páce aram obsidére
Patiáre, quae elautaé sumus operá Neptuni nóctu,
Ne invísas habeas, néve idcirco nóbis vitio vórtas,
Si quídpiam est, minus quód bene esse laútum tu arbitrére.
Tr. Aequom hásce petere intéllego: decet ábs te id impetrári.
Ignóscere his te cónvenit: metus hás, ut faciant, súbigit.
Te ex cóncha natam esse aútumant: cave tu hárum conchas spérnas.
Sed óptume eccum exít senex, patrónus mihique et vóbis.

ACTUS III. SCENA IV.

DAEMONES. LABRAX. MULIERES. LORARII. TRACHALIO.

Dae. Éxi e fano, nátum quantum est, hóminum sacrilegíssume!
Vós in aram abíte sessum. Séd ubi sunt? *Tr.* Huc réspice.
Dae. Óptume. *Lo.* Istuc vólueramus. Iúbe modo accedát prope.
Dae. Tún' legirupiónem hic nobis cúm dis facere póstulas?
Púgnum in os impínge. *La.* Iniqua haec pátior cum pretió tuo.
Dae. Át etiam minitátur audax. *La.* Iús meum ereptum ést mihi!
Méas mihi ancillás invito me éripis. *Tr.* Ergó dato
Dé senatu Cyrenensi quémvis opulentum árbitrum,
Sí tuas esse opórtet, nive eas ésse oportet líberas,
Neú te in carcerém compingi est aéquom, aetatémque ibi
Te úsque habitare, dónec totum cárcerem contríveris.
La. Nón hodie isti rei aúspicavi, ut cúm furcifero fábuler;
Té ego appello. *Dae.* Cúm istoc primum, quí te novit, dísputa.
La. Técum ago. *Tr.* Atqui mécum agendum est. Súntne illae ancillaé tuae?
La. Súnt. *Tr.* Agedum ergo, tánge utramvis dígitulo minumé modo.

36. Edd. *custodiam.* Cf. III, 2, 11.

37. Verba: *Ut ulciscare* desunt in Ven. quae lacunam habet, sequente: *arenosque ut h.* uti et Pall.

38. Hoc versu itidem lacuna est in Ven.: itemque Pall. .... *aut eae ambae sumus opera neptunei noctu.*

39. Verba *Ne invisas* itidem in Ven. et Pall. desunt.

40. *tu* addunt vett. — Ceterum haec respiciunt orationem Sacerdotis I, 5, 13.

41. Sic vett. — Vulg. *has*, ut et Pall.

42. Omnes: *id ut faciant.*

Act. III. Sc. IV. Prorumpit Labrax e fano cum Daemone et lorariis. Quaerit abducere puellas ab ara. Defendunt eas Daemones cum suis, et Trachalio. Denique Trachalio abit, ut herum suum Pleusidippum adducat.

2. *ubi sunt*, sc. puellae.

4. Sic vulg. et vett. Sensusque: Tune, quum sis legirupa, hic etiam apud deorum aras legirupionem facere intendis?

5. *in os*, in caput. Nam os Plauto caput est. Cf. Mil. 2, 2, 58. Amph. 1, 1, 165. Capt. 4, 2, 14. Curc. 2, 3, 8. Caput autem maxime feriebatur. — *pretio*, damno, poena.

7. Verba *Ergo dato* non leguntur in Pall. et Ven. neque vs. sq. *arbitrum*, quae addita in edd. ad explendam lacunam.

10. Vett. Pall. Ven. *Neu.* Vulg. *Nive.*

12. *rei* totum elidendum, ut alibi *mei*, *sibi*, *eam*, al.

La. Quíd, si attigero? *Tr.* Extémplo hercle ego te fóllem pugilatórium
Fáciam et pendentem íncursabo púgnis, periuríssume!
La. Míhi non liceat méas ancillas Véneris de ara abdúcere?
Dae. Nón licet: ita ést lex apud nos. *La.* Míhi cum vostris légibus
Níhil est commerci. Équidem istas iam ámbas educám foras.
Tú, senex, si istás amas: huc árido argento ést opus.
Dae. Haé autem Veneri cómplacuerunt. *La.* Hábeat, si argentúm dabit.
Dae. Ého, tibi argentúm? Nunc adeo, ut scías meam senténtiam,
Óccipito modo íllis adferre vím ioculo pauxíllulam:
Íta hinc ego te ornátum amittam, tu ípsus te ut non nóveris!
Vós adeo, ubi ego innúero vobis, ni éi caput exoculássitis,
Quási murteta iúncis, [item] ego vos vírgis circumvínciam!
La. Ví agis mecum. *Tr.* Etiám vim opprobras, flágitii flagrántia?
La. Tún', trifurcifér, mihi audes ínclementer dícere?
Tr. Fáteor, ego trifúrcifer sum; tú es homo apprimé probus.
Númqui minus hasce ésse oportet líberas? *La.* Quid? líberas?
Tr. Atque heras tuás quidem hercle, atque éx germana Graécia:
Nam áltera haec est náta Athenis íngenuis paréntibus.
Dae. Quíd ego ex te audio? *Tr.* Hánc Athenis ésse natam líberam.
Dae. Meá popularis, óbsecro, haec est? *Tr.* Nón tu Cyrenénsis es?
Dae. Ímo Athenis nátus altusque éducatusque Átticis.
Tr. Óbsecro, defénde civis tuás, senex! *Dae.* O fília!
Quóm ego hanc video, meárum me absens míseriarum cómmones!
Tríma quae periít mihi, iam tanta ésset, si vivít, scio.
La. Árgentum ego pro istísce ambabus, quóiae erant, dominé dedi:
Quíd mea refert, haé Athenis nátae an Thebís sient,
Dúm mihi recte sérvitutem sérviant? *Tr.* Itane, ímpudens?
Túne hic, feles vírginalis, líberos paréntibus
Súblectos habébis atque indígno quaestu cónteres?
Nám huic alteraé patria quae sít, profecto néscio;
Nísi scio, probiórem hanc esse, quám te, impuratíssume.
La. Túaen' istae sunt? *Tr.* Cóntende ergo, utér sit tergo vérior.

16. *follem pug.*, ad quem pugiles se exercebant in ludis, tamquam ad statuam.

19, 20. Iterum lacunae. Verba enim *Non licet*, *ita* et seq. vs. *Nihil est* desunt in Ven. et Pall.

22. *Hae* non elidendum, *autem* vero corripiendum priori syllaba (Cf. Indicem v. *autem correptim pr.*) quasi: *Haé ătem.*

23. Ven. *Do tibi arg.* ut et Vulg. et vett. et Pall. — Lamb. *Dem tibi arg.* Both. *Det. t.* Reiz.: *Dea tibi argentum?* Al. *Eho*, quod praefero.

24. Omnes: *modo illis afferre.* Both. m. *his aff.* — *illis* monosyllabum, uti saepissume.

26. Vulg. et vett. *si ne ei.* Ven. *si non.* Nostr. B.

27. Omnes add. *item.*

33. Ven. *Athenis sine testibus.* Vett. *sincerissimis testibus.* Nostr. vulg. ad expl. lacunam. V. C. *in e ...... tibus.* Dec. *sine ..... tibus.*

37. Vett. et Ven. *o filia mea.*

39. *esset.* Sic Pall.

43. Vett. *falsis.* Vulg. *felles.* Ven. *fallis*, uti et Pall. Cf. Pers. 4, 9, 14.

47. *Tuaen'* vett. — Vulg. *Tuae*, ut Pall.

Ni óbferrumentás habebis plúria in tergó tuo,
Quam úlla navis lónga clavos: tum égo ero mendacissumus.
Póstea adspicitó meum, quando égo tuom inspectávero.
Ni erit tam sincérum, ut quivis dicat ampullárius
Óptumum esse operí faciundo córium et sincerissumum:
Quíd causae est, quin vírgis te usque ad sáturitatem saúciem?
Quíd illas spectas? quás si attigeris, óculos eripiám tibi!
La. Átquin, quia vetás, utramque iám mecum abducám simul.
Dae. Quíd facies? *La.* Volcánum adducam: is Véneris 'st adversárius.
Dae. Quó illic it? *La.* Heus, écquis hic est? heús! *Tr.* Si attigeris óstium:
Iám tibi hercle in óre messis fiet mergis púgneis!
Lorarius. Núllum habemus ígnem; ficis victitamus áridis.
Dae. Égo dabo ignem, síquidem in capite tuó conflandi cópia est.
La. Íbo hercle aliquo quaéritatum ígnem. *Dae.* Quid, quom invéneris?
La. Ígnem magnum hic fáciam. *Dae.* Quin, ut húmanum exurás tibi.
La. Ímo hasce ambas híc in ara ut vívas comburam! *Dae.* Íd volo!
Nam hércle ego te barbá continuo arrípiam, in ignem cóniciam,
Téque ambustulátum obiiciam mágnis avibus pábulum!
Quóm coniecturam égomet mecum fácio: haec illa est símia,
Quae hás hirundinés ex nido vólt eripere ingrátiis,
Quód ego in somniis somniavi. *Tr.* Scin' quid? tecum oró, senex,
Út illas serves, vím defendas, dúm ego herum adducó meum.
Dae. Quaére herum, atque addúce. *Tr.* At hic ne.... *Dae.* Máxumo maló suo,
Si áttigerit, sive ócceptassit! *Tr.* Cúra. *Dae.* Curatum ést: abi.
Tr. Húnc quoque adserva ípsum, ne quo abbítat: nam promísimus
Cárnufici aut taléntum magnum, aút hunc hodie sístere.

ACTUS III. SCENA V.

DAEMONES. LABRAX. LORARII. PALAESTRA. AMPELISCA.

Dae. Utrúm tu, leno, cúm malo lubéntius
Quiéscis, an sic síne malo, si cópia est?

58. Vulg. *Iam hercle tibi messis in ore.* Mergae furculae sunt, quibus fruges concervantur. — Cet. II, 21. *Os* herum est i. q. caput.

62. *Humanum* vulg. — Vett. *tu manum.* Ven. *ut manum.* — *Humanum* Festus sacrificium dictum esse scribit, quod mortui causa *fecerint veteres.*

63. *Id volo*, sc. te facere ignem.

64. Ven. *et ignem coni.* Videtur omittendum *et*, ut sit asyndeton. Nam vulg. et vett. *et in ign. c.*

68. *tecum oro* i. q. te oro. *Cf.* Bacch. 3, 3, 90. Asin. 3, 3, 72. Cas. 3, 4, 5. Curc. 3, 62.

Act. III. Sc. V.. Continuantur rixae inter Daemonem et Labracem. Daemones efferri iubet clavas, lorariosque collocat utrinque ab latere Labracis, ne quo se moveat, donec Pleusidippus adveniat. Abit Daemones. Rixatur Labrax cum lorariis.

La. Ego, quaé tu loquere, flócci non fació, senex;
Meas quídem te invito et Vénere et summó Iove
De ará capillo iám deripiam. *Dae.* Tángedum.
La. Tangam hércle vero. *Dae.* Ágedum ergo, accede húc modo.
La. Iubedúm recedere ístos ambo illúc modo.
Dae. Imo ád te accedent. *La.* Nón hercle egomet cénseo.
Dae. Quid agés, si accedent própius? *La.* Ego recéssero.
Verúm, senex, si te únquam in urbe offéndero:
Nunquam hércle quisquam mé lenonem díxerit,
Si nón te ludos péssumos dimísero.
Dae. Facito istuc, quod minitáris; sed nunc ínterim
Si illás attigeris, dábitur tibi magnúm malum.
La. Quam mágnum vero? *Dae.* Quántum lenoní sat est.
La. Minácias ego istas flócci non fació tuas.
Equidém te invito iam ámbas rapiam. *Dae.* Tángedum.
La. Tangam hércle vero. *Dae.* Tánge; sed scin', quómodo?
Idúm, Turbalio, cúrriculo adfer húc foras
Duas clávas. *La.* Clavas? *Dae.* Séd probas. Properá cito. —
Ego te hódie faxo récte acceptum, ut dígnus es.
La. Eheú, scelestus gáleam in navi pérdidi:
Nunc mi ópportuna hic ésset, salva sí foret.
Licét saltem istas mi áppellare? *Dae.* Nón licet.
Ehem, óptume edepol éccum clavator ádvenit.
La. Illúd quidem edepol tínnimentum est aúribus.
Dae. Age, áccipe illanc álteram clavám, Sparax.
Age, álter istinc, álter hinc adsístite.
Adsístite ambo. Sic. Audite núnc iam.
Si hércle illic illas hódie digito tétigerit
Invítas, ni istunc ístis invitássitis
Usque ádeo, donec, quá domum abeat, nésciat:
Perístis ambo! Si áppellabit quémpiam:
Vos résponsdetote ístinc istarúm vicem;
Sin ípse abbitere hínc volet: quantúm potest,
Extémplo amplectitóte crura fústibus.
La. Etiám me abire hinc nón sinent? *Dae.* Dixí satis.
Et ílle ubi servos cúm hero huc advénerit,
Qui herum árcessivit, ítote extempló domum.
Curáte haec, sultis, mágna diligéntia. —
La. Heu, hércle nae istic fána mutantúr cito!

12. *ludos pessimos dimisero* i. e. te ludos fecero et tum dimisero.

16. *Minacias* tribus legendum syllabis.

18. *scin' quomodo?* solemnis formula in minitando. Cf. Amph. 1, 1, 203. Aul. 1, 1, 8. V, 1, 21. Pers. 1, 3, 59. Poen. 1, 2, 165.

19. Verba *huc foras* desunt in Ven. et in vulg. — Vett. *huc*.

22. *scelestus*, infelix. V. supra ad II, 6, 18.

25. *clavator*, qui adfert clavas, Turbalio. *eccum*, ut saepe, monosyllabum.

26. *Illud*, sc. clavae. Nam caput verberabatur.

31. *invitassitis*, wenn ihr ihm nicht mit *Prügeln zutrinken werdet*. Sic vulg. At vett. *Invitas, nisi tunc illum vos execulassitis*. Ven. *nisi tunc execulassitis*. Nostr. Pall. Verbum *invitare* v. Amph. 1, 1, 130.

35. *abbitere* Both. — Vulg. *abire*. Vett. *Si vero hic ipse abire hinc volet*.

Iam hoc Hérculis est, Véneris fanum quód fuit:
Ita dúo destituit sígna hic cum clavís senex.
Non hércle, quo hinc nunc géntium aufugiám, scio:
Ita núnc mihi utrumque saévit et terra ét mare.
Paláestra! *Lo.* Quid vis? *La.* Ápage! controvérsia est:
Haec quídem Palaestra, quaé respondit, nón mea est.
Heus, Ámpelisca! *Lo.* Cáve, sis, infortúnio.
La. Ut pótis est, ignavi hómines satis recté monent.
Sed vóbis dico, heús, vos! num moléstia est,
Me adíre ad illas própius? *Lo.* Nil nobís quidem.
La. Numquíd molestum míhi erit? *Lo.* Nil, si cáveris.
La. Quid ést, quod caveam? *Lo.* Hem, á crasso infortúnio!
La. Quaeso hércle, abire ut líceat. *Lo.* Abeas, sí velis.
La. Bene hércle factum! Vóbis habeo grátiam.
Accédam potius. *Lo.* Íllic astato íllico!
La. Edepól proveni néquiter multís modis.
Certum ést, hasce hodie usque óbsidione víncere.

ACTUS III. SCENA VI.

PLEUSIDIPPUS. TRACHALIO. MULIERES. LABRAX. LORARII. CHARMIDES.

Pl. Meamne ílle amicam léno vi, violéntia,
De ará deripere Véneris voluit? *Tr.* Ádmodum.
Pl. Quin óccidisti extémplo? *Tr.* Gladius nón erat.
Pl. Caperés aut fustem, aut lápidem. *Tr.* Quid ego, quási canem,
Hominem ínsectarer lápidibus nequíssumum?
La. Nunc pól ego perii! Pleúsidippus, éccum, adest:
Convérret iam hic me tótum cum pulvísculo.
Pl. Etiámne in ara túnc sedebant múlieres,
Quom ad mé profectus íre? *Tr.* Ibidem núnc sedent.
Pl. Quis illás nunc illic sérvat? *Tr.* Nescio quí senex,
Vicínus Veneris; ís dedit operam óptumam.
Is núnc cum servis sérvat: ego mandáveram.

42. Sic vett. et Ven. — Vulg. *Herculi.*

43. *destituit*, constituit. *signa*, statuas, Herculi similes, qui et ipse clavam gessit.

46. *controversia est*, i. e. dissimilitudo. Tu enim non es Palaestra.

49. *Ut potis est*, sc. fieri, ut ingnavi recte moneant, hi certe bene monent. Nam *potis* etiam neutro genere usurpatur. Cf. Bacch. 1, 1, 1. Amph. 3, 2, 22. II, 2, 69.

50. *vobis* sc. lorariis. Sed illud *vobis* sensu etiam ad *molestia est* referendum.

53. *crasso*, a fustibus.

56. Omnes: *Non. Accedam potius*, quod ieiunum est et contrarium versui. Bothius supra habet *adire ut liceat.* — *Adeas*, et hic: *Nunc potius abscedam.* Atque Ven. ut Pall. *adire*, dein tamen *abeas.*

Act. III. Sc. VI. Accedit Pleusidippus, et Labracem in ius abripit. Puellae cum lorariis ad Daemonem introeunt. Charmides ad forum abit, visum quid fiat Labraci.

1. Vett. *vi ac violentia.* Ven. et Pall. *vi violenta.* — Dictio similis Bacch. 4, 7, 1.

7. Vulg. *hic.* Ven. et vett. *hoc.*

8. *Etiam*, i. adhuc; continuabantne in ara sedentes?

9. *profectus* sc. es.

Pl. Duc me ád lenonem récta. Ubi illic ést homo?
La. Salvé. *Pl.* Salutem níhil moror. Opta ócius:
Rapí te obtorto cóllo mavis, án trahi?
Utrúm vis, opta, dúm licet! *La.* Neutrúm volo.
Pl. Abi sáne ad litus cúrriculo, Trachálio:
Iube íllos in urbem íre óbviam, ad portúm mihi
Quos mécum duxi, hunc qui ád carnuficem tráderent;
Post húc redito atque ágitato hic custódiam.
Ego húnc scelestum ín ius rapiam éxulem.
Age, ámbula in ius. *La.* Quíd ego deliquí? *Pl.* Rogas?
Quine árrhabonem a me áccepisti ob múlierem,
Et eam hínc avexti? *La.* Nón avexi. *Pl.* Cúr negas?
La. Quia pól provexi; avéhere non quiví miser.
Equidém tibi me díxeram praestó fore
Apud Véneris fanum: númquid muto? súmne ibi?
Pl. In iúre causam dícito; hic verbûm sat est:
Sequere. *La.* Óbsecro te, súbveni, mi Chármides:
Rapiór obtorto cóllo! *Ch.* Quis me nóminat?
La. Vidén' me, ut rapior? *Ch.* Vídeo atque inspectó lubens.
La. Non súbvenire mihi aúdes? *Ch.* Quis homo té rapit?
La. Aduléscens Pleusidíppus. *Ch.* Ut nactús's, habe
Bono ánimo. Meliust te ín nervom conrépere.
Tibi óbtigit, quod plúrimi exoptánt sibi.
La. Quid id ést? *Ch.* Ut id, quod quaérant, inveniánt sibi.
La. Sequere, óbsecro, me! *Ch.* Páriter suades, quális es.
Tu in nérvom rapere; eo me óbsecras ut té sequar.
Etiám retentas? *La.* Périi! *Pl.* Verum sít, velim!
Tu, méa Palaestra et Ámpelisca, ibidem íllico
Manéte, dum huc ego rédeo. *Lo.* Equidem suádeo,
Ut ád nos abeant pótius, dum recipís. *Pl.* Placet;
Bene fácitis. *La.* Fures mi éstis. *Lo.* Quid? furés? *Pl.* Rape!
La. Oro, óbsecro, Palaéstra! *Pl.* Sequere, cárnufex.
La. Hospés! *Ch.* Non sum hospes: répudio hospitiúm tuom.

14. *Salutem nihil moror.* Sic Pall. et Ven. — Vulg. et vett. *nihil salutem moror.* — *Opta*, elige tibi.

18. Omnes: *in urbem.* — *Illos* intellige tres illos chlamydatos cum machaeris I, 2, I. Cum illis primum ad portum ierat. Dein ad fanum Veneris. Deinde 1, 2, 68 ad litus. Denique 3, 4, 70 abierat a fano Trachalio, herum ut quaereret. Existimo igitur hic construendum: Iube illos, (quos modo in litore reliqui, quosque mecum ad portum duxeram, ut lenonem ad carnificem traderent,) in urbem obviam mihi ire, ut adsint mihi, ubi addictus mihi fuerit Labrax in iudicio. *mihi* paullo insolentius transpositum, ut illic II, 3, 1, *me*.

20. *custodiam* sc. puellarum.

24. Omnes: *Eam hunc abduxisti.* Bothius ex Acidalio: *avexti.* Necessario, propter sequentia.

25. *provexi*, quasi aliquantulum in mare eas produxi, sed in Siciliam avehere non quivi.

27. *numquid muto?* ex coni. Reizii. Vulg. *quid muto?* Ven. et Vett. *quid multa?*

33. *Ut nactus's*, habe tibi, quod tibi obtigit.

34. *Melius'st*, consultum est, te in nervum abduci, h. e. in carcerem.

36. *quod quaerunt.* Videlicet dictio est: *quaerere sibi malum*, i. e. ita se gerere, ut inde eveniat malum. Amph. 1, 1, 174.

37. *Pariter suades, qualis es*, consulis mihi ut homo nequam.

38. *rapere*, i. raperis.

La. Siccíne me spernis? *Ch.* Síc ago; semél bibo.
La. Di te ínfelicent! *Ch.* Ísti capiti dícito.
Credo álium in aliam béluam hominem vórtier;
Illic ín columbum, crédo, leno vórtitur:
Nam ín columbari cóllum haud multo póst erit;
In nérvom ílle hodie nídamenta cóngeret.
Verúmtamen ibo, eí ádvocatus út siem,
Si quí mea opera — cítius addicí potest.

ACTUS IV. SCENA I.

DAEMONES.

Bene fáctum et volupe est, hódie me his muliérculis
Tetulísse auxilium: iám clientas réperi,
Atque ámbas forma scítula, atque aetátula.
Sed uxór scelesta me ómnibus servát modis,
Ne quí significem quídpiam muliérculis.
Sed, Grípus servos nóster quid rerúm gerat,
Mirór, de nocte qui ábiit piscatum ád mare.
Pol mágis sapísset, sí dormivissét domi:
Nam núnc et operam lúdos facit et rétiam.
Ut témpestas est nunc atque ut noctú fuit,
In digitis hodie pércoquam, quod céperit:
Ita flúctuare vídeo vehementér mare.
Sed ad prándium uxor mé vocat: redeó domum.
Iam méas opplebit aúris [sua] vaniloquéntia.

ACTUS IV. SCENA II.

GRIPUS.

Neptúno has agó gratiás, meo patróno,
Qui sálsis locís incolít pisculéntis,
Quom méd ex suís pulcre ornátum expedívit
Templís reducém, plurimá praeda onústum,

46. *semel bibo*, semel fui hospes tuus, eoque naufragus bibi aquam. Non iterum bibam.

47. *Isti*, i. tuo.

50. *in columbari.* Columbar seu columbare foramen erat, in quod noxiorum capita immittebantur.

51. Sensus: in carcere habitabit.

53. *citius addici*, condemnari, poenae addici.

Act. VI. Sc. I. Haec scena non nisi prooemium et quasi introductio est ad sequentem. Hinc apte Daemones praefatur de Gripo qui piscatum ad mare abierit.

4. *scelesta*, i. e. infortunata, *δαιμόνιος*. Cf. Amph. 2, 1, 2. Cas. 3, 5, 48.

9. *retiam.* Sic Priscianus hunc locum citat pag. 759. Vulg. vett. Ven. *retia.*

14. *sua* in omnibus legitur.

Act. IV. Sc. II. Gratulatur sibi Gripus, se inter piscandum cepisse vidulum cum pretiosis, e quibus sibi promittit libertatem et aureos montes.

1. Sensus: Neptuno hoc debeo, quod pulcra praeda onustus redeo. — Edd. *ago meo patrono gratias.*

4. *templis*, i. q. regnis, ut Acheru-

fishing smack

Salúte horiaé, quae in marí fluctuóso
Piscátu novó me uberí compotívit;
Miróque modo atque incrédibili hic piscátus mihi lepide évenit;
Neque písciom ullam únciam hodié pondó
Cepí, nisi hoc, quód fero hic ín reté.
Nam ut dé nocte múlta impigréque exsurréxi,
Lucrúm praeposívi sopóri et quiéti;
Tempéstate saéva experíri expetívi,
Paupértatem herí qui et meám servitútem
Tolerárem. Opera haúd fui párcus meá.
Nímis homo nihili ést, qui piger est, nímisque id genus odi égo male.
Vígilare decet hóminem, qui volt súa temperi confícere offícia.
Nón enim illum expectáre oportet, dum hérus se ad suom suscítet officium.
Nám qui dormiúnt lubenter, síne lucro et cum málo quiescunt.
Nám ego nunc mihi, qui ímpiger fui, reperi, út piger, si velím, siem.
Hóc ego in mari, quidquíd inest, reperi. Quídquid inest, grave [íd] quidem est.
Aúrum hic ego inésse reor; nec mihi cónscius est ullús homo. Nunc haec
Tíbi occasio, Grípe, obtigit, ut líberet te ex pópulo praetor.
Núnc sic faciam, síc consilium est, ád herum ut veniam dócte atque astu:
Paúxillatim póllicitabor pró capite argentum, út sim liber.
Iám ubi liber ero, ígitur demum ínstruam agrum, aedés, mancipia;

sia templa, coeli templa, Lucret. 1, 1013. 4, 628. 5, 104 et apud Nostr. Mil. 2, 5, 3. — *reducem*, producta prima.

5. *salute*, i. q. salva *horia*, i. e. navicula mea.

7—10. Sic hos versus Bothius Reiziusque, qui tamen posterior v. 7 duobus divisum dedit. Ego locum spurium iudico partim ob metrum, partim propter dictionem et sensum. Primum enim, quoniam et praecedunt bacchiaci, et sequuntur, non est credibile, interpositos esse anapaesticos, tam absonos praesertim et claudicantes. Deinde repetitum verbum *piscatus*, quum praecedat v. 6, aperte centonem esse arguit. Porro non de eo cogitat Gripus, quod nullos ceperit pisces, ceperit autem vidulum, sed de eo potius, quod non fuerit piger, quod vigilaverit, quod strenue negotio suo operam dederit. Denique oratio optimo procedet, si post v. 6. statim sequetur v. 10. *Piscatu novo me uberi compotivit. Nam ut de nocte multa imp.* etc.

13. Libri pro *servitutem* habent *sententiam*. Lamb. *servientiam*. Nostr. Reiz.

14. Et hic versus male habere videtur; in quo Reizius omittit *fui*, ut *parcus* sit participium cum verbo *tolerarem*. Fortasse ex utroque unus faciendus: *Paupertatem heri qui et meam tolerarem*, aut producta syllaba *to*, aut paeone tertio pro epitrito secundo posito; ceterisque verbis abiectis: *servitutem*, et: *opera haud fui parcus mea*. Nam ubinam *parcus* cum ablativo construitur in Plauto? Denique non de servitute toleranda debebat sermo fieri, sed de paupertate et heri et sua.

20. *id* abest in libris, addendumque fuit. *reperi* et hic, et praeced. vs. quasi duabus legendum syllabis, siquidem *re* compositivum in perfecto semper producitur.

21. *inesse*, ut centies *esse*, omissa *e* terminativa legendum.

22. *te* in edd. et edd. ad finem versus legitur. Pro *ex populo* al. *extemplo*.

23. *astu*. Sic Reiz. — Vulg. et edd. *astute*.

Návibus magnis mércaturam fáciam; apud reges réx perhibebor;
Póst animi causá mihi navem fáciam atque imitabór Stratonicum:
Óppida circúmvectabor, úbi nobilitas méa erit clara:
Óppidum magnum cómmunibo; éi ego urbi Gripo índam nomen,
Mónumentum meae fámae et factis; íbique regnum mágnum instituam.
Mágnas res hic ágito in mentem instrúere: nunc hunc vídulum condam.
Séd hic rex cum acetó pransurust ét sale, sine bonó pulmento.

ACTUS IV. SCENA III.

TRACHALIO. GRIPUS.

Tr. Heús, mane! *Gr.* Quid maneám? *Tr.* Dum hanc tibi, quam tráhis, rudentem cómplico.
Gr. Mítte modo. *Tr.* At ego te ádiuvabo: bónis quod bene fit, haúd perit.
Gr. Turbída tempestas hére fuit:
Nil hábeo, adulescens, píscium:
Ne tú mihi esse póstules.
Non vídes, referre me úvidum
Retém sine squamosó pecu?
Tr. Non édepol pisces éxpeto,
Quam túi sermonis sum índigens.
Gr. Enicás iam me odio, quísquis es.
Tr. Non sínam ego abire hinc té. Mane.
Gr. Cave, sís, malo. Quid tu, málum, nam me
Retrahís? *Tr.* Audi.
Gr. Non aúdio. *Tr.* At pol quin aúdies post. *Gr.* Quín loquere, quíd vis?
Tr. Ehó, modo est operae prétium, quod tibi égo volo narráre.
Gr. Elóquere, quid id est. *Tr.* Víde, num quispiám consequitur própe nos.

27. *Stratonicum*, int. quaestorem regis Philippi et Alexandri magni, de quo cf. Diodor. Sic. Sed et alius fuit Stratonicus, citharoedus, sub Philippo Mac. quem per omnem vitam oppida circumvectatum esse scribit Athenaeus VIII, 10. Quem potius, quam illum priorem, intelligendum esse, vv. *animi causa* suadere videntur.

28. *nobilitas clara*, nomen clarum adipiscar. *Oppidum* hic pariter scandendum, atque v. 31 *vidulum*.

31. *in mentem.* Sic vulg. et Ven. — Vett. *in mente.*

32. *Hic rex* i. e. Gripus ipse.

Act. IV. Sc. III. Trachalio de vidulo illo cum Gripo contendit, qui cuius sit proprius scire se ait. Denique ad arbitrum rem deferre decernunt. Quia vero Gripus rudente ab Trachalione in initio scenae retinetur, quam post se trahit, et qua vidulus erat religatus, hinc fabulae nomen inditum. Scena perelegans et vere lepida et urbana.

1. *Quid maneam?* i. e. cur maneam?

2. Omnes: *at pol ego t. a.; nam bon.*

5. *esse*, edere.

6. Vett. *Nam vides me r. n. rete.* Vulg. *Non v. r. m. u. rete.* At Ven. et Prisc. I. VII. *retem*, quod et infra occurrit, v. 56.

14. Vulg. *Non audio. Tr. At pol quin audies. Gr. Quin post loquere quid vis.* Vett. et Ven. *Non audio.*

Gr. Écquid est, quód mea réferat? *Tr.* Scilicet.
Séd boni cónsili écquid in té mihi est?
Gr. Quíd negoti ést, modo díce. *Tr.* Dicám: tace.
[Si fidem modo das mihi, te non fore infidum. *Gr.* Do fidem tibi.
Fidus ero, quisquis es. *Tr.* Audi.]
Furtum égo vidi qui fáciebat;
Norám dominum, id quoi fiebat.
Post ád furem egomet dévenio,
Feroque éi conditionem hóc pacto.
Ego istúc furtum scio quoí factum est:
Nunc míhi si vis dare dímidium,
Indícium domino nón faciam.
Is míhi nihil etiam réspondit.
Quid? inde aéquom est dari mi dímidium?
Volo, ut dícas. *Gr.* Imo hercle ámplius:
Nam nísi dat, domino dícundum
Censeó. *Tr.* Tuo consilió faciam.
Núnc advorte ánimum: namque hoc áttinet omne ad té. *Gr.* Quid est?
Tr. Vídulum istunc cúius est, novi ego hóminem iampridém.... *Gr.* Quid est?
Tr. ét quo pacto périit. *Gr.* At ego, quó pacto inventúst, scio,
Ét, qui invenit, hóminem novi, et, dóminus qui nunc ést, scio.
Níhilo pol pluris tua hoc, quam quánti illud refért mea.
Égo illunc novi, cúius nunc est; tu íllum, cuius antehác fuit.
Húnc feret a me némo, ne tu spéres potius. *Tr.* Nón ferat,
Sí dominus veniát? *Gr.* Dominus huic némo, ne frustrá sies,
Nísi ego, nemo nátust, hunc qui cépi in venatú meo.
Tr. Ítane vero? *Gr.* Ecquem ésse dices ín mari piscém meum?
Quós quom capio, síquidem cepi, méi sunt, habeo pró meis,
Néc manu adserúntur, neque illinc pártem quisquam póstulat;
Ín foro palam ómnis vendo pró meis venálibus.
Máre quidem commúne certo est ómnibus. *Tr.* Adséntio:
Quí minus hunc commúnem quaeso mi ésse oportet vídulum?
Ín mari inventúst: commune est. *Gr.* Nae ímpudenter ímpudens!
Nám si istuc ius sít, quod memoras, píscatores périerint:
Quíppe, quom extemplo ín macellum písces prolatí sient,
Némo emat, suam quísque partem píscium poscát sibi:
Dícat, in marí communi cáptos. *Tr.* Quid ais, ímpudens?
Aúsus etiam cómparare vídulum cum píscibus?

Tr. At pol quin audies post. G. Quin loq. quid vis, uti Pareus ex codd.

20, 21. Spuria haec se esse per se ipsa et sensu et versu clamitant. Et fortasse etiam versus 18 et 19 additi serius.

31. Vulg. *Imo hercle etiam amplius.* At neque vett. nec Ven. v. *etiam* agnoscunt. Habent tamen Pall. quare fortasse potius *hercle* omittendum.

34. Omnes in fine versus adiciunt *factum*. Sed *quid est?* per se est nostrum: *wie so?* ut et versu seq. Vide Indic.

35. Omnes add. *ille* post cuius.

40. Omnes post *Hunc* add. *homo*, et in sqq. habent *tute*.

Éadem tandem rés videtur? *Gr.* Ín manu non ést mea?
Úbi demisi rétem atque hamum, quídquid haesit, éxtraho.
Méum quod rete atque hámi nancti súnt, meum potíssumum est.
Tr. Ímo hercle haud est, síquidem quod vas éxcepisti. *Gr.* Phílosophe!
Tr. Séd tune unquam píscatorem vídisti, venéfice,
Vídulum piscém cepisse aut prótulisse ullum ín forum?
Nón enim tu hic quidem óccupabis ómnis quaestus, quós voles:
Ét vietorem et píscatorem te ésse, impure, póstulas.
Vél te mihi monstráre oportet, píscis qui sit vídulus;
Vél, quod in marí non natum est néque habet squamas, né feras.
Gr. Quíd tu? nunquam audísti essé antehac vídulum piscém? *Tr.* Scelus;
Núllus est. *Gr.* Imo ést profecto: ego, quí sum piscatór, scio;
Véro raro cápitur: nullus mínus saepe ad terrám venit.
Tr. Nil agis: dare vérba speras míhi te posse, fúrcifer?
Quó colore est? *Gr.* Hóc colore cápiuntur pauxílluli.
Súnt alii puníceo corio, mágni item, atque atrí. *Tr.* Scio.
Tu hércle, opino, in vídulum te piscém convortes, nísi caves:
Fiet tibi puníceum corium, póstea atrum dénuo.
Gr. Quód scelus hodie hóc inveni! *Tr.* Vérba facimus; ít dies:
Víde, sis, quoius árbitratu nós facere vis. *Gr.* Víduli
Árbitratu. *Tr.* Íta? Enimvero stúltus es. *Gr.* Salvé, Thales.
Tr. Tú istunc hodie nón feres, nisi dás sequestrum aut árbitrum,
Quóius haec res árbitratu fíat. *Gr.* Quaeso, sánus es?
Tr. Élleborosus sum. *Gr.* Égo cerritus; húnc non amittám tamen.
Tr. Vérbum adde etiam unúm: iam in cerebro cólaphos abstrudám tuo!
Égo iam hic te, itidem quási penicillus nóvus exurgerí solet,
Ni húnc amittis, éxurgebo, quídquid humorís tibi est.
Gr. Tánge: affligam ad térram te itidem, ut píscem soleo pólypum.
Tr. Vís pugnare? *Tr.* Quíd opust? Quin tu pótius praedam dívide.
Gr. Hínc tu, nisi malúm, frunisci níl potes: ne póstules.
Ábeo ego hinc. *Tr.* At ego hinc obflectam návem, ne quo abeás. Mane!

55. *In manu non est mea?* nonne in potestate mea est vidulus?
59. *tune* vett. — Ven. *tu nunquam*. Vulg. *tu en unq.* Mss. *tue nunquam.*
62. *vietorem*, quippe qui faciat vidulos, et illis mercaturam exerceat.
63. *qui*, h. qua ratione, quomodo.
64. *feras*, auferas; ut saepe simplicia pro compositis. V. Lucan. et nos in Ind. ad illum, v. Simplicia.
67. *vero raro.* Sic vett. et Ven. — Vulg. *Vero rare.* Reiz. *Verum raro.*
71. Sic vulg. vett. Ven., nisi quod omnes *opiner*. *Vidulum* contracte proferto, ut IV, 4, 61.
74. *arbitratu*, i. e. quo arbitro aut iudice utemur in hac lite iudicanda. — Pro *facere* Lamb. habet *stare*. At cf. v. 77. — *Viduli*, utpote qui mutus sit, nec iniustum ferre iudicium poterit.
75. *Thales*, videlicet ironice, quoniam ille eum stultum vocaverat.
78. *cerritus*. V. Amph. 2, 2, 153.
80. *penicillus* non mutandum, sed *quasi* tamquam monosyllabum enuntiandum, uti saepe faciendum est. V. Indic. — Ven. et vett. *exugeri* et *exugebo*. Vulg. Both. et Pall. *exurgebo*. Sed cf. Epid. 2, 2, 5 ubi itidem: *Atque eorum exsugebo sanguinem*. Atque cum ea forma etiam concinit versu sq. *polypum*, quippe qui exsugit sanguinem.
84. Vett. *fruisci*. Ven. *fruuisci*. Vulg. *frunisci*; et sic Pall.

Gr. Sí tu proreta ísti navi es, égo gubernatór ero.
Mítte rudentém, sceleste! *Tr.* Míttam; omitte vídulum.
Gr. Númquam hercle hinc hodié ramenta fíes fortunátior.
Tr. Nón probare pérnegando míhi potes, nisi párs dátur,
Aút ad arbitrúm reditur, aút sequestro pónitur.
Gr. Quémne ego excepi ín mari .... *Tr.* At ego ínspectavi e lítore.
Gr. méa opera, labóre, et rete, et hória? *Tr.* Numquí minus,
Sí veniat nunc dóminus, quoius est, égo, qui inspectaví procul
Te húnc habere, fúr sum, quam tu? *Gr.* Níhilo. *Tr.* Mane, mastígia:
Quo árgumento sócius non sum, fúr sum? facdum ex té sciam.
Gr. Néscio: neque egó ístas vostras léges urbanás scio,
Nísi quia hunc meum ésse dico. *Tr.* Ét ego item esse aió meum.
Gr. Máne: iam reperi rém, quo pacto néc fur nec sociús sies.
Tr. Quó pacto? *Gr.* Sine me hínc abire; tú abi tacitus túam viam;
Néc tu me quoiquam índicassis, néque ego tibi quidquám dabo.
Tú taceto; ego mússitabo. Hoc óptumum atque aequíssumum est.
Tr. Écquid conditiónis audes férre? *Gr.* Iamdudúm fero:
Út abeas, rudéntem amittas, míhi molestus né sies.
Tr. Máne, dum refero cónditionem. *Gr.* Te óbsecro hercle, aufer té modo.
Tr. Écquem in his locís novisti? *Gr.* Opórtet vicinós meos.
Tr. Úbi tu hic habitas? *Gr.* Pórro illic longe úsque in campis últimis.
Tr. Vín', qui in hac villa hábitat, eius árbitratu fíeri?
Gr. Paúlisper remítte restim, dúm concedo et cónsulo.
Tr. Fíat. *Gr.* Euge, sálva res est! praéda haec perpetua ést mea:
Ád meum herum arbitrúm vocat me hic íntra praesepís meas:
Númquam hercle hodie abiúdicabit áb suo trióbolum.

87. Omnes: *Mitte rudentem, sceleste.* Bothius: *Mitte rudentem iam, sceleste.* Atque in aliis sane *rudens* corripitur, ut Catull. Epith. 235. Verum quidni, ut in aliis in Plauto, ita et in hoc prosodia mutetur? Ut taceam, dactylum in principio trochaicorum vix locum habere posse.

89. *nisi pars datur* i. e. q. verum pars danda est.

90. *sequestro ponitur*, deponitur, ita ut aliquis sit sequester.

94. *nihilo.* Quomodo hoc concedat, non apparet.

95. Omnes: *et fur sum.* Omittit *et* B.

97. *Nisi quia* i. e. q. *Nisi quod.* Hoc solum scio, hunc meum esse.

98. *Reperi* disyllabum.

102. *Ecquid* c. h. e. an consentis, ut inter me et te pacto agatur? *conditionem ferre* dictio solemnis. V. Cic. pro S. Roscio cap. 11. *Iamdudum* neutiquam est: *schon längst*, sed: *so eben, nur*, brevi ante, paullo ante. Cf. Cas. 2, 6, 62. Epid. 3, 3, 27. Mil. V, 36. Referto autem ad v. 99. De verbo *audes* cf. Capt. 3, 5, 4.

104. *dum refero cond.* dum tibi proponam, quo pacto nostra lis possit componi. — *Obsecro* corripiendum, ut Mil. 2, 6, 61. Poen. 5, 4, 35. Pseud. 4, 6, 11. Omnes enim habent alterum *te*, quod omittit Both.

107. *hac villa;* ostendit Daemonis villam.

108. *concedo* neutiquam est: assentior, sed: secedo paullisper, ut mecum solo consultem. Id enim facit in seqq. Sic Plautus: *Concedite atque abscedite omnes, de via decedite*, et alibi: *concedere ad dextram, ab oculis, ex aedibus* etc.

Nae iste haud scit, quam cónditionem tétulit. Ibo ad árbitrum.
Tr. **Quíd igitur? *Gr.* Quamquam, ístuc esse iús meum, certó scio:**
Fíat istuc pótius, quam nunc púgnem tecum. *Tr.* Núnc places.
Gr. **Quámquam ad ignotum árbitrum me appéllis: si adhibebít fidem:**
Étsi ignotus, nótust; si non, nótus ignotíssumust.

ACTUS IV. SCENA IV.

DAEMONES. MULIERES. TRACHALIO. GRIPUS.

Dae. Sério edepol, quámquam vobis vólo, quae voltis, múlieres,
Métuo, propter vós ne uxor méa me extrudat aédibus,
Quaé me pellicés adduxe dícet ante oculós suos.
Vós confugite in áram potius, quám ego. *Mu.* Miserae périimus!
Dae. Égo vos salvas sístam. Ne timéte. Sed quid vós foras
Prósequimini? Quóniam ego adsum, fáciet nemo iniúriam.
Íte, inquam, domum ámbo nunc iam éx praesidio, praésides.
Gr. Ó here salve. *Dae.* Sálve, Gripe. — Quíd fit? *Tr.* Tuusne hic sérvus est?
Gr. Haúd pudet. *Tr.* Nihil ago técum. *Gr.* Ergo abi hinc, sis. *Tr.* Quaéso, respondé, senex:
Túos hic servost? *Dae.* Méus est. *Tr.* Hem, istuc óptume, quandó tuost.
Íterum te salúto. *Dae.* Et ego te. Túne es, qui haud multó prius
Ábiisti hinc herum árcessitum? *Tr.* Ego ís sum. *Dae.* Quid nunc vís tibi?
Tr. Némpe hic tuos est? *Dae.* Méus est. *Tr.* Istuc óptume, quandó tuost.
Dae. Quíd negoti est? *Tr.* Vír scelestus íllic est. *Dae.* Quid fecít tibi
Vír scelestus? *Tr.* Hómini ego isti tálos subfringí volo.
Dae. Quíd est, qua de re lítigatis núnc inter vos? *Tr.* Éloquar.
Gr. Ímo ego eloquár. *Tr.* Ego, opinor, rém facesso. *Gr.* Sí quidem
Sís pudicus, hínc facessas. *Dae.* Grípe, animum advorte ác tace.

112. Omnes *tetulerit*. Nostr. Reiz.
116. Omnes: *Etsi est ign.*
Act. IV. Sc. IV. Propter zelotypiam mulieris metuens Daemones rursus educit ex aedibus puellas, et ad aram sistit, eas se tutaturum promittens. Alloquuntur eum Trachalio et Gripus de vidulo, quem Trachalio contendit esse lenonis, et continere crepundia Palaestrae. Id ille inspiciendo et Palaestram examinando verum esse deprehendit, Palaestramque suam esse filiam comperit. Ergo eam introducit una cum Ampelisca ad matrem illius, Gripus autem introit aegre ferens ablatum sibi vidulum.

1. Vulg. *quamquam volo vobis.* Vett. *quamquam vobis cupio.* Ven. sic scenam exorditur: *Cupio edepol quamquam vobis quae voltis mulieres.* In Pall. nec *volo* nec *cupio* legitur.

5. *Sed quid vos*, sc. lorarii, quia una processisse cogitandi sunt.

11. *Iterum*, licet eum non salutaverit antea. Sed tamen salutatus iam erat semel a Gripo. Unde non est quod superiora mutemus, ut fecit Bothius.

14. *scelestus*, infortunatus, infelix. Cf. supra ad II, 6, 18. IV, 1, 4.

Gr. Útne istic prius dícat? *Dae.* Audi. — Lóquere tu. *Gr.* Alienón' prius,
Quám tuo, dabis orátionem? *Tr.* Út nequitur cómprimi!
Íta, ut occepi dícere, illum, quém [tu e fano Vénerio]
Dúdum lenonem éxtrusisti, hic eíus vidulum eccíllum [habet.]
Gr. Nón habeo. *Tr.* Negás, quod oculis vídeo? *Gr.* At, ne videás, velim.
Hábeo; non habeó. Quid tu me cúras, quid rerúm geram?
Tr. Quómodo habeas, íllud refert, iúren' anne iniúria.
Gr. Ni ístum cepi, núlla causa est, quín me condonés cruci.
Si ín mari reti ádprehendi: quí tuom potiust, quám meum?
Tr. Vérba dat: hoc módo res gesta est, út ego dico. *Gr.* Quíd tu ais?
Tr. Quóad primariús vir dicat, cómprime hunc, sís, si tuost.
Gr. Quíd? tu idem mihí vis fieri, quód herus consuevít tibi?
Si ílle te comprímere solitus, híc nos noster nón solet.
Dae. Vérbo illo modo ílle vicit. Quíd nunc tu vis? díc mihi.
Tr. Équidem neque ego pártem posco mi ístinc de istoc vídulo,
Néque meum hodie esse únquam dixi; séd istic inest cistéllula
Húius mulierís, quam dudum díxi fuisse líberam.
Dae. Némpe tu hanc dicis, quam ésse aiebas dúdum popularém meam?
Tr. Ádmodum; et, ea quae ólim parva géstavit, crepúndia
Ístic in ista cístula insunt, quaé istic inest in vídulo.
Hóc neque isti usúst, et illi míserae suppetiás feret,
Si íd dederit, qui súos parentes quaérat. *Dae.* Faciam, ut dét: tace.
Gr. Níhil hercle ego sum istí daturus. *Tr.* Níl peto, nisi cístulam
Ét crepundia. *Gr.* Quíd, sid ea sunt aúrea? *Tr.* Quid istúc tua?
Aúrum auro expendétur, argentum árgento exaequábitur.
Gr. Fác, sis, aurum ut vídeam; post ego fáciam videas cístulam.
Dae. Cáve malo, ac tace tú. — Tu perge, ut óccepisti dícere.
Tr. Únum te obsecro, út ted huius cómmiserescat múlieris,
Sí quidem hic lenónis eius est vídulus, quem súspicor.
Hínc, nisi de opínione, cértum nil dicó tibi.
Gr. Víden', scelestus ut aúcupatur! *Tr.* Síne me, ut occepí, loqui.
Sí scelesti illíus est hic, quóius dico, vídulus,

18. *pudicus*, si pudor in te sit. Sic saepe *impudicus* de impudente.

20. *nequitur* pariter passive cum passivo, ut alibi *queantur* eodem modo. Cf. Lucret. 1, 1044. Ter. Hec. 4, 1, 57.

21. Verba *tu e fano Venerio* non leguntur in libris nec in vulgata aut vett. et Ven. Addidit Reiz.

22. Nec *habet* ibi usplam legitur, sed ad explendum versum et complendum sensum ab eodem est adiectum.

26. Sensus: Dico eum me cepisse. Quod nisi verum erit, non obnitar, quin me crucifigas.

29. Sensus: Quoad ego dicam, qui primus loquor, tacere hunc iubeto.

32. *ille* sc. Trachalio, te iubens comprimi, quod verbi proprio significatu accipiendum, non metaphorico.

36. *dudum*, paullo ante. — *Nempe*, ut et alibi, monosyllabum. Cf. Mil. 2, 3, 66. III, 3, 32. 48 et Ind. Non autem leg. *aibas*.

40. *qui*, unde.

48. *Hinc* Bothius. Vulg. vett. Ven. *Hic*. — *Tibi* in fine additum, deest in cdd. et Ven.; habent vulg. et vett.

50. Constructio: Hae puellae poterant novisse, an hic vidulus sit scelesti illius

Haé poterunt novisse: ostendere hís iube. *Gr.* Ain' osténdere?
Dae. Haúd iniquom dícit, Gripe, ut óstendatur vídulus.
Gr. Ímo hercle insigníte inique. *Dae.* Quídum? *Gr.* Quia, si osténdero,
Cóntinuo hunc novísse dicent scilicet. *Tr.* Scelerúm caput,
Út tute es, item ómnis censes ésse, periurí caput?
Gr. Ómnia istaec ego fácile patior, dum híc hinc a me séntiat.
Tr. Átque nunc abs té stat; verum hinc cíbit testimónium.
Dae. Grípe, advorte animúm. — Tu paucis éxpedi, quid póstulas.
Tr. Díxi equidem; sed sí parum intelléxti, dicam dénuo.
Hásce ambas, ut dúdum dixi, ita ésse oportet líberas,
Haéc Athenis párva virgo fúit subrepta. *Gr.* Díc mihi,
Quíd ista ad vidulum pértinent, servaé sint istae, an líberae?
Tr. Ómnia iterum vís memorari, scélus, ut defiát dies.
Dae. Ábstine maledíctis, et mihi, quód rogavi, dílue.
Tr. Cístellam isti inésse oportet caúdeam in isto vídulo,
Úbi sunt signa, quí parentes nóscere haec possít suos,
Quíbuscum parva Athénis periit, sícuti dixí prius.
Gr. Iúpiter te díque perdant! Quíd ais, vir venéfice?
Quíd? istae mutae súnt, quae pro se fábulari nón queant?
Tr. Éo tacent, quia tácita bona est múlier semper quám loquens.
Gr. Túm pol tu pro orátione néc vir nec muliér mihi es.
Tr. Quídum? *Gr.* Quia enim néque loquens es néque tacens unquám bonus.
Quaéso, en unquam hodié licebit míhi loqui? *Dae.* Si praéterhac
Unum verbum fáxis hodie: égo tibi minuám caput.
Tr. Út id occepi dícere, senex, eám te quaeso cístulam
Út iubeas hunc réddere illis. Ób eam si quid póstulat
Síbi mercedis, dábitur. Aliud quídquid ibi est, habeát sibi.
Gr. Núnc demum istuc dícis, quoniam iús meum esse intéllegis;
Dúdum dimidiám petebas pártem. *Tr.* Imo etiam núnc peto.
Gr. Vídi petere milüom, etiam quóm nihil auferrét tamen.
Dae. Nón ego te comprímere possum sine malo? *Gr.* Si istíc tacet,
Égo tacebo; si íste loquitur, síne me pro re meá loqui.

lenonis, cuius eum esse dixi. *Si* enim i. e. q. *an*. V. Ind.

51. *ain'*, iuben'. Nam haec Gripus ad Daemonem.

56. *dum hic* etc. dum ego vidulum manibus meis teneam. *hic* enim δεικτικῶς est ipse vidulus.

57. Vulg. *verum hinc ibit t.* Vett. et Pall. pro *ibit* habent *ibi*, et Ven. *tibi*. Legendum *cibit*, et *hinc* int. de puellis, quae ad aram stant. Sensus ergo: Nunc etiam apud te est vidulus; verum testimonium harum puellarum brevi efficiet, ut ille abs te exhibeatur. Testimonium quod hinc, h. e. ab ara illae edent, illum tibi eliciet. Pro vulg. et vett. *Atqui* Veneta *Atque*. Quod praeferendum duxi.

60. *dudum*, modo.

62. Sic ommes, atque *vidulum* correptim pronunciandum, uti iam supra IV, 3, 71.

65. Redit hic vs. infra v. 88.

70. *bona*, positivo pro comparativo, sequente *quam*. Cf. Most. 3, 1, 108. Bacch. 4, 2, 8.

71. Sic vulg. — At vett. et Ven. et Pall. *pro portione*.

74. Ven. *Si praeter hac Verbum faxis h.* uti et vulg. At vett. nostrum. Dein omnes *comminuam*. Pro *unum* in Pall. lacuna.

79. *Dudum*, brevi ante. IV, 3, 30.

81. *comprimere*, facere ut taceas. *sine malo*, sine poena.

Dae. Cédo modo mihi vídulum istum, Grípe. *Gr*. Concredám tibi;
Át, si istorum níl sit, ut mihi réddas. *Dae*. Reddetúr. *Gr*. Tene.
Dae. Aúdi nunc ïám, Palaestra atque Ámpelisca, hoc, quód loquor.
Éstne hic vidulus, úbi cistellam túam inesse aiebás? *Pa*. Is est.
Gr. Périi hercle ego misér! ut, priusquam pláne adspexit, íllico
Eum ésse dixit! *Pa*. Fáciam ego hanc rem plánam ex proclíví tibi.
Cistellam isti inésse oportet caúdeam in isto vídulo.
Íbi ego dicam, quídquid inerit, nóminatim; tú mihi
Núllus ostenderis. Si falsa dícam, frustra díxero:
Vós tamen istaec quídquid illic inerít, vobis habébitis;
Séd si erunt vera: [tum] óbsecro te, ut meá mihi reddantúr.
Dae. Placet:
Iús merum oras méo quidem animo. *Gr*. At méo meram hercle iniúriam.
Quíd, si ista aut supérstitiosa aut háriola est, atque ómnia,
Quídquid insit, véra dicet? ánne habebit háriola?
Dae. Nón feret, nisi véra dicet; néquidquam hariolábitur.
Sólve vidulum érgo, ut, quid sit vérum, quamprimúm sciam.
Tr. Béne hoc habet! *Gr*. Solútumst. *Dae*. Aperi. *Pa*. Vídeo cistellam! *Dae*. Haéccine est?
Pa. Ístaec est. O méi parentes, híc vos conclusós gero!
Húc opesque spésque vostrûm cógnoscendûm cóndidi!
Gr. Túnc tibi hercle déos iratos ésse oportet, quísquis es,
Quaé parentes tám in angustum túos locum compégeris.
Dae. Grípe, accede huc: túa res agitur. — Tú, puella, istínc procul
Dícito, quid ínsit, et, qua fácie, memorato ómnia.
Si hércle tantillúm peccassis: quód posterius póstules
Te ád verum convórti, nugas, múlier, magnas égeris.
Gr. Iús bonum oras. *Tr* Édepol haud ted órat: nam tu iniúrius.

87. *Eum* integrum est elidendum. — Veneta: *faciam ego hanc rem Nam tibi cistellam istic* etc. nulle lacunae signo. Vett. *Faciam ego hanc rem * planam tibi: Cistellam* etc. Vulg. *Faciam ego hanc rem palam tibi: Cistellam* etc. Pall. *rem ...... nam tibi.* Nostr. Reizius ex Gulielmo. Cf. Mil. 4, 2, 28. Lambinus mallt: *quam quaeris, planam tibi.* Cf. Stich. 3, 2, 41. Capt. 2, 2, 86. Ter. Andr. 4, 2, 18.

88. Adfuit hic versus supra v. 64.

91. Vulg. *illic.* Ven. et vett. *istic.* Atque *illic* aut ut monosyllabum legendum, aut scrib. *illi.* Ceterum totus versus spurius videtur, et eiiciendus.

92. *tum* omnes.

94. Vulg. in fine: *ac meo hercle* cum lacuna, ut Pall. — Ven. *At meo hercle*, ut et vett. Nostr. suppl. Camerar. Reiz. Both. Nec quidquam melius poterit excogitari.

97. *Non feret.* Non quadrant haec ad praecedentia.

99. In his neque lectio neque personarum ordinatio recte habet in vulg. Veneta: *De. Bene hoc habet. Gr. solutum est, aperi. Pa. video cistellam. De. haeccine est.* Vett. item, nisi quod: *ah perii.* At vulg. *Hoc habet. solut. e., ah perii.* Ego non dubito praeferundam Venetam, personarum autem nomina sic distribuenda uti fecimus.

102. *Quisquis* de foemina, ut saepius. V. Cist. 2, 3, 66.

106. *Quod postules.* De hac constructione vide Cist. 1, 2, 17. Cas. 1, 1, 39. Aul. 1, 3, 13. As. 4, 1, 12. 15. Curc. 1, 3, 37. Epid. 5, 1, 32. Capt. 3, 4, 81. Mil. 2, 2, 7. Sensus: *Solltest du dann hinterher dich wollen auf das Rechte besinnen, so wirst du es vergebens versuchen.*

Dae. Lóquere nunc iám, puella. — Grípe, animum advorte, ác tace.
Pa. Súnt crepundia. *Dae.* Écca video. *Gr.* Périi in primo proélio! —
Máne! ne ostenderís! *Dae.* Qua facie súnt? responde ex órdine.
Pa. Énsiculust auréolus primum, líteratus. *Dae.* Dícedum,
In eo ensiculo lítterarum quíd sit. *Pa.* Mei nomén patris;
Póst altrinsecus ést securicula áncipes, item aúrea,
Litterata; ibi mátris nomen ín securicula ést. *Dae.* Mane:
Díc, in ensiculó quod nomen ést paternum? *Pa.* Daémones.
Dae. Di ímmortales, úbi loci sunt spés meae? *Gr.* Imo edepól meae?
Tr. Pérgite, obsecró, continuo plácide. Tu i in malám crucem!
Dae. Lóquere, matris nómen hic in sécuricula quíd siet.
Pa. Daédalis. *Dae.* Di mé servatum cúpiunt! *Gr.* At me pérditum!
Dae. Fíliam meam esse hánc oportet, Grípe. *Gr.* Sit per mé quidem. —
Quí te di omnes pérdant, qui me hodie óculis vidistí tuis,
Méque adeo sceléstum, qui non círcumspexi cénties
Príus, me ne quis ínspectaret, quám rete extraxi éx aqua!
Pa. Póst est situla árgenteola, et dúae connexae mániculae, et
Súculae... *Gr.* Quin tu í dierecta cúm situla et cum pórculis!
Pa. Ét bulla aurea ést, pater quam dédit mihi natalí die.
Dae. Éa est profecto! Cóntineri, quín complectar, nón queo.
Filia mea, sálve! Ego is sum, quí te produxí, pater;
Égo sum Daemonés, et mater tua écca hic intus Daédalis!
Pa. Sálve, mi pater ínsperate! *Dae.* Sálve! Ut te amplectór lubens!
Tr. Vólupe est, quom istuc éx pietate vóstra vobis cóntigit.
Dae. Cápedum hunc, si potés, fer intro vídulum! age, Trachálio!
Tr. Écce, Gripe, scélera! — Quom istaec rés male evenít tibi,
Grípe, gratulór. *Dae.* Age, eamus, méa gnata, ad matrém tuam,
Quae éx te poterit árgumentis hánc rem magis exquírere,
Quía te magis tractávit, magisque sígna pernovit tua.
Tr. Éamus intro omnés: quando omnes óperam promiscám damus.

118. Haec Trachalioni tribuenda, qui priora ad Daemonem et puellam, postrema ad Gripum loquitur. Edd. priora Daemoni, posteriora Gripo tribuunt, leguntque: *aut ite in malam crucem.*

119. Sic edd. omn. atque *securicula* per licentiam producitur, ut alia multa. V. ad Men. prol. 31. Poen. prol. 1.

122. *Qui te perdant*, i. e. Utinam te perdant. Vide ad Cas. 2, 4, 1. Men. 3, 1, 6. Pers. 5, 2, 6.

123. *scelestum*, infortunatum. V. ad 2, 6, 18. IV, 1, 4.

125. Veneta uti Dec. *Post est sicula argenteola, et duae convexae maniculae et sucula.* Vett. uti V. C. *Post in sicilicula arg.* etc. ut Ven. — Vulg. ut vett., nisi quod: *Post est sicilicula.* Lambinus mavult: *Post est situla arg.* aut *situlula.* Suculam a suendo deducunt, ut sit i. q. vestis, atque sic Priscianus huius loci meminit. Sicilliculam de cultello intelligunt alii. Sed quomodo haec cum Gripi verbis quae sequuntur concinunt, qui porculos commemorat? Itaque sic legendum censeo, ut dedimus, v. *situla* autem plene enunciandum.

129. *produxi*, educavi.

134. Vett. *Ecce, Gripe, scelera!* Vulg. *Ecce Gripi sc.* ut et Veneta et Pall.

137. *tractavit*, contrectavit manibus.

Pa. Séquere me, Ampelísca. *Am.* Quom te dí amant, voluptati ést mihi.
Gr. Súmne ego sceléstus, qui illunc hódie excepi vídulum,
Aút, quum excepi, quí non alicubi ín soló abstrusí loco?
Crédebam edepol, túrbulentam praédam eventurám mihi,
Quía illa mihi tam túrbulenta témpestate evénerat.
Crédo edepol ego, íllic inesse auri átque argenti lárgiter.
Quíd meliust, quam ut hínc intro abeam et mé suspendam clánculum,
Sáltem tantispér, dum abscedat haéc a me aegrimónia?

ACTUS IV. SCENA V.

DAEMONES.

Proh dí ímmortales, quís me est fortunátior,
Qui ex ímproviso fíliam inveni meam?
Satin', sí quoi homini déi esse benefactúm volunt,
Aliquo íllud pacto obtíngit optatúm piis?
Ego hódie, qui neque spéravi neque crédidi,
Is ímproviso fíliam inveni tamen,
Et eám de genere súmmo adulescentí dabo
Ingénuo, Atheniénsi et cognató meo.
Ego eum ádeo arcessi huc ád me quamprimúm volo,
Iussíque exire huc éius servom: ut ád forum
Irét. Nondum egressum ésse eum, id mirór tamen.
Accédam, opinor, ád fores. — Quid cónspicor?
Uxór complexa cóllo retinet fíliam.
Nimis péne inepta atque ódiosa eius amátio est.
Áliquando osculándo meliust, úxor, pausam fíeri;
Átque adorna, ut rém divinam fáciam, quom intro advénero,
Láribus familiáribus, quom auxérunt nostram fámiliam.
Súnt domi agni et pórci sacres. Séd quid istum remorámini,
Múlieres, Trachálionem? Atque óptume, eccum, exít foras.

---

138. Vulg. et Ven. *Eamus intro omnes, quando operam promiscuam damus.* Vett. *promiscam.* Bothius *omnes: omnes quando* etc. *promiscam* adverbium esse, apparet ex Ps. 4, 5, 11.

140. *scelestus*, infelix, ut vs. 122.

144. pro *atque* edd. *et.*

Act. IV. Sc. V. Laetatur Daemones. Evocat Trachalionem. Scena videtur supposita. Certe quare mulieres retinuerint Trachalionem, non apparet.

3. *Satin'* i. e. Nonne etc. Cf. Amph. 2, 2, 1. Cist. 1, 3, 2. Cas. 2, 6, 52. Ep. 5, 1, 28. V, 2, 1. Men. 1, 2, 67. Mil. 4, 2, 9. II, 4, 40.

10. Sic vulg.

15. Ab hoc versu in edd. orditur scena sequens. Sequimur Bothium.

18. *porci sacres*, h. e. puri et duorum mensium. Cf. Men. II, 2, 15. 16. et Festus in v. *sacres*, Varro de R. R. II, 1 et 4.

ACTUS IV. SCENA VI.

TRACHALIO. DAEMONES.

Tr. Úbiubi erit, iam invéstigabo, et mécum ad te adducám simul
Pleúsidippum. *Dae.* Elóquere, ut haec res óbtigit de fília.
Éum roga, ut relínquat alias rés et huc veniát. *Tr.* Licet.
Dae. Dícito, datúrum meam illi fíliam uxorém.... *Tr.* Licet.
Dae. ét patrem eius mé novisse, et mi ésse cognatúm.
Tr. Licet.
Dae. Séd propera. *Tr.* Licét. *Dae.* Iam hic fac sit, coéna ut
curetúr. *Tr.* Licet.
Dae. Ómnian' licét? *Tr.* Licet. Sed scín', quid est, quod té volo?
Quód promisisti, út memineris, hódie ut liber sím. *Dae.* Licet.
Tr. Fác, ut exores Pleúsidippum, ut me émittat manú....
Dae. Licet.
Tr. ét tua filiá facito oret; (fácile exorabít) *Dae.* Licet.
Tr. átque ut mi Ampelísca nubat, úbi ego sim libér.... *Dae.* Licet.
Tr. átque ut gratum míhi beneficium fáctis experiár. *Dae.* Licet.
Tr. Ómnian' licét? *Dae.* Licet: tibi rúrsum refero grátiam.
Séd propera ire in úrbem actutum, et récipe te huc rursúm.
Tr. Licet.
Iam hic ero: tu intéribi adorna céterum, quod opús est.
Dae. Licet.
Hércules istum ínfelicet cúm sua licéntia:
Íta meas replévit auris. Quídquid memorabám, licet.

ACTUS IV. SCENA VII.

GRIPUS. DAEMONES.

Gr. Quam móx licet te cómpellare, Daémones?
Dae. Quid ést negoti, Grípe? *Gr.* De illo vídulo,
Si sápias, sapias: hábeas, quod di dánt boni.
Dae. Aequóm videtur tíbi, ut ego, alienúm quod est,
Meum ésse dicam? *Gr.* Quódne ego inveni in mari?

Act. IV. Sc. VI. Daemones Trachalionem ad Pleusidippum mittit, ut ei omnia narret, eumque ad nuptias arcessat. Simul Trachalioni spondet libertatem et Ampeliscam.

1. Pro *iam* vett. et Ven. *tamen*. Vulg. et V. *tamen iam*. Nostr. Both. ex Mediol. 1500. *iam* autem i. e. q. statim, brevi. V. Ind.

3. Omnes: *rogato*.

4. Edd. *daturum meam illi f.* atque *meam*, ut et aliis locis, integrum elidendum. Bothius tamen cum Reizio: *me*, quod legitur vs. seq.

6. Ven. et vett. *iam hic fac sis*. Nostr. vulg. et Pareus; atque *iam* i. e. q. brevi. Cf. v. 1 et 15.

9. Fortasse omittendum *ut* post *Fac*. — *Manu* non legitur in libris neque Veneta.

12. Sensus: Atque ut beneficium meum, quod vobis feci, gratum mihi eveniat factis vestris, h. e. ut vos mihi pro eo gratiam referatis.

16, 17. Haec inepte a vulg. Trachalioni tribuuntur; a vett. Daemoni. Verum Veneta cum vulg. stat.

Act. IV. Sc. VII. Appellat Daemonem Gripus de vidulo. Ille ait se redditurum Labraci, cuius sit, et intro mittit Gripum, eumque ipse quoque sequitur.

3. Veneta haec Daemoni tribuit, omisso *habeas*. At vett. et vulg. Gripo. — Edd.

Dae. Tanto illi melius óbtigit, qui pérdidit;
Tuom ésse nihilo mágis oportet vídulum.
Gr. Istó tu pauper és, quom nimis sancté pius.
Dae. O Grípe, Cripe, in aetate hominum plúrimae
Fiúnt transennae, úbi decipiuntúr dolis;
Atque édepol in eas plérumque esca impónitur.
Quam sí quis avidus páscit escam avárìter,
Decípitur in transénna avaritiá sua.
Ille, quí consulte, dócte, atque astuté cavet:
Diútine uti béne licet partúm bene.
Mi istaéc videtur praéda praedatum írier:
Ut cúm maiore dóte abeat, quam advénerit.
Egone út, quod ad me adlátum esse alienúm sciam,
Celém? Minume istuc fáciet voster Daémones.
Sempér cavere hoc sápientes aequíssumum est,
Ne cónscii sint ípsi maleficíi suis.
Ego, nísi quom lusi, níhil moror ullúm lucrum.
Gr. Spectávi ego pridem Cómicos ad istúm modum
Sapiénter dicta dícere, atque iis plaúdier,
Quom illós sapientis móres monstrabánt poplo;
Sed quom índe suam quisque íbant divorsí domum:
Nullús erat illo pácto, ut illi iússerant.
Dae. Abi íntro: ne moléstus; linguae témpera.
Ego tíbi daturus níl sum: ne tu frústra sis.
Gr. At égo deos quaeso, ut, quídquid in illo vídulo est,
Si aurúm, si argentum est, ómne id ut fiát cinis. —
Dae. Illúc est, quod nos néquam servis útimur.
Nam illíc, cum servo sí quo congressús foret,
Et ípsum sese et íllum furti adstríngeret;
Dum praédam habere sé censeret, ínterim
Praeda ípsus esset; praéda praedam dúceret.
Nunc húc introibo et sácruficabo; póstibi
Iubébo nobis coénam continuó coqui.

ACTUS IV. SCENA VIII.

PLEUSIDIPPUS. TRACHALIO.

Pl. Iterum mi istaec ómnia itera, mi ánime, mi Trachálio,

---

quod di boni danunt. At *boni* genitivus. Sensus: retineas; non reddas.

6. Edd. *Tanto melius illi obt.*

8. *Isto*, h. e. eam ob rem, idcirco. *quum*, l. quod. V. 4, 8, 6. Cf. Cas. prol. 39. Aul. prol. 4.

12. Omnes: *poscit.* Nostr. Reiz. et Both.

19. *voster* ex Ald. Iunt. Acidal. B. — Vulg. *noster.*

21. Omnes: *maleficiis suis.* Nostr. Both. ex Reiz. et Gull. *suis* suppl. *servis.*

22. Omnes: *Ego mihi cum lusi.* Nostr. Both.

28. *ne* sc. *sis.*

29. Edd. *Ego daturus tibi n. s.*

31. *si — si* l. q. sive, sive.

32. *Illuc est*, praedae cupiditas facit, ut nequam habeamus servos.

33. *illic*, servus meus Gripus.

Act. IV. Sc. VIII. Advenit Pleusidippus, laete cum Trachalione colloquens.

Mí liberte, mí patrone, ímo potius mí pater!
Réperit patrém Palaestra suom átque matrem? *Tr.* Réperit.
Pl. Ét popularis ést? *Tr.* Opino. *Pl.* Et míhi nuptura est?
Tr. Súspicor.
Pl. Cénsen', hódie déspondebit éam mihi, quaeso? *Tr.* Cénseo.
Pl. Quíd? patri etiam grátulabor, quom íllam invenit? *Tr.* Cénseo.
Pl. Quíd? matri eius? *Tr.* Cénseo. *Pl.* Quid érgo censes?
Tr. Quód rogas,
Cénseo. *Pl.* Dic érgo, quanti cénses? *Tr.* Egone? Cénseo. *Pl.* At
Súme quidem, ne cénsionem sémper facias. *Tr.* Censeo.
Pl. Quíd, si curram? *Tr.* Cénseo. *Pl.* An sic pótius placide?
Tr. Cénseo.
Pl. Étiamne eam adveniéns salutem? *Tr.* Cénseo. *Pl.* Etiamne
éius patrem?
Tr. Cénseo. *Pl.* Post éius matrem? *Tr.* Cénseo. *Pl.* Quid póstea?
Étiamne adveniéns complectar éius patrem? *Tr.* Non cénseo.
Pl. Quíd matrem? *Tr.* Non cénseo. *Pl.* Quid éampse illanc?
Tr. Non cénseo.
Pl. Périi, delectúm dimisit! núnc non censet, quóm volo.
Tr. Sánus non es. Séquere. *Pl.* Duc me, mí patrone, quó iubet.

ACTUS V. SCENA I.

LABRAX.

Quis me ést mortalis míserior qui vívat alter hódie,
Quem ad récuperatorés modo damnávit Pleusidíppus?
Abiúdicata a mé modo est Palaéstra: perditús sum!
Nam lénones ex gaúdio credo ésse procreátos:
Ita omnés mortales, si quid est mali lenoni, gaúdent.
Nunc álteram illam, quaé mea est, visam húc in Veneris fánum:
Saltem út eam abducam, dé bonis quod réstat reliquiárum.

4. Edd. *opinor.* — *et mihi nuptura est.* Sic Pall.

6. *quum invenit* l. quod invenit. Cf. 4, 7, 8.

9. *sume.* Fortasse ei porrigit doni aliquid; id quod confirmare videntur, quae praecedunt: *dic ergo, quanti censes?* quae sensum nullum habent, nisi hunc subesse dicas, ut quaerat ex Trachalione Pleusidippus, quantum sibi velit dono dari, simulque ostendat ei certum nummum aut plures. Respondet Trachalio: *Egone? censeo.* hoc est: „rogas me, quantum velim mihi dari, aut an satis sit, quod ostentas? Ego vere censeo satis esse.“ Post quae Pleusidippus: At sume quidem, inquit, ne censionem semper facias, h. e. accipe igitur, ne censionem tantummodo facias. Utitur autem ad id verbo *sume*, quod praeter *accipiendi* significationem etiam aliam habet, de qua conferendus locus Pseud. V, 1, 27. *Ego atque herus minor hunc diem sumpsimus prothyme*, quemadmodum et apud Terentium eodem sensu, in Phorm. 5, 5, 4. *Otium ad potandum ut habeam; nam aliquot hos sumam dies.* Et Sticho 3, 1, 22. *sumas, Stiche, in hunc diem*, ubi vide n. Lindemannus tamen et Goellerus aiunt *sumere* esse i. q. summam facere in ratione ducenda. Alii pro *absumere* dictum putant, uti sine dubio usurpatur Trin. II, 4, 14. Alii v. *censere* de aestimandis numis accepere, an probi sint, coll. Truc. I, 1, 54 qui locus plane secus, atque illi fecere, est constituendus.

Act. V. Sc. I. v. 1. Omnes: *mortalium.* Nostr. ex Reizio B.

2. *ad rec.* i. q. apud rec.

ACTUS V. SCENA II.

GRIPUS. LABRAX.

Gr. Nunquam édepol hodie ad vésperum Gripum ínspicietis vivom,
Nisi vídulus mihi rédditur. *La.* Perií, quom mentiónem
Fieri aúdio usquam víduli, quasi pálo pectus túndor.
Gr. Istíc scelestus líber est; ego, qui ín mari prehéndi
Rete átque excepi vídulum, dare éi negatis quídquam.
La. Proh di ímmortales, suó mihi hic sermóne arrexit aúris!
Gr. Cubitum hércle longis lítteris signábo iam usquequáque:
Si quís perdiderit vídulum cum auro átque argento múlto,
Ad Grípum ut veniat. Nón feretis ístum, ut postulátis!
La. Meum hércle illic homo vídulum scit quí habet, ut ego opínor:
Adeúndus mihi illic ést homo. Di, quaéso, subveníte!
Gr. Quid me íntro revocas? Hóc volo hic ante óstium extergére:
Nam hoc quídem pol e robígine, non ést e ferro fáctum:
Ita quánto magis extérgeo, rutilum átque tenuiús fit. —
Nam quídem hoc venenatúm est verum: ita in mánibus consenéscit.
La. Aduléscens, salve. Dí te ament cum inráso capite. Quíd fit?
Gr. Verum éxtergetur. *La.* Út vales? *Gr.* Quid tú? num medicus, quaéso, es?
La. Imo édepol una líttera plus súm, quam medicus. *Gr.* Túm tu
Mendícus es? *La.* Tetigísti acu. *Gr.* Vidétur digna fórma.
Sed quíd tibi est? *La.* Hac próxuma nocte ín mari dé elávi:
Confrácta est navis: pérdidi, quidquíd erat, miser ibi ómne.
Gr. Quid pérdidisti? *La.* Vídulum cum auro átque argento múlto.
Gr. Ecquíd meministi, in vídulo, qui périit, quid ibi infúerit?
La. Quid réfert, qui periít tamen? *Gr.* Quid, si ..... *La.* Áliud fabulémur.

Act. V. Sc. II. Prodit Gripus, loquitur de vidulo. Auscultat Labrax, accedit; aitque se perdidisse vidulum. Pactum facit Gripus cum eo, ut, si efficiat ut reddatur ei vidulus, sibi numeret talentum. Iurat leno; introit Gripus, ut evocet Daemonem.

1. *vesperum* vett. et Ven. — Vulg. et Pareus: *vesperam*.

3. Vulg. Pall. vett. Ven. *tundat*. Al. *tundar*. Both. nostr.

4. *Istic* vett. Pall. et Ven. — Vulg. *Illic*. int. Trachallo.

5. *rete* ablativus est instrumenti, a. n. *retis*.

9. *Non feretis* i. auferetis sc. vidulum vos, o here et Palaestra, a me, uti speratis.

12. *revocas*, sc. Daemones aut alius quispiam, qui Gripum nomine hic vocasse censendus est. — *Hoc*, sc. veru quod extulit secum, quodque robigine iam liberare parat abradendo ope instrumenti cuiusdam.

13. Edd. *non e ferro factum est*.

15. Veneta: *Nam quidem hoc venatust verum*, ut Pall. — Vulg. *Nam quidem hoc Vere natum est verum*. Vett. *Namque quidem hoc vere natum est, verum*. Nostr. Both.

16. *cum irraso capite*, quippe servus es. Qui enim mann mittebantur, iis capita radebant. Apparet ergo haec omnia Labraci tribuenda esse, ut facit Veneta. Secus at male in Vulg. et B.

17. *num medicus*, videlicet quia quaesierit ex eo, ut valeret. — *Ut vales?* quam vales? quomodo vales?

23. Edd. *quid infuerit ibi?*

24. Vulg. Pall. vett. et Ven. *La. Quid refert, qui periit. Gr. Tamen si non hoc, aliud fabulemur.* Bothius: *L. Quid refert, qui periit tamen, nunc si illud fabulemur?* Reizius: *periit? Gr. Ta-*

Gr. Quid, si égo sciam, qui invénerit? Volo éx te scire signa.
La. Numi óctingenti aúrei in marsúpio infuérunt:
Praetérea centum mnaé Philippeae ín pasceolo seórsus.
Gr. Magna hércle praeda est! lárgiter mercédes indipíscar!
Di me ómnes respiciúnt: bene ergo ego hínc praedatus íbo!
Profécto huius est vídulus. Perge ália tu expedíre.
La. Taléntum argenti cómmodum magnum ínerat in cruména;
Praetérea sinus, cántharus, epíchysis, gaulus, cýathus.
Gr. Papaé, divitias tú quidem habuísti luculéntas!
La. Miserum ístuc verbum et péssumum est, Habuísse. et nihil habere.
Gr. Quid dáre velis, qui istaéc tibi investíget indicétque?
Elóquere propere, céleriter. *La.* Numós trecentos. *Gr.* Tricas!
La. Quadringéntos. *Gr.* Tramas pútridas! *La.* Quingéntos. *Gr.* Cassam glándem!
La. Sexcéntos. *Gr.* Curculiúnculos minútos fabuláre.
La. Dabo séptingentos. *Gr.* Ós calet tibi: núnc id frigefáctas.
La. Millé dabo numos. *Gr.* Sómnias. *La.* Nihil áddo: abi. *Gr.* Igitur audi.
Si hercle ábiero hinc, hic nón ero. *La.* Vin' céntum et mille? *Gr.* Dórmis.
La. Elóquere, quantum póstules. *Gr.* Quo níhil invitus áddas:
Taléntum magnum: nón potest trióbolum hinc abésse.
Proin tú vel aias vél neges. *La.* Quid istíc necessum est, vídeo:
Dabitúr talentum. *Gr.* Accédedum huc: Venus haéc volo arrogét te.

men, si non. *La. Aliud f.* Geppertus: periit? *Gr. Tamen si non hoc? Fabulemur.* vertens: *Wenn auch! Lass uns doch weiter reden.* quae versio quomodo cum lectione concinat, non equidem perspicio. Mihi nunc certum videtur, *tamen* ad praecedentia pertinere, *Aliud fabulemur* Labracis esse, dissimulantis, quantum sua referat de vidulo loqui; denique *non hoc* scholion esse ad *Aliud*. Igitur retinui *si*, praemisso *Quid*, ex versu sequenti. Quo facto, sensus idoneus existit. Ad *Aliud fabulemur* cf. Mil. 3, 3, 4.

27. *Centum denaria Philippea.* Sic vulg. et Ven. — Vett. *centum minae Ph.* Vox *Philippei* etc. plerumque valde correptim pronunciatur. Bothius ex Reizio: *Praeterea centum Philippeae minae in p. s.* Iuntina et Ald. cum vett. nisi quod *mnae Philippeae.* Pall. *centum mna Philippia.*

29. Ven. Pall. et vulg. *Dii homines resp.* At vett. *Di me hominesque resp.* Ego retinendum puto *me*, et pro *homines* leg. *omnes.* Denique ante *ego* addendum fuit *ergo*, i. e. *severa.* V. Ind.

31. *commodum*, *vollständig*, *baar.* Cf. Merc. 2, 3, 100.

32. Vulg. vett. *Praeterea sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyathusque.* Ven. *cyathus.* Sinus est vas ad gestanda liquida, atque prima producitur. Cf. Curc. I, 1, 82. *Eine hic cum vino sinus fertur? P. Nisi nevis.* Epichysus vas aquam minutatim fundens, quasi simpulum. V. Varro. *Gaulus* poculum ad formam scaphae. V. Gell. X, 23. Sic autem solebant veteres in itineribus secum ducere pocula pretiosa. Cf. Lucian. Mortuor. dial. XXVII, §. 2. ubi Ismenodorus lamentatur, quod ab latronibus interfectus sit, *καὶ ταῦτα φιάλας πέντε χρυσᾶς καὶ κυμβία τέτταρα μεθ' ἑαυτοῦ ἔχων.*

37. *tramas*, *Garn.*

39. *Os calet* etc. Sensus: Frigida loqueris, fortasse quia os tibi calet, ut illud frigefacies. *Os* autem est *caput*, ut centies in Plauto. Quod ubi calet, ventulo facto refrigeratur. Atque de ore capite cf. Ind. et Amph. 1, 1, 165. Capt. 4, 2, 14. Eandem dictionem vide Poen. 3, 5, 15.

42. Omnes: *Eloquere hercle.* — *Quo nihil invitus addas*, quo nihil pluris abs te accipiam, si vel dare velis.

45. *arroget*, testis sit, te mihi promisisse.

La. Quod tibi lubet, id mihi ímpera. *Gr.* Tange áram hanc Veneris. *La.* Tángo.
Gr. Per Vénerem hanc iurandúm est tibi. *La.* Quid iúrem? *Gr.* Quod iubébo.
La. Praei vérbis, quid vis. Quód domi est, nunquam úlli supplicábo.
Gr. Tene áram hanc. *La.* Teneo. *Gr.* Déiera, te mihi árgentum datúrum
Eodém die illo, víduli ubi sís potitus. *La.* Fíat.
Gr. Venus Cýrenensis, téstem te testór mihi ....
La. Venus Cyrenensis, testem te testor mihi ....
Gr. si vídulum illum, quém ego in navi pérdidi ....
La. si vidulum illúm, quem ego in navi perdidi ....
Gr. cum auro átque argento sálvom investigávero ....
La. cum auro atque argento salvom investigavero ....
Gr. isque ín potestatém meam pervénerit ....
La. isque ín potestatem meam pervénerit ....
Gr. tum égo huic Gripo (ínquito et me tángito) ....
La. tum égo huic Gripo, díco, Venus, ut tu aúdias ....
Gr. taléntum argenti mágnum continuó dabo.
La. talentum argenti mágnum continuo dabo.
Gr. Si fraúdassis: dicíto, uti te in quaestú tuo
Venus éradicet, cáput atque aetatém tuam. —
Tecum hóc habeto támen, ubi iuráveris.
La. Et illum égo advorsum sí quid peccassó, Venus:
Venerór te, ut omnes míseri lenonés sient.
Gr. Tamen fíet, etsi tú fidem serváveris.
Tu hic ópperire: iam égo faxo exibít senex:
Eum tú continuo vídulum repóscito.
La. Si máxume mihi íllum reddiderit vídulum,
Non ílli ego hodie débeo trióbolum.
Meus árbitratust, língua quod iurét mea.
Sed cónticescam: eccum éxit et ducít senem.

ACTUS V. SCENA III.

GRIPUS. DAEMONES. LABRAX.

Gr. Séquere hac. Ubi istic léno est? — Heus, tu! hém tibi: hic habet vídulum.

48. Omnes: *Id quod domi est.* Significat autem, se linguam ad omnia promtam habere, nec opus habere, ut alius sibi eam ad periurium commodet.

49. *deiera.* Sic Reiz. Both. — Edd. *deiura.*

50. Vett. *Eodem illo die.* In vulg. et Ven. deest v. *illo.*

51. Haec Vulg. vett. et Ven. ita, ut, quae apud nos ex Bothii ed. duplicata leguntur, ibi usque ad v. 59 simpliciter sub unius persona Gripi proferantur, tum 60 et 61 sub Labracis.

59. Vulg. *Tum ego huic Gripo dico, inquito, et me tangito. La. Tum ego huic Gripo dico, Venus, ut tu audias.* Apparet, prius *dico* ex altero versu esse.

71. *illum* monosyllabum.

Act. V. Sc. III. Daemones Labraci exhibet vidulum, ita tamen, ut ille talen-

Dae. Hábeo et fateor ésse apud me; et, sí tuos est, habeás tibi.
Ómnia, ut quaeque ínfuere, ita sálva sistentúr tibi.
Téne, si tuost. *La.* O di ímmortales, méus est! Salve, vídule!
Dae. Túusne est? *La.* Rogitas? Sí quidem hercle lóvis fuit, meus ést tamen.
Dae. Ómnia insunt sálva; una istinc cístella excepta ést modo
Cúm crepundiís, quibuscum hodie fíliam invení meam.
La. Quám? *Dae.* Tua quae fuít Palaestra, ea fília inventa ést mea.
La. Béne mehercle fáctum est! Quom istaec rés tibi ex senténtia
Púlcre evenit, gaúdeo. *Dae.* Istuc fácile — non credó tibi.
La. Ímo hercle, ut sciás gaudere mé, mihi trióbolum
Ób eam ne duís: condono té. *Dae.* Benigne edepól facis.
La. Ímo tu quidem hércle vero. *Gr.* Heús, tu, iamne habes vídulum?
La. Hábeo. *Gr.* Propera .... *La.* Quíd properabo? *Gr.* Réddere argentúm mihi!
La. Néque edepol tibi dó neque quidquam débeo. *Gr.* Quae haec fáctio est?,
Nón debes? *La.* Non hércle vero. *Gr.* Nón tu iuratús mihi es?
La. Iúratus sum et núnc iurabo, sí quid voluptati ést mihi.
Iúsiurandum réi servandae, nón perdundae, cónditum est.
Gr. Cédo, sis, mihi taléntum magnum argénti, periuríssume!
Dae. Grípe, quod tu istúnc talentum póscis? *Gr.* Iuratúst mihi
Dáre. *La.* Lubet iuráre. Tun' meo póntifex periúrio es?
Dae. Quá pro re argentúm promisit híc tibi? *Gr.* Si vídulum
Húnc redegissem ín potestatem éius, iuratús dare
Mihi talentum mágnum argenti. *La.* Cédo, quicum habeam, iúdicem,
Ní dolo malo ínstipulatus sís, nive etiamdúm siem
Quínque et viginti ánnos natus. *Gr.* Hábe cum hoc. *La.* Alio ést opus.
Dae. Iám ab isto auferre haúd sinam, nisi ístum condemnávero.

tum numeret, cuius pro dimidia parte Daemones Gripum liberat, altera parte dimidia ab lenone emit Ampeliscam.

3. Vulg. Pall. Ven. Both. *ut quidquid infuere.* Nostr. vett.

15. *factio*, quod hoc factum? Cf. Bacch. 4, 7, 2.

23. Edd. *Istum redegissem.* At *Hunc* cdd. et Both.

24. Cedo mihi iudicem, quicum habeam, sc. negotium, quicum disceptem. Cf. v. 26 ubi: *Habe cum hoc.* Lambinus sic: „Ultro iudicem poscit, apud quem lis et controversia sua disceptetur, et ostendit, se apud iudicem utrumvis harum probaturum, aut Gripum stipulatum esse dolo malo, aut se minorem esse viginti quinque annis. Provocat autem Gripum sponsione leno, hoc modo: spondes mihi, verbi causa, centum, nisi dolo malo instipulatus sis, nive minor XXV sim?“ — *Instipulari* est compositum pro simplici, uti alibi simplicia ponuntur pro compositis. Idem legitur Pseud. 4, 6, 7. — *Dolus malus* opponitur dolo bono. Nam veteres etiam dolum bonum dicebant, idque nomen pro solertia accipiebant, si quis adversum hostem latronemve quid machinaretur.

25. Geppertus: *nive etiam dum haud siem*, quae altera negatio tamen nusquam legitur. Et recte. Nam *ni* in his i. e. q. *an*, ut aperte Truc. 4, 2, 27. et item Epid. 5, 2, 33. 34., ubi *pignus dare in* est: *wetten um*, et sequens *ni* i. e. q. *ob*. Errat igitur Geppertus hic quoque, ut in multis.

26. *cum hoc*, sc. Daemone. *Alio* sc. iudice.

27. *Iam haud sinam* (suppl. *te, leno*)

Prómisistin' huíc argentum? *La.* Fáteor. *Dae.* Quod servó meo
Prómisisti, méum esse oportet: né tu, leno, póstules,
Te híc fide lenónia uti. Nón potes. *Gr.* Iam té ratus
Náctum hominem, quem défraudares? Dándum huc argentúm est probum.
Íd ego continuo huíc dabo, adeo mé ut hic emittát manu.
Dae. Quándo ergo erga té benignus fúvi, atque operá mea
Haéc tibi sunt serváta .... *Gr.* Ímo hercle méa: ne tu dicás tua.
Dae. Sí sapies, tacébis. — Tum te míhi benigne itidem áddecet
Béne merenti béne referre grátiam. *La.* Nempe pró meo
Iúre oras? *Dae.* Mirúm, quin tuum ius méo periclo abs te éxpetam.
Gr. Sálvos sum: lenó labascit; líbertas porténditur!
Dae. Vídulum istic ílle invenit; íllud mancipiúm meum est.
Égo tibi hunc porró servavi cúm magna pecúnia.
La. Grátiam habeo, et dé talento núlla causa est, quín feras,
Quód isti sum iurátus. *Gr.* Heus tu, míhi dato ergo, sí sapis.
Dae. Tácen', an non? *Gr.* Tu méam rem simulas ágere, tibi nunc cómmodas.
Nón hercle istoc me íntervortes, si áliam praedam pérdidi.
Dae. Vápulabis, vérbum si addes únum istuc. *Gr.* Vel hercle énica!
Nón tacebo unquam álio pacto, nísi talento cómprimor.
Dae. Tibi operam hic quidem dát: taceto. — Cóncede huc, lenó. *La.* Licet.
Gr. Pálam age! nolo múrmurillum néque susurrum fíeri.
Dae. Díc mihi, quanti illam émisti tuam álteram muliérculam
Ámpeliscam? *La.* Mille numos dénumeravi. *Dae.* Vin' tibi
Cónditionem lúculentam férre me? *La.* Sané volo.
Dae. Díviduom taléntum faciam. *La.* Béne facis. *Dae.* Pro illa áltera,

ab isto sc. Gripo, *auferre* sc. vidulum, *nisi cum condemnavero*, i. e. nisi causa dicta a te.

30. *fide lenonia*, quia lenones non solent stare promissis iurive iurando.

31. *huc*. Sic Both. et vulg. quum Pal. Vett. et Ven. *huic*, uti Pareus, ut sit δεικτικῶς pro *mihi*.

36. *Nempe pro meo iure oras?* Nempe existumas ius meum esse, atque ita oras, ut ultro aliquid condonem? *Nempĕ* monosyll.

37. *Mirum quin* etc. i. e. Stultum foret, si, quod tuum sit, meo periculo iniuste abs te petam. Dictionem *Mirum quin* vide Amph. 2, 2, 127. Cist. 4, 2, 68. Aul. 1, 3, 7. Merc. 1, 2, 94. Pers. 3, 1, 11. Ill, 3, 29.

43. In postremis lacuna. Vulg. *agere tibi mu ....* et sic Pall. et Veneta. — Vett. *tibi nunc*. Adiectum ab edd. *commodas*, quod et Lamb. in notis habet et Reizius in textu. *Commodare* autem i. q. consulere.

45. Edd. *istuc unum*. Nostr. Reiz. et B. Sed fortasse eiiciendum *istuc*, et leg. *Vel tu hercle enica*, uti voluit Lambinus. Ceterum coni. *Vel* aliis etiam in locis tamquam *ve* legenda venit. Atque sic fortasse Amph. 3, 2, 36 - 46. *comprimor*, moveor ut taceam. Nam comprimere saepe i. e. q. silere facere. Cas. 2, 6, 10.

47. *Tibi operam — taceto.* Haec edd. Labraci tribuunt, Both. Daemoni. Quem ubi sequeris, *hic* rursus erit δεικτικῶς seu potius reciproce dictum pro: ego, ipse Daemones tibi do operam, rem tuam curo.

48. Vulg. vett. Ven. *murmur ullum*. At nostr. Nonius v. *Murmurillum*.

Libera ut sit, dímidium tibi súme; dimidium huíc cedo.
La. Máxume. *Dae.* Pro illó dimidio égo Gripum emittám manu,
Quém propter tu vídulum et ego nátam inveni. *La.* Béne facis:
Grátiam habeo mágnam. *Gr.* Quam mox mi árgentum ergo rédditur?
Dae. Rés soluta est, Grípe: ego habeo. *Gr.* Hércle at ego me mávolo.
Dae. Níhil hercle hic tibi ést: ne speres. Iúrisiurandí volo
Grátiam faciás. *Gr.* Perii hercle! nísi me suspendo, óccidi!
Núnquam hercle iterum défraudabis mé quidem post húnc diem.
Dae. Híc hodie coenáto, leno. *La.* Fíat; conditió placet.
Dae. Séquimini intro. — Spéctatores, vós quoque ad coenám vocem,
Ni daturus níl sim, neque sit quídquam pollucti domi,
Níve adeo vocátos credam vós esse ad coenám foras.
Vérum si volétis plausum fábulae huic clarúm dare,
Cómissatum omnés venitote ád me ad annos sédecim.
[Vós hic hodie coénatote ambó. *La.* Fiat. *Dae.* Plausúm date].

53. *cedo*, i. e. dato.
54. *Maxume* est particula assentientis. V. Ind.
58. Edd. *ne tu speres.*
59. *gratiam facias*, condones illud lenoni.
63. *Ni daturus*, nisi mihi nihil esset, quod possem vobis dare, nisique nihil polluctí domi haberem, i. e. si possem dare aliquid, aut si polluctí quid haberem domi. Loquitur autem, ut servus; quales plerique erant histriones. — *Polluctí* verbum in sacrificiis solemne erat. Cf. n. ad Most. I, 1, 23.
66. In hoc versu nullus equidem dubito antiquitus terminatam fuisse fabulam. Postremus enim qui additus est, ineptit et male habet et est abiiciendus.

METRORUM IN RUDENTE

DESCRIPTIO.

Prol. et Act. I. Sc. I. II. senarii iamb.
Act. I. Sc. III. 1—5 anapaest. dim.
v. 6 dipodia anap.
v. 7—9 dimetri anap.
v. 10—13 tetr. bacchiaci.
v. 14 monometer bacch.
v. 15—17 dactylico-cret.
v. 18—21 anap. dim.
v. 22—26 cretici.
v. 27, 28 bacchiaci.
v. 29, 30 dimetri iamb.
v. 31—39 cretici.
v. 40, 41 troch. tetr. acat.
v. 42, 43 iamb. tetr. catal.
Act. I. Sc. IV. 1—9 tetr. spondiaci acat.
v. 10 tetr. cret. cum choriambo.
v. 11 dipodia cret.
v. 12 tetr. cret. cat. imminutus.
v. 13 cret. tetr. catal.
v. 14—34 cret. tetr.
v. 35, 36 senar. iamb.
v. 37, 38 tetr. iamb. acat.
v. 39 troch. tetr. catal.
Act. I. Sc. V. 1—5 tetr. bacch.
v. 6 dipod. bacch.
v. 7 creticus.
v. 8 iamb. dimeter catal.
v. 9—20 cretici.
v. 21—25 bacchiaci.
v. 26 troch. tetr. catal.
v. 27, 28 anapaestici.
v. 29 bacchiacus.
v. 30 tripod. cret. catal.
v. 31 bacch. tetr.
v. 32 bacchiaco-iamb.
Act. II. Sc. I., II., III. tetr. iamb. catal.
Act. II. Sc. IV. 1—3 tetr. troch. cat.
v. 4 tetr. troch. acat.
v. 5 dimeter troch.
v. 6—28 tetr. troch. catal.
v. 29—Act. II. Sc. VI. senar. iamb.
Act. II. Sc. VII. tetr. troch. catal.
Act. III. Sc. I. senar. iamb.
Act. III. Sc. II. tetr. troch. catal.
Act. III. Sc. III. 1—19 tetr. cret.
v. 20 monom. cret. hyperm.
v. 21—44 tetr. iamb. catal.
Act. III. Sc. IV. tetr. troch. catal.
Act. III. Sc. V., VI. et Act. IV. Sc. I. iamb. sen.
Act. IV. Sc. II. v. 1—6 bacchiaci.
v. 7 tetr. anap.
v. 8, 9 anap. dimetri.
v. 10—13 bacchiaci.
v. 14 anapaest.
v. 15—32 tetr. troch. acat. praeter 15, 19, 20.
Act. IV. Sc. III. v. 1, 2 tetr. troch. cat.
v. 3—11 dimetri iamb.
v. 12, 13 anapaest.
v. 14—16 tetr. iamb. cat.
v. 17—19 cretici.
v. 20, 21 spurii.
v. 22—33 anapaestici.
v. 34—Act. IV. Sc. IV. tetr. troch. catal.
Act. IV. Sc. V. v. 1—14 senarii iamb.
v. 15—Act. IV. Sc. VI. tetr. troch. cat.
Act. IV. Sc. VII. senar. iamb.
Act. IV. Sc. VIII. tetr. troch. cat.
Act. V. Sc. I., II.—v. 50 tetr. iamb. catal.
v. 51—74 senar. iamb.
Act. V. Sc. III. tetr. iamb.

STICHUS.

DRAMATIS PERSONAE.

PANEGYRIS, } Sorores, filiae Antiphontis, maritae
PINACIUM, } Epignomi et Pamphilippi, fratrum.
ANTIPHO, senex.
GELASIMUS, parasitus.
CROCOTIUM, puella, serva Panegyris.
DINACIUM, puer servus Panegyr.
EPIGNOMUS, } mariti Paneg. et Pinacii.
PAMPHILIPPUS, }
STICHUS, servus Epignomi.
SAGARINUS, servus Pamphilippi.
STEPHANIUM, horum utriusque amica.

SUMMARIUM.

Antipho Atheniensis, senex hilarus atque opulentus, duas habet filias, Panegyrin et Pinacium, nuptas duobus fratribus, Epignomo et Pamphilippo, qui, quoniam sua prodegerant et ex divitibus pauperes erat facti, consilium ceperant ad mercaturam proficiscendi, quo suae rei familiari succurrerent famamque suam repararent. Iis igitur nimium diu absentibus, quum ne nuntius quidem adferretur, viverentne, necne, demum Antipho filias aliis nuptum dare constituit. Eae tamen maritis suis fidae manere malunt. Mittit Panegyris Gelasimum parasitum ad portum, visum, an naves advenerint. Interim venit eodem missus puerulus, nuncium de adventu maritorum afferens. Ii domum redeunt, conciliantur socero, qui sibi fidicinam ex illorum mercibus expetit; ludunt parasitum, Stichoque servo in diem libertatem convivandi concedunt; qui cum socio conservo et cum communi utriusque amica epulo reditum suum celebrat.

(Res agitur Athenis. Metra autem negligentius servata in hac fabula deprehenduntur; et fabula fortasse non Plauti.)

ARGUMENTUM.

Senéx castigat filias, quod hae viros
Tam pérseverent, péregrinantis, pauperes,
Ita sústinere frátres neque relinquere;.
Contráque verbis délenitur cómmodis,
Habére ut sineret, quós semel nactaé forent.
Virí reveniunt ópibus aucti tráns mare;
Suam quisque retinet, ác Sticho ludús datur.

ACTUS I. SCENA I.

PANEGYRIS. PINACIUM.

Pa. Credo égo, miseram fuisse Pénelopam,
Soror, quaé tam diu viro suó caruit.
Nam nós eius animum dé nostris
Factís noscimus, quarúm viri hinc
Absúnt, quorumque negótiis nos
Abséntum, ut est aequum, sóllicitae
Noctés et dies, soror, súmus semper.
Pi. Nostrum ófficium nos fácere aequum est:
Neque id mágis facimus, quam mónet pietas.
Sed hic, méa soror, adsisdúm: [multa] volo
Tecúm loquier de ré viri.
Pa. Salvéne, amabo?
Pi. Speró quidem et volo. Sed hoc, sóror, crucior,
Patrem tuúm, meumque adeo, unicé qui unus

Act. I. Sc. I. Colloquuntur inter se duae sorores in aedibus Panegyris, (ad quam a se transierat Pinacium. Utraque enim suas peculiares habent aedes. Cf. 1, 2, 90.) de viris suis absentibus, queruntur que quod pater se velit separari ab illis. Decernunt autem, manere fideles maritis, et quaerere quid facto usus sit. Canticum est, et versus anapaestici, sicuti olim iam maximam quidem partem Hermannus constituerat praeter primos versus, quos eiusdem metri esse debere ac posse, si omittenda omittantur, quivis videt. Perverse de hac scena constituenda nuper, ut de omnibus, Ritschelius iudicavit, cuius de hoc loco allucinationes tacere magis quam confutare ex re lectorum iudico. — De nomine alterius sororum colloquentium vide not. ad II, 1, 113.

1. *fuisse* monosyllabum, ut *esse* crebro. Cf. Amph. 1, 1, 131. Asin. V, 2, 5.

2. Vulg. *Soror, suo ex animo, quae tam diu vidua viro suo caruit.* E quibus verba *suo ex animo* et *vidua* spuria esse iudico.

5. Vulg. *Quorumque nos negotiis.*

9. Vulg. *quam nos monet p.*

10. Vulg. *Sed hic, mea soror, assis dum: multa volo tecum loqui de re viri.*

12. *Salvene?* solemnis quaestio, cuius sensus: Anne bene se habet sc. ille? anne salvus is est? Cf. Men. 5, 2, 26. Trin. 5, 3, 2. Terent. Eun. 5, 5, 8. Est autem quasi pausa.

Cívíbus omnibus probus pérhibetur,
Eum núnc improbi viri offício uti,
Viris tántas absentíbus nostris
Qui fácit iniurias ímmerito,
Nosque áb iis nunc abdúcere volt.
Hae rés vitae me, sóror, saturant;
Hae míhi dividiae et sénio sunt.
Pa. Neu lácruma, soror, neu túo id animo
Fac, quód tibi pater faceré minatur.
Spes ést, eum melius fácturúm.
Novi égo illum: ioculo istaéc dicit;
Neque illé sibi mereat Pérsarum
Montés, qui esse aurei pérhibentur,
Ut istúc faciat, quod tú metuis.
Tamen, sí faciat, minume írasci
Decet; néque id immerito éveniet.
Nam víri nostri domo ut ábierunt,
Hic tértius annus; *Pi*. Ita, út memoras.
Pa. Quum ipsi ínterea, vivánt, valeant,
Ubi sínt, quid agant, ecquíd agant, neque
Partícipant nos, neque rédeunt.
Pi. Án id dóles, soror, quia illi suum ófficium
Non cólunt, quum tu tuum fácis? *Pa*. Ita pol.
Pi. Tace, sís! cave, sis, audíam ego istuc,
Cave, pósthac ex te! *Pa*. Nám qui iam?
Pi. Quia pól meo animo omnes sápientes
Suum offícium aequom est colere ét facere.
Quamobrem égo te hoc, soror, tametsi és maior,
Moneo, út tuum memineris ófficium, et-
si illi ímprobi sint atque áliter nos
Faciánt, quam aequom est; tamen pól, ne quid
Magis ómnibus obnoxiaé simus,
Nostrum ófficium meminísse decet.
Pa. Placet: táceo. *Pi*. At memineris fácito!
Pa. Nolo égo, soror, me crédi esse immemorém viri,
Neque ille éos honores, míhi quos habuit, pérdidit:
Nam míhi pol grata accéptaque huius benígnitast,
Et mé quidem haec conditio nunc non poénitet,

14. Vulg. *Civibus ex omn.* — In v. *unice* elidenda media.

17. Vulg. *Qui viris t. a. n. facit i. i. nosque ab his abduccre volt*. Transposui *Qui*, adieci *nunc*.

18. In v. *iniurias* elidenda *i* penultima.

21. *Senium* i. e. q. taedium, ut expl. Nonius.

23. Vulg. *tibi tuus pater*.

25. Sic Ven. et Pall. — Vulg. *istaec ioculo dicit*.

37. Addidi *tu*.

39. *Nam qui* i. q. Quomodonam? cur? quid est? Cf. ad Aul. 1, 1, 3.

46. Vulg. *magis simus omnibus obnoxiae opibus*. Obnoxius est, qui culpam committit. V. *omnibus* referto ad *magis*, et int. quam omnes reliquae mulieres. Sensus igitur: ne nos culpam committamus, eoque malo distinguamur inter reliquas mulieres.

50. *perdidit*, incassum mihi praestitit honores, i. e. beneficia.

51. Vulg. *huius est b*.

52. *conditio*, hoc matrimonjum. Aul.

Neque est cúr nunc studeam has núptias mutárier:
Verúm postremo in pátris potestate ést situm:
Faciúndum id nobis, quód parentes ímperant.
Pi. Scio, átque in cogitándo moerore aúgeor:
Nam própemodum iam osténdit suam senténtiam.
Pa. Igitúr quaeramus, nóbis quid facto úsus sit.

ACTUS I. SCENA II.

ANTIPHO. PANEGYRIS. PINACIUM.

An. Quí manet, ut moneátur semper sérvos homo officiúm suum,
Néc voluntate id fácere meminit, sérvos is habitu haúd probust.
Vós meministis quótcalendis pétere demensúm cibum:
Quí minus meministís, quod opus sit fácto, facere in aédibus?
Iám quidem in suo quidqué loco nisi erit míhi situm supelléctilis,
Quom égo revortar: vós monumentis cómmonefaciam búbulis!
Nón homines habitáre mecum mi híc videntur, séd sues.
Fácite, sultis, nítidae ut aedes méae sint, quum redeám domum.
Iam égo domi adero. Ad méam maiorem fíliam invisó domum.
Sí quis me quaeret, índe vocatote áliqui; aut iam egomet híc ero.

3, 5, 2. V. indicem. Verumenimvero *conditio me non poenitet* dictio videtur tantum non aliena a Plauto, qui verbum *poenitet* longe alio sensu usurpat, hoc videlicet, ut sit: non satis habeo, non satis mihi esse duco, nullo plerumque addito substantivo obiecti, sed inciso coniunctionali; velut Trin. 2, 2, 43. *is probust, quem poenitet, quam probus sit et frugi bonae*, h. e. qui sibi non sat probus videtur. Aulul. 3, 2, 20. *Me haud poenitet: tua ne expetam*, h. e. ego meis contentus sum, et multum abest, ut tua expetam. Bacch. 5, 2, 67. *Me nihil poenitet, ut sum acceptus*, h. e. ego nihil amplius cupio a vobis accipi, satis habeo vestrorum beneficiorum. Rud. 2, 7, 20. *Eho an' te poenitet, in mari quod elavi, ni hic in terra iterum eluam?* i. e. an non tibi satis est, me in mari elavisse? Praeterea v. indicem. Quare vel haec una dictio argumento sane esse possit, scenam non esse Plauti. *Poenitere* cum genitivo legitur infra IV, 1, 45. *et si duarum poenitebit, inquit, addentur duae*, sensu consueto, ut sit: si duabus non erit contentus.

54. *postremo.* Cf. Cist. 4, 2, 41 et ind.

56. *in cogit. moer. aug.* i. e. augeor moerore, dum hoc cogito.

58. *usus sit*, opus sit.

Act. I. Sc. II. Prodit a se Antipho, filias suas visum, intusque ab initio adhuc loquitur ad suos servos. Deinde transit ad filias. Illae studiose eum excipiunt. Antipho se fingit uxorem ducturum. Deinde aperit, se eas velle abducere a viris suis. Obnituntur illae. Ergo revertitur ad se. Discedunt filiae quaeque domum suam. Panegyris arcessi iubet Gelasimum, ut ille ad portum eat, visum, an viri advenerint.

1. *manet*, exspectat.

2. Ad *habitu haud probust* cf. Pseud. 4, 7, 1. *male habiti et male conciliati.* u. v. n.

3. *quotcalendis*, quoties Calendae veniunt. Tum enim cibus dabatur servis. Cf. Senec. epist. 80. *Servus est, quinque modios accipit, et quinque denarios*, &c. in mensem. *Quotcalendis* similiter dictum ac *quotannis* et *quotmensibus* Vitruv. 10, 7. Cato 44.

4. *Qui* i. e. cur.

6. *monumenta* dicta sunt a monendo. Bubula autem monumenta sunt lora ex pellibus boum facta.

9. *Iam adero*, i. e. brevi adero, redibo. — *inviso* futurum tempus, ut *expugnasso*, *reconciliasso*, *impetrasso*. Cf. ad Amph. I, 1, 56.

10. Omnes *me quaeret.* — *aut iam eg. h. e.* i. e. aut exspectate donec rediero, brevi enim denuo hic, h. e. domi, ero. — *inde* monosyllabum.

Pi. Quíd agimus, soror, si óbfirmabit páter adversum nós? *Pa.* Pati
Nós oportet, quód ille faciat, cúius potestas plús potest.
An. Sí manere hic sése maliat pótius, quam alio núbere:
Nón faciant. Quid mihi opust, decurso aétatis spatió, cum eis
Gérere bellum, quúm nil, quamobrem fáciam, meruisse árbitrer?
Mínume! nolo túrbas. Sed hoc mihi óptumum factu árbitror:
Príncipium, ego quo pácto cum illis óccipiam, id ratiócinor:
Útrum ego perplexím lacessam orátione ad húnc modum,
Quási nunquam quidquam in eas simulem, quási nil indaudíverim,
Éas in se meruísse culpam, ac pótius tentem léniter;
Án minacitér. Scio, lites fóre: ego meas novi óptume.
Pi. Éxorando, haud ádvorsando, súmendam operam cénseo.
Grátiam a patre si pétimus, spero áb eo impetrássere.
Ádvorsari síne dedecore et scélere summo haud póssumus.
Néque ego sum factúra, neque, tu ut fáciae, consilíúm dabo;
Vérum, ut exorémus. Novi ego nóstros: exorábilist.
An. Síc faciam: adsimulábo, quasi culpam áliquam in sese admíserint;
Pérplexabilitér earum hodie pérpavefaciam péctora;
Póst id agam igitur deínde: ut animus méus erit, faciám palam.
Múlta scio faciúnda verba. Ibo íntro. Sed aperta ést foris.
Pi. Cérto enim mihi patérnae vocis sónitus aures áccidit.
Pa. Ís est ecastor. Férre advorsum hominem óccupemus ósculum.
Pi. Sálve, mi pater. *An.* Ét vos ambae. Íllico, agite, abscédite!
Pi. Ósculum .... *An.* Sat est ósculi mihi vóstri. *Pi.* Qui, amabó, pater?
An. Quía ita meae animaé salsura evénit. *Pi.* Adside híc, pater.

11. *offirmabit*, si offirmato animo nos iubebit a viris abscedere.
13. *alio*, h. e. in aliam domum.
14. Vulg. *Non faciant.* Vett. *Non faciam.* Sensus: Non nubant alio. Ostendit ergo iam ab initio, se eas tentaturum modo, quemadmodum in fine scenae iis concedit.
15. Vett. Pall. Ven. *arbitror.* Nostr. vulg. et recte; nam *arbitror* est in fine vs. seq.
16. *arbitror*, sc. ut ratiociner, quo utar adversus illas principio orationis.
19. Quid inaudiverit, quamque illae culpam commiserint, nisi quod obnisae sibi fuerint fidelesque manserint viris suis, nihil inveneris. At obniti parentibus sane summi criminis habebatur apud Romanos. Cf. v. 24. — *in eas simulem* i. e. q. eas insimulem, i. e. habeam quod incusem. Nam insimulatio est falsi aut veri criminis incusatio. Cf. Cic. Cat. III, 5. *Gabinius ad extremum nihil ex iis, quae Galli insimulabant, negavit.*
23. Versus a scansione laborat, quomodocunque eum lectites. Ex nostra diorthosi *Gratiam* tamquam duabus enunciandum syllabis, et in *spero* et *eo* non elidendum. Ceterum mea causa et legas: *Gratiam a patré si petimus, spéro ab eo impetrássere.* — *impetrassere* futurum.
27. Edd. *aliquam culpam.* — Ceterum nihil huius facit in seqq.
29. *ut erit*, i. q. quis erit, h. e. quae mea sit sententia.
30. *aperta est foris*, fortasse non domus ipsius, sed plateae ante domum. Nam apud domum in platea ipsae filiae sedent; inde enim domum abeunt versu 90.
31. *aures*, i. e. ad aures. *accidit*, cadit ad aures, i. e. venit.
33. Pro *abscedite* vett. *assidite.* Illud vulg. et Ven. et Decurt. — V. C. *ascidite.*
35. *animae*, dem Odem. Cf. Asin. 5, 2, 78 *anima foetetne uxoris tuae?* Sensus: salsi quid edi, unde foetet mihi anima. — *Adside hic* sc. apud nos duas, in medio lectulo.

An. Nón sedeo istic; vós sedéte; ego sédero in subséliis.
Pi. Máne, pulvinum. *An.* Béne procuras míhi; satis sic fultum ést mihi.
Pi. Sine, pater. *An.* Quíd ópus est? *Pi.* Opus est. *An.* Mórem tibí geram. Hóc sat est.
Pi. Númquam enim nimis curáre possunt súum parentem fíliae.
Quem aéquiust nos potiórem habere, quám te; postideá, pater,
Víros nostros, quibus tú voluisti ésse nos matres fámilias?
An. Bónas ut aequom est fácere, facitis, quúm tamen absentés viros
Períndе habetís, quási praesentes sint. *Pi.* Pudicitia ést, pater,
Eós nos magnificáre, qui nos sócias sumserúnt sibi.
An. Númquis hic est aliénus nostris dictis auceps aúribus?
Pa. Núllus praeter nósque teque. *An.* Véstrum animum adhiberí volo.
Nám ego ad vos nunc, impéritus rérum et morum múlierum,
Díscipulus venio ád magistras. Quibus matronas móribus,
Quae óptumae sunt, ésse oportet? Séd utraque ut dicát mihi.
Pa. Quíd istuc est, quod éxquaesitum huc múlierum morés venis?
An. Pól ego uxorem quaéro, postquam vóstra mater mórtua est.
Pa. Fácile invènies ét peiorem et péius moratám, pater,
Quam ílla fuit; meliórem neque tu réperies neque Sól videt.
An. Át ego ex te exquiro átque ex istac túa sorore.... *Pa.* Edepól, pater,
Scío, ut oportet ésse, si sint íta, ut ego aequom céнseo.
An. Vólo scire ergo, ut aéquum censes. *Pa.* Út, per urbem quum ámbulent,
Ómnibus os obtúrent, ne quis mérito maledicát sibi.
An. Díc vicissim núnc iam tu. *Pi.* Quíd vis tibi dicám, pater?
An. Úbi facillimé spectatur, múlier quae ingenio ést bono?
Pi. Cuí male faciundi ést potestas, quaé, ne id faciat, témperat.
An. Haúd male istuc. Age tu áltera: utra sít conditio pénsior,
Vírginemne an víduam habere? *Pa.* Quánta mea sapiéntia est,
É malis multís malum quod mínumum est, id minumúm est malum.
Quí potest mulierés vitare, vítet: ut quotídie

37. *Mane, pulvinum*, Exspecta dum tibi afferam pulvinum. *Bene*, quasi dixerit *benigne*, quo utebantur, ubi non accipiebant beneficium.

38. Edd. *Atque hoc satis est.*

42. *tamen absentes.* Moris est in Plauto ad v. *absentem* etc. pleonastice addi *tamen*, quod i. e. q. *tamenetsi.* Cf. Cas. prol. 20. Amph. 1, 3, 44. Mil. 3, 2, 62. IV, 8, 31. Sententia igitur est: quum viros vestros, quamvis sint absentes, tamen perinde habetis, ac si praesentes sint.

43. *pudicitia est*, h. e. pudicitia iubet. Pudicitia autem i. q. honestas, decor.

44. Addidi *nos* post *Eos.*

45. *auceps.* Similis v. Mil. 4, 1, 9.

50. Edd. *quod huc exquisitum.* Nostr. Both.

55. Sensus: Scio, quales oporteat eligi mulieres, si quae sint tales, quales esse ego iustum censeo et probo.

56. *ut aequum censes*, h. e. quales tu probes ut sint.

59. *Ubi*, i. e. qua in re facillime spectari possit, quae proba sit mulier.

60. *Quum.* Sic Both. At edd. omn. *Cui.*

61. *conditio* i. e. matrimonium. Cf. infra v. 81. I, 1, 52. Aul. 3, 5, 2. *pensior*, melior, maioris ponderis.

Prídie caveát, ne faciat, quód pigeat postrídie.
An. Quaé tibi muliér videtur múlto sapientíssuma?
Pi. Quaé tamen, quum rés secundae súnt, se poterit nóscere;
Ét illa, quae aequo animó patietur, síbi esse peius, quám fuit.
An. Édepol vos lepidé tentavi, véstrumque ingenium íngeni.
Séd hoc est, quod ad vos vénio, quodque esse ámbas conventás volo:
Mi aúctores ita súnt amici, ut vós hinc abducám domum.
Pa. At enim nos, quarúm res agitur, áliter auctorés sumus:
Nam aút olim, nisi tíbi placebant, nón datas opórtuit;
Aút nunc non aequóm est abduci, páter, illisce abséntibus.
An. Vósne ego patiar cúm mendicis núptas me vivó viris?
Pi. Plácet ille meus míhi mendicus; súus rex reginaé placet.
Ídem animust in paúpertate, qui ólim in divitiís fuit.
An. Vósne latrones ét mendicos hómines magni pénditis?
Pa. Nón me tu argentó dedisti, opínor, nuptum, séd viro.
An. Quíd? illos exspectátis, qui abhinc iam ábierunt triénnium?
Quín vos capitis cónditionem ex péssuma primáriam?
Pi. Stúltitia est, patér, venatum dúcere invitás canes.
Hóstis est uxór, invita quae ád virum nuptúm datur.
An. Cértumne est, neutrám vostrarum pérsequi imperiúm patris?
Pa. Pérsequimur: nam, quó dedisti núptum, abire núlumus.
An. Béne valete: ibo átque amicis vóstra consilia éloquar.
Pi. Próbiores, credo, árbitrabunt, sí probis narráveris.
An. Cúrate igitur fámiliarem rem, út potestis, óptume.
Pa. Núnc places, quum récte monstras: núnc tibi auscultábimus.
Núnc, soror, abeámus intro. *Pi.* Imo íntervisam príus domum.
Si á viro tibi fórte veniet núntius, facito út sciam.
Pa. Néque ego te celábo, neque tu mé celassis, quód scies.
Ého, Crocotium, í, parasitum Gélasimum huc accérsito;
Técum adduce: nam íllum ecastor míttere ad portúm volo,
Sí quae forte ex Ásia navis héri aut hodie vénerit.
Nám dies totós apud portum sérvos unus ádsidet;
Séd tamen volo íntervisi. Própera, atque actutúm redi.

---

67. Vett. Ven. *Quae tum quum*. Nostr. vulg. et Pall.

78. *Vosne* monosyllabum. *latrones* Plauto sunt homines militares, mercede conducti. Cf. Mil. 1, 1, 76.

81. Sensus: Nonne potius meliora inibitis matrimonia, postquam ex pessimis abieritis?

88. His dictis, abit Antipho. — In his autem, quae dixit vir bonus et hilaris, nemini puto obscurum esse multa inesse incongrua et male convenientia. Primum enim fingit se iratum, nec innuit, quare. Deinde tentat filias de virtute muliebri, cuius in fine tentationis adiicit versum quam maxime ieiunum, 69. *Edepol vos lepide tentavi, vestrumque ingenium ingeni*. Iam (v. 70) ait, se velle filias abducere. Quas quum non possit ad illud compellere, hortatur eas, uti recte domum curare pergant, pacatissimusque abit. Patet, omnia inepte et incongrue. Certe Plautina ea non videntur. Similiter et Gelasimi missio, quae statim sequitur.

90. *domum* sc. meam peculiarem.

93. Sic vett. At vulg. et Ven. *arcessito*.

95. *si quae* i. e. q. an quae.

97. Vulg. et vett. *Prop. ac act*. In Ven. et Pall. deest *ac*. Nostr. Both.

ACTUS II. SCENA I.

GELASIMUS. CROCOTIUM.

Ge. Famém fuisse súspicor matrém mihi:
Nam póstquam natus súm, satur nunquám fui;
Neque quísquam melius réferet matri grátiam,
Quam égo matri meae réfero invitíssumus:
Nam ílla me in alvo ménses gestavít decem;
At égo illam in alvo gésto plus annós decem.
Atque ílla puerum mé gestavit párvolum,
Quo mínus laboris íllam cepisse exístumo;
At égo non pauxillam in utero gestó famem,
Verum hércle multo máxumam et gravíssumam.
Uterí dolores mihi óriuntur quotídie;
Sed mátrem parere néqueo; nescio, quómodo.
Audívi saepe hoc vólgo *** dícier,
Solére elephantum grávidam perpetuós decem
Esse ánnos. Eius ex sémine haec certo ést fames:
Nam iám complures ánnos utero haerét meo.
Nunc sí ridiculum hóminem quaeret quíspiam;
Venális ego sum cum órnamentis ómnibus:
Inánimentis éxplementum quaérito.
Gelásimo nomen mi índidit parvó pater,
Quia inde iam á pauxillo púero ridiculús fui.
Propter paúpertatem hoc ádeo nomen réperi
Eo, quía paupertas fécit, ridiculús forem:
Nam illa ómnes artes pérdocet, ubi quem áttigit.
Per annónam caram díxit me natúm pater:
Proptérea, credo, núnc esuriod ácrius.
Sed géneri nostro haec réddita est benígnitas:

Act. II. Sc. I. Eloquitur Gelasimus famem suam ac miseriam. Adit eum Crocotium, iubetque ad Panegyrin venire. Quo facto Crocotium domum abit, Gelasimus restat adhuc paullulum.

2. *Postquam* i. e. q. Ex quo. Cf. vs. 111.

3, 4. Hi versus in vulg. sic habent: *Quam ego matri meae retuli invitissimus, Eam mihi nunquam retulit mater gratiam.* In vett. sic: *Sed quam ego matri meae refero invitissimus, Ea mihi n. retulit m. gr.* Veneta sic: *Quam ego matri meo refero invitissimus, quam neque retulit Ego refero meae matri fami gratiam.* Patet excidisse versum tertium, quem sic, uti dedimus, Angelus Mai in codice Ambr. invenit, et ad quem apodosin facit prior edit. versus: *Quam ego* etc. alterum autem: *Eam mihi* etc. consarcinatum esse ex iis, quae in Veneta adiecta sunt. Ceterum ex Veneta *refero* legendum duco, idque non elidendum. Pall. *Neque retulit quam ego meae Matri Fami.*

9. Edd. *non pauxillulam.*

11. Edd. *oboriuntur.*

13. Fortasse: *Audivi saepe numero hoc v. d.* Both. *dictitarier.* Lambinus: *dictum dicier.* Alii: *a multis dicier.*

17. *ridiculum*, facetum, quales esse oportebat parasitos; delicatum, ut alibi, Mil. 4, 1, 37. Rud. 2, 5, 8.

19. Sensus: Quaero ego, qui ventrem inanem expleam. Nam *inanimentis* refertur ad *ornamentis.*

21. *Quia* in totum elidendum. *inde* ut monosyllabum legendum, ut Amph. 1, 1, 4. Aul. 2, 7, 4. — *ridiculus* est, qui facetias dicit. Cf. Asin. 2, 2, 64.

22. *Propter* contractim aut correptim proferto. Nam vett. et Ven. legunt *hoc adeo*, ut et Pall. non *adeo hoc*, ut vulg. habet.

25. *per annonam caram*, i. e. in caritate annonae.

Nullí negare sóleo, si quis mé vocat.
Orátio una intériit hominum péssume,
Atque óptuma hercle, méo animo, et scitíssuma,
Qua ante útebantur: „Véni illo ad coenam! síc face!
Promítte vero! né gravare: est cómmodum.
Volo, ínquam, fieri: nón amittam, quín eas."
Nunc répererunt éi verbo vicárium
Nihilí quidem hercle vérbum ac vilíssumum:
„Vocém te ad coenam, nísi egomet coeném foris."
Ei hércle ego verbo lúmbos defractós velim,
Ni vére perierít, si coenassít domi.
Haec vérba subigunt méd, ut mores bárbaros
Discam, átque ut faciam praéconis compéndium,
Itaque aúctionem praédicem, ipse ut véneam.
Cr. Hic ille ést parasitus, quem árcessitum míssa sum.
Quae lóquitur, auscultábo, priusquam cólloquar.
Ge. Sed cúriosi súnt hic quampluréś mali,
Aliénas res qui cúrant studio máxumo,
Quibus ípsis nulla est rés, quam procurént, sua.
Ei, quándo quem auctiónem facturúm sciunt,
Adeúnt, perquirunt, quíd siet causae, ílico:
Aliénum aes cogat, án pararit praédium;
Uxórin' sit reddénda dos divórtio.
Eos ómnes, tametsi hercle haúd indignos iúdico,
Qui, ut múltum miseri sínt, laborent, nil moror:
Dicam aúctionis caúsam, ut animo gaúdeant:
Nam cúriosus némo est, quin sit málevolus.
Ipse égomet quamobrem aúctionem praédicem,
Damna évenerunt máxuma miseró mihi:
Ita mé mancupia míserum adfecerúnt male —
Potátiones plúrimae demórtuae.
Quot ádeo coenae, quás deflevi, mórtuae!
Quot pótiones múlsi! quot autem prándia,
Quae intér continuum pérdidi triénnium!
Prae moérore adeo míser atque aegritúdine
Consénui; pene súm famed emórtuus.

27. *reddita*, quasi innata, propria.

28. Vulg. Ven. Pall. *si quis esum me vocat.* Vett. *si quis me esum vocat.* Hinc *esum* duco eiiciendum.

38. Sic vett. Pall. et vulg. — Ven. *Ni ve repleuerit si c. d.* Constructio: Nisi perierit, si vere domi coenaverit, h. e. nisi hac conditione, ut perierit, si vere domi coenarit. Coenabit enim domi, certo scio. Fortasse tamen subest similis locutio cum Cas. prol. 75.

39. *mores barbaros* i. e. Romanos, *discam* i. e. imiter, videlicet auctionem mei ipsius instituendo. Ven. *ut mores barbaros.* Vett. et vulg. et Pall. *mores ut barbaros.*

49. *cogat* sc. eum auctionem facere. Porro omnes: *prandium*, ex quo olim iam alii fecere *praedium;* quod accipiendum duco.

52. *laborent*, h. e. qui longius etiam inquirendo laborent. — *nil moror*, h. e. nolo tamen longius causae ignaros esse pati.

57. *mancupia* sc. demortua, videlicet potationes, quae mihi non evenere.

60. Luculentum hoc exemplum correpti *autem* ab initio. Cf. et Amph. prol. 36. Merc. 2, 3, 83. Mil. 3, 1, 83. Pers. 5, 1, 11.

Cr. Ridículus aeque núllus est, quando ésurit.
Ge. Nunc aúctionem fácere decretúm est mihi:
Forás necessum est, quídquid habeo, véndere.
Adéste, sultis! praéda erit praeséntium.
Logós ridiculos véndo. Age, licémini.
Qui coéna poscit? écqui poscit prándio?
Herculés te amabit prándio, coená, cibo.
Ehem, ádnuistin'? Némo meliorés dabit;
Nullí meliores ésse parasitó sinam.
Vel únctiones graécas sudatórias
Vendó, vel alias málacas crapulárias;
Cavillátiones; ádsentatiúnculas
Ac périuratiúnculas parasíticas;
Robíginosam strígilem; ampullam rúbidam;
Parasítum inanem, quó recondas réliquias.
Haec véniisse iám opus est, quantúm potest:
Ut décumam partem Hérculi pollúceam.
Cr. Ecástor auctiónem haud magní preti!
Adhaésit homini ad ínfimum ventrém fames.
Adíbo hominem. *Ge.* Quis haéc est, quae advorsum ít mihi.
Epignómi ancilla haéc quidem est Crocótium.
Cr. Gelásime, salve. *Ge.* Nón id est nomén mihi.
Cr. Certó mecastor íd fuit nomén tibi.
Ge. Fuit disertim; vérum id usu pérdidi;
Nunc Míccotrogus nómine ex veró vocor.
Cr. Heu, ecástor, risi te hódie. *Ge.* Quando, aut quo ín loco?
Cr. Hic, quum aúctionem praédicabas. *Ge.* Péssuma!
Ehon' aúdivisti? *Cr.* Té quidem digníssumam.
Ge. Quo núnc is? *Cr.* Ad te. *Ge.* Quíd venis? *Cr.* Panégyris
Rogáre iussit té nunc opere máxumo,

64. Vett. *quam quando esurit.* Ven. *nullus, quando esurit.* Possit ita: *Ridiculus aeque nullus est, quam hic quando esurit.* Sic *nullus* monosyllabum Amph. 1, 1, 140. Bacch. 1, 1, 57. Sed nostr. Pall.

68. Sic Ven. et Pall. — Vulg. vett. *agite.* — *Logi* sunt dicta, facetiae. Pers. 3, 1, 66.

69. Sensus: Quis me vocat ad coenam aut ad prandium? Quis me emet coena aut prandio, aut loges meos?

70. Hercules tibi faveat, si me ad coenam invitaveris. Pro *cibo*, quod dedit Bothius, omnes: *tibi.*

72. Ven. *Nullus mel. e. parasitos s.* Vett. et vulg. *Nullis m. e. parasitos s.* Nostr. Both. ex Dousa. Ad *meliores* supple *loges.*

73. Haec corrupta in edd. leguntur. Veneta: *Vel unctiones gr. sud. vel alias malacas ampullarias cavillationes assentatiunculas* etc. Vett. et Pall. v.

74. *Vel alias malis* (i. mavelis) *malacas ampullarias.* Vulg. *Vel alias malacas crapularias.* Both. *Vendo, vel al. mal. crapularias*, ex cod. Ambros.

77. *rubidam.* Cf. Cas. 2, 5, 2. Descendit a v. *rubere* et pariter fortasse producitur ac *rubigo*, sive *robigo* et praecedens *robiginosus.*

78. Denique totum parasitum, cuius in ventre coenarum reliquias condere possis.

79. *quantum potest*, h. e. quam citissime. Cf. 95.

80. Hercules enim decimam praedae partem ferebat. Cf. ad Bacch. 4, 3, 29. *Pollucendi* autem verbum in eius maxime sacris adhibebatur.

88. Ven. et Dec. *micotrogus.* Vett. *microtrogus.* Nostr. vulg. et μικκὸς i. q. μικρός. Significat hominem exigui cibi.

93. Vulg. Pall. *Rogare iussit te*

Mecúm simitu ut íres ad sesé domum.
Ge. Ego íllo mehercle véro eo, quantúm potest.
Iamne éxta cocta súnt? quot agnis fécerat?
Cr. Illá quidem nullum sácruficavit. *Ge.* Quómodo?
Quid ígitur me volt? *Cr.* Trítici modiós decem
Rogáre, opinor, té volt. *Ge.* Mene? ab se út petam?
Cr. Imo hércle, ut abs te mútuom nobís dares.
Ge. Negat ésse, quod dem, míhi, nec mu, nec mútuom,
Neque áliud quidquam, nísi hoc, quod habeo, pállium;
Linguám quoque etiam mihi ésse venditáriam.
Cr. Hau, núlla tibi lingua ést, quae quidem dicát: dabo?
Ge. Veterém reliqui; eccíllam, quae dicát: cedo.
Cr. Malúm tibi di dent! *Ge.* Haéc eadem dicít tibi.
Cr. Quid núnc? iturus, án non? *Ge.* Abi sané domum:
Iam illó venturum dícito. Propera átque abi.
Demíror, quid illaec me ád se arcessi iússerit,
Quae núnquam iussit me ád se arcéssi ante húnc diem,
Postquám vir abiit éius. Miror, quíd siet;
Nisi, út periclum fíat, visam, quíd velit.
Sed éccum Dinacium, éius puerum! Hóc vide!

opere maximo. Vett. *Rog. iuss. te multo op. max.* Ven. *Rog. i. te ut opere m. mecum simitu ut ires ad s. d.* Ego pro *ut* priori dedi *nunc*, saepe illud vel omissum vel abundans.

94. *simitu* brevem habet mediam. Ne igitur elidatur.

96. *fecerat*, sc. sacrificium.

99. Edd. *ut ab se p.*

100. *Hercle* abest ab vett. et Ven. legitur in vulg. Non autem solent mulieres per Herculem iurare.

101. Pall. *Negato esse quod dem nec mihi nec mutuum.* Vulg. *Negato esse, quod dem, neo mu, nec mutuum.* In qua lectione tamen incommoditas est scansionis. Praeterea negandi verbum plerumque valde correptim pronunciatur. Atque conferendus videtur locus Asin. II, 4, 46 ubi *Negat esse intus*, sollemni ac proverbiali locutione, i. e. q. *Non est intus.* Similiterque Bacch. IV, 1, 20. *Non it: negat esse ituram: abi et renuntia*, ubi similiter libri habent *negato*, dubio procul ad illum in Asinaria locum, ex Acidalii etiam sententia, corrigendum. Atque ad *negat* in istae dictione supplendum videtur *servus*. Nimirum servus negat esse aliquem intus, servus negat esse aliquam ituram, videlicet roganti ad portam, an sit intus, an sit itura. Quod responsum cum deferebatur ad eum, qui rogatum miserat, dicebant: *negat esse intus*, credibileque est, eam dictionem ita tritam fuisse apud Romanos, ut v. c. *negat esse intus* dein diei etiam potuerit pro: non est intus. Atque sic h. l. fortasse legendum: *Negat esse, quod dem, mihi nec mu, nec mutuum.* — Ceterum Both. *Nega esse, quod dem, nunc mihi nec mutuum, Nec* etc. In vulg. lect. non elidendum foret *Negato*, deinde v. *esse* tamquam monosyllabum enunciandum, uti saepissime.

103. Verba *mihi esse* desunt in vulg. et Ven. — Vett. *mihi etiam esse.*

104. *Dabo* verbum obscenum de paedicatione, et omnino de re Veneria. Cf. ad Cas. 2, 6, 10 et Ov. de A. am. I, 456.

106. *Haec* sc. lingua.

113. *Dinacium.* Sic nomen pueri editiones omnes exhibent, itemque legitur in plerisque locis, ubi occurrit, in codd. mptis. Vetus tamen cod. Camerarii hic non *Dinacium* habet nec *Pinacium*, sed *piacium;* at II, 3, 10 in fine versus Decurtatus *Pinacium.* Hinc Bothius et hic et per omnem fabulam pueri nomen dedit *Pinacium*, ideo quod *Dinacium* non conveniat metro II, 3, 10. Atqui idem reliquit Act. I. Sc. I. nomen alterius filiarum Antiphonis *Pinacium*, quum tamen non sit credibile, duas personas in eadem fabula eodem nomine fuisse appellatas. Oportebat profecto aut hic intactum relinqui *Dinacium*, aut illic pro *Pinacium* scribi SOROR; quemadmodum sane res suadere videtur. Nusquam enim fieri videmus ut honesta mulier matrona gerat nomen diminutivum in — *ium.* Neque vero in omni fabula

Satin' út facete, átque ex pictura ádstitit?
Nae iste édepol vinum póculo pauxíllulo
Saepe éxantlavit súbmerum scitíssume!

ACTUS II. SCENA II.

DINACIUM. GELASIMUS.

Di. Mercúrius, Iovis qui núntius perhibétur, nunquam aequé patri
Suo núntium lepidum áttulit, quam égo nunc meae herae núntiabo.
Ítaque onustum péctus porto laétitia lubéntiaque,
Néque lubet, nisi glóriose, quídquam proloquí. Profecto
Amoénitates ómnium venerum átque venustatum ádfero,
Ripísque superat mi átque abundat péctus laetitiá meum.
Proptérea, Dinaciúm, pedes hortáre! honesta dícta factis!
Nunc tíbi potestas ádipiscendi est glóriam, laudém, decus:
Heraéque egenti súbveni: benefácta maiorúm tuùm exauge;
Quae mísera exspectátione est Épignomi adventús viri.
Proinde, út decet, amat vírum suum cupidé. Nunc, Dinacium, éxpedi!
Age, út placet! curre, út lubet! cave quémquam flocciféceris!
Cubitís depulsa dé via! tranquíllam concinná viam!
Si réx obstabit óbviam, regem ípsum prius pervórtito!
Ge. Quidnám dicam Dinácium tam lascívibundum cúrrere?

nostra in textu illa altera soror eo nomine appellatur. Unde credi potest, servile illud nomen meretricium nonnisi per errorem ad illam alteram Antiphonis filiam devenisse. De prosodia nominis pueri, sive *Dinacium*, sive *Pinacium* scribatur; consulendi sunt loci: II, 2, 7. 11. II, 3, 8. quibus ex locis necessario aut proceleusmaticus erit, aut paeon primus iudicandus. At II, 3, 10, ubi legitur in fine versus, videtur suadere proceleusmaticum. Contra II, 2, 7 et 11 paeonem. *Dinacium* autem non potest esse proceleusmaticus, quia descendit a *δῖνος*, volubilitatem significans, uti saltem existimatur. — Nos mutare nihil quidquam voluimus. Ceterum si quid emendandum sit, arbitramur *Dinacium* nomen esse concedendum puero, filiam autem illam alteram Antiphonis ignominem relinquendam et SORORis tantum appellatione inducendam; illic autem II, 3, 10, posse obtinere choriambum, praesertim in nomine, quoniam in nominibus peculiaria multa reperiuntur.

114. *Satin ut* i. e. q. Nonne? Cf. Pers. 4, 4, 107. Mil. 4, 3, 41.

Act. II. Sc. II. Advenit ex portu Dinacium cum instrumentis piscatoriis, nunciatum herae adventum viri. Ergo post luculentum canticum, in quo magnifice de se gloriatur sibique locum dari iubet ad currendum, fores pultat, locatur cum Gelasimo. — De nomine Dinacii cf. quae diximus supra ad II, 1, 113.

5. Vulg. et vett. *atque venust.* Ven. *et ven.* Atque v. *venustatum* contractim legendum, ut duae priores syllabae coalescant; uti Mil. 3, 1, 62.

7. *honesta*, imperativo, ab *honestare*, i. q. *orna.* — Bothius transposuit inter se versus 7 et 8.

9. Sic vulg. Pall. Ven. — Sed Vett. *Egenti herae subveni.* Fortasse alterum hemistichium ex versu 30 huc adiectum. Possit legi: *Benefacta maiorum tuorum exauge, heraeque subveni.* Ex nostra scriptura *tuûm* (pro *tuorum* quod omnes referunt) totum foret elidendum. Dictio saepe obvia. Cf. Pers. 1, 2, 1. 3. Vid. et Trin. III, 2, 30. 49.

11. Edd. *nunc expedi, Dinacium.* Transposuit Both.

13. *concinna*, i. e. fac, redde. Amph. 2, 2, 104.

15. Vulg. *Quidnam dicam Dinacium Lascivibundum tam lubenter currere?* duobus versibus, uti et vett. et Veneta, quae tamen uno versu. At primum ieiunum *tam lubenter*; deinde *Di-*

Arúndinem fert, spórtulamque, et hámulum piscárium.
Di. Sed tándem, opinor, aéquiust, herúm mihi esse súpplicem,
Atque óratores míttere ad me, dónaque ex auro, ét quadrigas,
Quí vehar: nam pédibus ire nón queo. Ergo iám revortar.
Ád med iri et súpplicari égomet mi aequom cénseo. —
An véro nugas cénseas? nihil ésse, quod ego núnc scio? —
Tantum á portu adportó bonum, tam gaúdium grande ádfero:
Vix ípsa domina hoc, nísi sciat, exóptare a dis aúdeat.
Nunc últro hoc deportem? Haúd placet, neque íd vero officium árbitror;
Hic hóc videtur míhi magis meo cónvenire huic núntio,
Advórsum ut veniat, óbsecret, se ut núntio hoc impértiam.
Secúndas fortunás decent supérbiae.
Sed tándem, quum recógito, qui pótuit scire, haec scíre me?
Nón enim possum quín revortar, quín loquar, quin édissertem,
Herámque ex moerore éximam, benefácta maiorúm meum
Exaúgeam, atque illam aúgeam insperáto, opportunó bono.
Contúndam facta Tálthybi, contémnamque omnes núntios:
Simúlque ad cursurám meditabor me ád ludos Olýmpiae.
Sed spátium hoc occidít; breve est curriculo. Quam me poénitet!
Quid hóc? Occlusam iánuam video. Íbo et pultabó foris.
Aperíte atque approperáte! fores
Facite út pateant! removéte moram!
Nimis haéc res sine curá geritur:
Vide, quámdudum hic adsto ét pulto!
Somnón' operam datis? Éxperiar,
Fores án cubiti an pedes plús valeant.
Nimis véllem hae fores herum fúgissent:
Ea caúsa ut haberent málum magnum.
Deféssus sum pultándo:
Hoc ést postremum vóbis!

nacium nusquam *a* producta legitur. Ergo abiiciendum illud *lubenter*, transponendum autem *tam*, uti fecimus. Ita unus existit tetrameter, satis, ut opinor, bonus.

19. *revortar*, nec ad fores ipse accedam.

21. An vero tu, spectator aliquis, existimas, me nihil, me nugas adportare iam?

22. Edd. *affero grande.*

25. Omnes *Hic hoc.* Both. *Hoc*, *hoc.*

31. *bono.* Sic Both. ex Guil. — Edd. *modo.* Pall. *ex insperato opp. modo.*

32. Sensus: superabo meis factis facta Talthybii, Graecorum praeconis. Is enim et Eurybates ab Homero celebrantur.

33. *meditabor me*, me exercebo.

34. Sic omnes. Nimirum dixerat, se velle magnam cursuram instituere. Instituerat igitur, et citius ad portam venerat, quam voluerat. Ait ergo, spatium illud iam occidisse et nimis breve esse ad curriculum. Quare se dolere, quod non longius currere potuerit.

38. *haec res*, i. e. omnis disciplina domestica.

39. Ven. et vett. *quam dudum hic aedes pulto.* Nostr. vulg. — Pall. *asto es pulto.*

42. *herum fugissent*, sc. tamquam fugitivi servi.

43. *malum*, i. e. poenam. Addendum fuit necessario *magnum*, versus gratia, quod tamen nuspiam legitur.

44 — 56. Versus sunt anapaestici catal. praeter 50. 51. qui sunt acatalecti. Eiusdem generis pluribus locis apud Graecos obvii, ut Soph. Electr. 88. 89. 193. sq. 213. 221. [illegible] — 5. Eurip. Iph. Taur. 133. 221. 224. Troad. 214. 220. Aeschyl. Pers. 935. 944. 979. sqq. 965. sq.

Ge. Ibo átque hunc compellábo.
Salvós sis. *Di.* Et tu sálve.
Ge. Iam tú piscator fáctus?
Di. Quamprídem non edísti?
Ge. Unde is? quid fers? quid féstinas?
Di. Tua quód nil refert, né cures.
[*Ge.* Quid istúc est? *Di.* Quas tu edés colubras.]
Ge. Quid tam íracundus? *Di.* Si ín te
Pudor ádsit, non me appélles.
Ge. Possúm scire ex te vérum?
Di. Potes: hódie non coenábis.

ACTUS II. SCENA III.

PENEGYRIS. GELASIMUS. DINACIUM.

Pa. Quisnam, óbsecro, has frangit foris? ubi ést?
Tun' haéc facis? tun' mi húc hostis venís?
Ge. Sálve. Tuo arcessítu venio húc. *Pa.* Ean' gratia fóris effringis?
Ge. Túos inclama: túi delinquunt. Égo, quid me vellés, visebam,
Nám equidem harum mé miserebat. *Di.* Érgo auxilium própere latum est.
[*Pa.* Quisnam hic loquitur tam prope nos? *Di.* Dinacium. *Pa.* Ubi is est? *Di.*]
Réspice me et relínque egentem párasitum, Panégyris.
Pa. Dinacium .... *Di.* Istuc índidere nómen maiorés mihi.
Pa. Quíd agis? *Di.* Quid agam, rógitas? *Pa.* Quidni rógitem? *Di.* Quid mecum ést tibi?
Pa. Méin' fastidis, própudiose? Elóquere, propere, Dínacium!
Di. Iúbe me omittere ígitur hos, qui rétinent. *Pa.* Qui retinént? *Di.* Rogas?
Ómnia membra lássitudo mihi tenet .... *Pa.* Linguám quidem
Sát scio tibi nón tenere. *Di.* Ita céleri curriculó fui

52. Hunc versum spurium existimo. Ceterum vulg. *Quid istic inest? Di. Quas tu vides colubras.* Pall. *q istinc est.* V. C. *qua tui der colubras.* At Dec. *quas tu vides col.* Ven. *Quid istic est?* D. *Quas tu vides c.* Vett. ut vulg. Nostr. ex emendatione Hermanni.

Act. II. Sc. III. Nunciat herae Dinacium, virum advenisse cum mercibus multis et tibicinis fidicinisque et etiam parasitis. Introeunt ergo, ut sacra apparent. Gelasimus autem tristis ad se abit, quo se logis instruat, quibus expellat illos rivales suos.

2. Tune. Intellige Gelasimum. Non enim videt Dinacium, qui forte pone fores adstat, quae versus plateam aperiebantur. Panegyris autem prodire cogitanda est.

3. *gratia* aperte hic ut disyllabum enunciandum.

5. Vulg. *Nam equidem harum miserebar.* Vett. et Ven. *Nam e. h. miserebat.* In fine addunt vett. *eis.* Ego addidi *me.* — *harum* referri potest et ad fores et ad sorores, adfectata quadam, ut videtur, amphibolia. — *Ergo* etc. Dinacium praec. *harum* non ad fores, uti Gelasimus, refert, sed ad ipsas sorores, atque iis auxilium latum esse adventu virorum.

6. Hunc versum spurium arbitror.

10. *propudiose* i. e. q. impudens.

13. Sic Pall. et vulg. — Vett. *Ita*

Própere a portu, túi honoris caúsa. *Pa.* Ecquid adportás boni?
Di. Nímio impartior múlto tanto plús, quam speras. *Pa.* Sálva sum!
Di. Át ego perii, quói medullam lássitudo pérbibit!
Ge. Quíd ego, quoi miseró medullam véntris percepít fames?
Pa. Écquem convenísti? *Di.* Multos. *Pa.* Át virum ecquem? *Di.* Plúrimos;
Vérum ex multis néquiorem núllum, quam hic est. *Ge.* Quómodo?
Iámdudum ego ístum patior dícere iniusté mihi.
Praéterhac si me ínritassis ...! *Di.* Édepol esuriés male.
Ge. Ánimum inducam, ut, ístuc verum té locutum esse, árbitrer.
Di. Múnditias volo fíeri: efferte huc scópas, simulque arúndinem:
Út operam omnem aránearum pérdam et texturam ímprobem,
Déiiciamque earum ómnes telas. *Ge.* Míserae algebunt póstea.
Di. Quíd? illas itidem ésse censes, quási te, cum veste única?
Cápe illas scopas! *Ge.* Cápiam. *Di.* Hoc egomet, tu hóc converre! *Ge.* Fécero.
Di. Écquis huc effert násiternam cúm aqua. *Ge.* Sine suffrágio
Pópuli tamen aedílitatem hic quídem gerit. *Di.* Age tu, ócius
Pínge humum! conspérge ante aedis! *Ge.* Fáciam. *Di.* Factum opórtuit.
Égo hinc araneás de foribus déiiciam, et de páriete.
Ge. Édepol rem negótiosam! *Pa.* Quíd sit, nil etiám scio,
Nísi forte hospités venturi súnt. *Di.* Vos lectos stérnite!
Ge. Príncipium placét de lectis. *Di.* Álii ligna caédite;
Álii pisces dépurgate, quós piscator áttulit!
Pérnam et glandiúm deiicite! *Ge.* Hic hércle homo nimiúm sapit.
Pa. Nón ecastor, út ego opinor, sátis herae morém geris.
Di. Ímo res omnés relictas hábeo, prae quod tú velis.
Pa. Túm tu igitur, qua caúsa missus és ad portum, mihi éxpedi.
Di. Dícam. Postquam mé misisti ad pórtum cum lucí simul,
Cómmodum radiósus ecce Sól superabat éx mari.
Dúm percontor pórtitores, écquae navis vénerit
Éx Asia; negánt venisse: cónspicatus sum ínterim
Cércurum, quo ego mé maiorem nón vidisse cénseo.
Ín portum ventó secundo, vélo passo pérvenit.
Álius alium pércontamur: quóia est navis? quíd vehit?
Ínterim Epignomúm conspicio, túum virum, et servóm Stichum.

celeri ivi curriculo. Ven. *Ita celeri curriculo ivi.*

15. *multo tanto plus.* Sic vett. et Both. — Ven. et vulg. et Pall. *multo tanta plus.*

20. Ne elide *ego* utrinque.

24. *improbem* vulg. et V. C. et Bothius. *araneorum* et vs. seq. *eorum* habet Both. cum Pall. et Ven. — Vulg. et vett. *aranearum* — *earum.* V. 31. Cf. As. 2, 4, 19.

27. *converre* sc. humi quod iacet delectum modo araneorum opus, pulveremque etc.

30. Lambinus mallt: *Tinge humum.* Ceterum ad *Pinge* subintelligunt: *floribus.* At potius *aqua*, saltem ad *consperge.* — *Factum* sc. iam esse.

33. Addidi *Vos*, quod deest in edd. et II. Vide seq. *alii.*

36. *deiicite*, cito depromite.

41. *commodum*, eo ipso temporis momento.

Pa. Hém, quid? Epignomum élocutus? *Ge.* Túum virum, et
vitám meam!
Di. Vénit, inquam. *Pa.* Tún' eum ipsum vídisti? *Di.* Ita: égo
lubens.
Árgenti auríque advexit múltum .... *Pa.* Nímis factúm bene!
Ge. Hércle vero cápiam scopas, átque hoc converrám lubens.
Di. Lánam purpurámque multam .... *Ge.* Hém, qui ventrem
véstiam?
Di. Léctos eburatós, auratos .... *Ge.* Ádcubabo régie!
Di. Túm Babylonicá peristromata, cónchyliata tapétia.
Ádvexit nimiúm bonae rei. *Ge.* Hércle rem gestám bene!
Di. Póst, ut occepí narrare, fídicinas, tíbícinas,
Sámbucinas advéxit secum fórma eximia. *Ge.* Eúgepae!
Quándo adbibero, adludiabo. Túm sum ridiculíssumus.
Di. Póstea unguenta múltigenerum múlta. *Ge.* Non vendó logos.
Iám non faciam aúctionem: mi óbtigit heréditas.
Málevoli perquísitores aúctionum péricrint!
Hércules, decumam ésse adauctam, tíbi quam vovi, grátulor.
Di. Póst autem advexít secum parasítos .... *Ge.* Hei, períi miser!
Di. Rídiculissumós. *Ge.* Reverram hercle hóc, quod converrí
modo.
Pa. Vídistin' virúm sororis, Pámphilippum? *Di.* Nón.
Pa. Adest?
Di. Ímo aiebant éum venisse símitu; sed ego húc citus
Praécucurri, ut núntiarem núntium exoptábilem.
Ge. Vénales logí sunt illi, quós negabam véndere;
Íllico, et meó malo est quod málevolentes gaúdeant.
Hércules, sané, qui deus sis, díscessisses nón male!
Pa. I íntro, Dinacium: iube famulos rém divinam mi ádparent. —
Béne vale. *Ge.* Vin ádministrem? *Pa.* Sát servorum habeó domi.
Ge. Énimvero, Gelásime, opinor, próvenisti fútile,
Sí neque ille adést, neque hic, qui vénit, quidquam súbvenit.

48. *elocutus sc. es.* An recte audivi, te Epignomum elocutum esse?

54. Pro *conchyliata* Veneta cum Decurt. habet *sella et.* vulg. autem et vett. *consutaque.* Nostrum Both. Sunt autem purpurei coloris tapetia.

57. [illegible] *Sambucinas.* Both. ex edd. ant. S[illegible]. Puto illud contractim enuncian[illegible] Sunt autem sambucinae, qui ca[illegible] [illegible]mbucâ, ut *sambucistria* Liv. [illegible], 6.

58. *adludiabo*, locabor cum illis. Poen. V, 4, 78.

59. *multigenerum*, i. e. multorum generum, ut *multimodis* pro *multis modis.* Sic omnes. Both. *multigenera.*

60. *faciam.* Sic Veneta. Vett. et vulg. *facio.*

61. *perquisitores*, videlicet iidem, quos supra dixit *curiosos.*

62. *quam vovi.* Cf. II, 1, 80 ubi ait: *Ut decumam partem Herculi polluceam.* Sensus: Gratulor tibi, Hercules; nam maiorem etiam nunc feres decimam ea quam ante tibi vovi.

68—70. Hos tres versus Both. post vs. 64 collocatos habet. Nos a vulg. hic recedere noluimus.

70. *Hercules* etc. Sensus: Hercules, tu, si optatum mihi evenisset, haud male discessisses a me donatus, *qui deus sis*, h. e. pro deo, prout deus es.

72. *Bene vale.* Haec ad Gelasimum.

73. *provenisti futile*, factus es futile, quod erat vas fundo perparvo aut plane rotundo, ut stare non posset, et ubi collocabatur, statim aquam effunderet, adhiberi solitum in sacris Vestae, uti tradunt Lactantius, Donatus, Servius.

Íbo intro ad librós, et discam dé dictis melióribus:
Nám ni illos hominés expello, ego óccidi planíssume.

ACTUS III. SCENA I.

EPIGNOMUS. STICHUS.

Ep. Quum béne re gesta sálvos convortór domum,
Neptúno grates hábeo et tempestátibus;
Simúl Mercurio, quí me in mercimóniis
Iuvít lucrisque quádruplicavit rém meam.
Olím quos abiens ádfeci aegrimónia,
Eos núnc laetantes fáciam adventú meo.
Nam iam Ántiphonem cónveni adfiném meum,
Cumque éo reveni ex ínimicitia in grátiam.
Vidéte, quaeso, quíd potest pecúnia!
Quoniám re bene gestá redisse mé videt
Magnásque adportavísse divitiás domum:
Sine ádvocatis íbidem in cercuro, in stega,
In amícitiam atque in grátiam convórtimus,
Et is hódie apud me coénat, et fratér meus:
Nam heri ámbo in uno pórtu fuimus; séd mea
Hodié soluta est návis aliquantó prius.
Age, abdúc has intro, quás mecum adduxí, Stiche.
St. Here, síve ego taceam, seú loquar: scio, scíre te,
Quam múltas tecum míserias multáverim;
Nunc húnc diem unum ex íllis multis míseriis
Volo mé eleutheriam cápere advenientém domum.
Ep. Et iús et aequom póstulas: sumás, Stiche,
In húnc diem; te níl moror; abi, quó lubet.
Cadúm tibi veteris víni propinó. *St.* Papae,
Ducam hódie amicam! *Ep.* Vél decem, dum dé tuo.
Ubi coénas hodie, sí hanc rationem ínstituis?
St. Amícam ego habeo Stéphanium hinc ex próxumo,
Tui frátris ancillam; éo condixi, in sýmbolam
Ad coénam ad eius consérvom Sagarinúm Syrum.

Act. III. Sc. I. Epignomus se in gratiam cum Antiphone redisse narrat. Stichus eum rogat libertatem in hunc diem, ut cum amasia sua et amico hilariter degat. Quo concesso introit Epignomus. Stichus cum puellis, quas adduxerat Epignomus, per posticum item abit.

14. Vett. Pall. Ven. *Et sic hod.* Vulg. *Et hic.* Puto leg. *Et is.* Nisi potius: *Is hic hodie.*

17. *has*, tibicinas, fidicinas. V. 2, 2, 56.

19. Vett. et Ven. *Quas multas.* Nostr. vulg. et Both. et Pall. — *multaverim.* alliteratione ad v. *multas* facta. *multare* autem antiquitus fuisse credunt i. q. numerare, multiplicare; item: augere, et in licitatione i. q. Gr. πλειστηριάζεσθαι.

20. *ex miseriis* i. e. q. post illas miserias. Nunc post exantlatas miserias illas volo ut liceat mihi in hunc usum diem libertate frui, quoniam domum redimus.

22. *sumas*, solemnis dictio de libertate sibi ad tempus sumta. Cf. Rud. 4, 8, 9 de die sumto ad hilaritudinem Pseud. 5, 1, 27. Ter. Phorm. 5, 5, 4.

25. *de tuo* sc. peculio.

26. *instituis.* Pall. *instit* .....

Eadem ést amica ambóbus; rivalés sumus.
Ep. Age, abdúc eas intro. Húnc tibi dedó diem.
St. Meam cúlpam habeto, nísi probe exeruciávero.
Iam hercle égo per hortum ad amícam transibó meam,
Mi hanc óccupatum nóctem; eádem sýmbolam
Dabo, ét iubebo ad Ságarinum coenám coqui,
Aut égomet ibo atque ópsonabo opsónium.
Atque, íd ne vos mirémini, homines sérvolos
Potáre, amare atque ád coenam condícere:
Lícet hóc Athenis nóbis. Sed, quom cógito:
Potiús quam in dividiam véniam, est etiam hic óstium
Aliúd posticum nóstrarum harunce aédium,
[Posticam partem magis utuntur aedium;]
Ea ibo ópsonatum, eádem referam opsónium
Per hórtum: utroque cómmeatus cóntinet.
Ite hác secundum, vós, me. Ego hunc lacerá diem.

ACTUS III. SCENA II.

GELASIMUS. EPIGNOMUS.

Ge. Librós inspexi: tám confido, quám potist,
Me meum óbtenturum régem ridieulís meis.
Nunc ínterviso, iámne a portu advénerit:
Ut eum ádvenientem díctis meis delíniam.
Ep. Hic quidém Gelasimus ést parasitus, quí venit.
Ge. Auspíciod hodie óptumo exiví foras:
Mustéla murem ábstulit praetér pedes.
Cum strénad obscaevávit: spectatum hóc mihi est.

---

31. *eas*, cf. v. 17.

33. *ad*, quod habet Veneta, non legebatur in vulg. neque vett. aut Pall. Habet Both. Quodsi omittas, constructio erit: Iam hercle per hortum transibo, ut mihi occupem amicam meam ad hanc noctem. Verum dictio *per hortum transibo* videtur requirere terminum, ad quem.

34. *eádem* sc. opera, i. e. una, simul.

36. *opsonabo*, i. e. emam.

40. *in dividiam*, sc. apud heram, propter tibicinas, quas adduco. *dividiam* ex iis est, quae mediam habent litteram *v*, et ideo contrahuntur, ut *avus*, *avunculus*, *navis*, *ovum*, *avis* etc. Cf. Aul. prol. 5 ubi v. notata. Men. 5, 9, 69.

42. Versum spurium puto.

45. Constr. *Vos*, *ite hac secundum me*, h. e. post me. Cf. Amph. 2, 1, 1.

Act. III. Sc. II. Salutat Gelasimus Epignomum, eumque vocat ad coenam. Ille se domi coenaturum ait. Ergo Gelasimus se ab illo vocari vult. At Epignomus negat hóc fieri posse. Tristis ergo Gelasimus abit.

1. Vett. Pall. Ven. *quam potist*, h. e. *potis est*. Vide ad Bacch. 1, 1, 1. Vulg. *Q. potest.*

2. *regem* i. patronum Epignomum. *obtenturum*, i. fidum mihi servaturum.

3. *interviso* verbum futuri significatu.

4. *deliniam* omnes.

7. *praeter pedes* sc. meos, ante pedes meos. Vett. addunt *mihi* post *murem*.

8. Vett. et Lamb. *Eum strenua obsonavit.* Veneta: *Cum strena obsecravit.* Nostr. vulg. et Both. ex Pall., atque *obscaevare* est: scaevam exhibere. scaevá autem vel de bono vel malo omine usurpatur. *strena* i. q. omen, iungi solitum *scaevae*. Cf. V, 2, 24. — *spectatum*, i. intellectum, certum. Pro *cum* Both. *quum*. Ego praepositionem reor, et *strena* abl., ut sensus sit: obscaevavit mihi hoc mustela cum strena, uti equidem certo existimo.

Nam ut illa vitam réperit hodié sibi,
Item mé spero factúrum. Augurium haéc facit.
Epignómus hic quidem est, qui ádstat: ibo atque ádloquar.
Epignóme, ut ego té nunc conspició lubens!
Ut praé laetitia lácrumae praesiliúnt mihi!
Valuístin' usque? *Ep.* Sústentatum est sédulo.
Ge. Bene átque amice dícis. *Ep.* Di dent, quaé velis.
Ge. Propíno tibi salútem plenis faúcibus.]
Coenábis apud me, quóniam salvos ádvenis.
Ep. Vocáta est opera núnc quidem; tam grátia est.
Ge. Promítte. *Ep.* Certum est. *Ge.* Síc fac, inquam.
Ep. Cérta rest.
Ge. Lubénte me hercle fácies. *Ep.* Idem ego istúc scio.
Quando úsus veniet, fíet. *Ge.* Nunc ergo úsus est.
Ep. Non édepol possum. *Ge.* Quid gravare? Censeas:
Nescío quid vero hábeo in mundo. *Ep.* Í modo;
Aliúm convivam quaérito tibi in húnc diem.
Ge. Quin tú promittis? *Ep.* Nón graver, si póssiem.
Ge. Unúm quidem hercle cértum promittó tibi:
Lubéns accipiam cérto, si promíseris.
Ep. Valeás. *Ge.* Certumne est? *Ep.* Cértum: coenabó domi.
Ge. Quandóquidem operam túam non vis promíttere:
Vin' ád te ad coenam véniam? *Ep.* Si possím, velím;
Verum híc apud me coénant alieni novem.
Ge. Haud póstulo equidem méd in lecto accúmbere.
Scis tú, med esse ími subsellí virum.
Ep. At ii óratores súnt popli, summí viri;
Ambrácia veniunt húc legati públice.
Ge. Ergo óratores pópuli, summatés viri,
Summí accumbent; égo infimatis ínfimus.
Ep. Haud aéquom est, te inter óratores áccipi.
Ge. Equidem hércle orator súm; sed procedít parum.
Ep. Cras dé reliquiis nós volo. Multúm vale.
Ge. Perii hércle vero pláne, nihil obnóxie!

9. *illa* sc. mustela. *vitam*, i. victum.

10. *haec*, mustela.

14. *sustentatum est*, i. sustentavi vitam. Cf. IV, 2, 8.

15. Sequor Bothium in ordinandis personis. Nam edd. vss. 15—17 uni Gelasimo tribuunt.

18. *tam gratia est*, tamen tibi gratias habeo.

22. *Conseas*, consilium capias, decernas, adnuas.

23. *in mundo habeo nescio quid*, h. e. paratus apud me est cibus delicatus, quem non nomino. *vero* est: re vera, ut alibi *vero serio*.

32. *me in lecto*. Sic bene vulgata, Pall. et Veneta. Lamb. *medio in lecto*. Vett. *summo in lecto*. De discrimine quod est inter lectum et subsellium vide supra 1, 2, 36.

34. *oratores* cave *Redner* vertas. Sunt enim legati, uti et vocantur vs. sq. Cf. Amph. prol. 34.

37. *infimatis* oppositum summatibus. Videtur autem esse *infimatis* dictum pro *infimas*, ut sit nominativus. Ceterum bene Both.: *Accumbent summi*.

40. *nos volo*. Oportebat: *te volo*. Sed illud *nos* in suspenso relinquit, an se et Gelasimum, an solos suos dicat.

41. *nihil obnoxie*. Sic vulg. et Pall. At vett. *non obnoxie*, uti locum citat Gellius VII, 17, 4. *Obnoxie* autem i. q. oblique. Cf. Rud. IV, 4, 87. Capt. 2, 2, 86. Ter. Andr. 4, 2, 18. quibus in locis, ut hoic obnoxie, planum opponi-

Unó Gelasimo mínus est, quam dudúm fuit.
Certum est mustelae pósthac nunquam crédere:
Nam incértiorem núllam novi béstiam.
Quaene ípsa decies ín die mutát locum,
Eam aúspicavi ego ín re capitalí mea?
Certum ést amicos cónvocare, ut cónsulam,
Qua lége nunc med — ésurire opórteat.

ACTUS IV. SCENA I.

ANTIPHO. PAMPHILIPPUS. EPIGNOMUS.

An. Íta me di bene amént, measque mihi béne servassint filias,
Út mihi volupe est, Pámphilippe, quía vos in patriám domum
Rédisse video, béne gesta re, ámbos te et fratrém tuum.
Pam. Sátis abs te accipiám, nisi videam míhi te amicum esse, Ántipho;
Núnc, quia te amicúm mi experior ésse, credetúr tibi.
An. Vócem ego te ad me ad coénam, frater tuús nisi dixissét mihi,
Te ápud se coenatórum esse hodie, cúm me ad se ad coenám vocat;
Ét magis par fuerát, me dare vobís coenam adveniéntibus,
Quám me ad illum promíttere, nisi nóllem ei advorsárier.
Núnc, me gratiam ábs te inire vérbis, nihil desídero;
Crás apud me eritis, ét tu et ille, cúm vostris uxóribus.
Pam. Ét apud me peréndie: nam ille hére me iam vocáverat
În hunc diem. Sed sátin' ego tecum pácificatus sum, Ántipho?
An. Quándo ita rem gessístis, uti vos véllem, amicosque áddecet:
Páx commerciúmque est vobis mécum: nam hoc tu [facito] cógites:
Út quoique homini rés [parata] 'st, amici fírmi sunt; si rés labat,
Ítidem amici cónlabascunt. Rés amicos ínvenit.
Ep. Iám redeo. Nimia ést voluptas, sí diu abfuerís domo,

tur proclivi. Unde recte videtur colligi debere, obnoxium in hac dictione idem esse quod proclive.

42. [illegible]um, paullo ante. Sensus: Gelasimus est mortuus.

45. Vett. Quin ipsa. Vulg. et Pall. *Quae ne et ipsa.* Ven. *Quin et ipsa.* Nostr. Both. Sensus: *Quum tamen ipsa illa.*

Act. IV. Sc. I. Hilariter inter se colloquuntur advenientes ex portu Antipho et Pamphilippus de coenis dandis etc. Egreditur Epignomus a se, laetaturque advenisse fratrem. Antipho facete sibi per apologum petit tibicinam a Pamphilippo. Qua impetrata, senex ad filias introit. Pamphilippus Epignomusque de Gelasimo mentionem faciunt. Et ecce ipse adest.

1. Omnes *mihi* exhibent. Ergo v. meas necessario tamquam monosyllabum erit legendum, et ictus in syllaba *que* ponendus.

2. *Quia* i. q. *quod.* Vid. Ind.

3. *redisse* legendum, ut alibi *dedisse* V. Ind. in v. *dedi.*

4. *Satis accipiam*, iuridicum verbum de sponsione. Sensus, nisi certo scirem, te mihi esse amicum, sponsores poscerem.

5. *credetur.* Sic Both. Nam omnes: *creditur.*

7. Sic Ven. Vulg. et Lamb. In Pall. et vett. deest *esse.*

13. *pacificatus*, sc. quod tamdiu abfuerim domo.

14. Edd. *amicos atque addecet.* Nostr. Both. ex antt.

15. Omnes: *facito cogites.*

16. Omnes: *parata est.*

18. *Iam redeo*, i. e. Brevi redibo domum. Haec egrediens Epignomus ad

Dómum si redierís, si [tibi] nulla est aégritudo animo óbviam.
Nam íta me absente fámiliarem rem úxor curavít meam,
Ómnium me exilem átque inanem fécit aegritúdinum.
Séd eccum fratrem Pámphilippum, incédit cum socoró suo.
Pam. Quíd agitur, Epignóme? *Ep.* Quid tu? quámdudum in portúm venis
Húc? *Pam.* Longissumé. *Ep.* Postilla iam íste est tranquillús tibi?
An. Mágis quam mare, quo ambo éstis vecti. *Ep.* Fácis, ut alias rés soles.
Hódiene exonerámus navem, fráter? *Pam.* Clementér volo.
Nósmet potius nós vicissatim óneremus voluptátibus.
Quám mox cocta est coéna? Ímpransus égo sum. *Ep.* Abi intro ad me, ét lava.
Pam. Déos salutatum átque uxorem módo intro devortór domum.
Ep. Ápud nos eccillá festinat cúm sorore uxór tua.
Pam. Óptumum est: iam istóc morae minus érit. *Ep.* Iam ego apud téd ero.
An. Priúsquam abis, praeséate ted huic ápologum agere unúm volo.
Ep. Máxumè. *An.* Fuit ólim, quasi ego súm, senex; ei filiae
Dúae erant, quasi nunc méae sunt; eae erant duóbus nuptae frátribus,
Quási nunc meae sunt vóbis. *Pam.* Miror, quo évasurust ápologus.
An. Érat minori illi ádulescenti fídicina et tibícina;
Péregre advexerát, quasi nunc tu. Séd ille erat coelébs senex,
Quási ego nunc sum. *Pam.* Pérge porro. Praésens hic quidem est ápologus.
An. Deínde senex ille ílli dixit, quóius erat tibícina,
Quási ego nunc tibi díco. *Pam.* Ausculto atque ánimum advorto séduIo.
An. „Égo tibi meam fíliam, bene quícum cubitarés, dedi:
Núnc mihi reddi ego aéquom esse abs te, quícum cubitem, cénseo.“
Pam. Quís istuc dicit? án ille quasi tu? *An.* Quási ego nunc dicó tibi.

uxorem intus adhuc loquitur. — Edd. *a domo*.

19. Edd. *si tibi nulla*.

21. *Omnium* disyllabum, ut saepius. V. Ind.

23. *Quamdudum* etc. i. e. Quando tu advenisti ad portum? Nondum enim advenerat, quum ex portu abiret Epignomus.

24. *Longissime*, satis iam diu. *iste* sc. Antipho tibi pacatus est?

25. *Facis* etc. h. e. facete loqueris et benigne.

26. *Clementer*, i. ne nimis festinemus.

27. Veneta et Pall. *Nosmet potius oneremus nosmet vicissatim voluptatibus*. Item vulg. et vett. omisso *nosmet*. Nostr. Both.

31. *istoc* est abl. i. q. [illegible] ob causam, quod uxor non ade[illegible]pud me, non mora est, quin apud te maneam. — *Iam ego*, i. e. brevi ego rediero. Vult enim abire aliquo. *apud te* sc. Pamphilippum.

32. *huic*, Pamphilippo. — *unum* pleonastice saepius additur. As. 3, 1, 13. Amph. 2, 2, 73. Cist. 4, 2, 70. Aul. 1, 2, 11. Epid. 3, 4, 17. Most. 3, 2, 148. IV, 4, 9.

33. *Maxume* est concedentis. V. Ind. — *olim*, aliquo tempore, aliquando. Cf. Phaedr. III, 2, 2. *Panthera imprudens olim in foveam decidit*. — *quasi* i. q. sicut. Cf. Ind.

35. *Miror*, i. cupio scire.

38. *Praesens est*, de re praesenti in

„Ímo duas dabo,“ ínquit ille adulescens, „una sí parum est;
Ét si duarum poénitebit,“ ínquit, „addentúr duae.“
Pam. Quís istuc, quaeso? an ílle quasi ego? *An.* Is ípse quasi tu. Túm senex
Ílle, quasi ego: „Sí vis,“ inquit, „quátuor sané dato,
Dúm equidem hercle, quód edant, addas, méum ne contruncént cibum.“
Pam. Videlicet parcúm fuisse illum senem, qui díxerit,
Quóniam ille illi póllicetur, qui éum cibum popóscerit.
An. Videlicet fuisse illum nequam áduleseentem, qui illico,
Úbi ille poscit, dénegavit, sé dare granum trítici,
Hércle, quia aequom póstulabat ílle senex, quandóquidem
Filiae illae déderat dotem, accípere pro tibícina.
Pam. Hércle ille quidem cérto adulescens dócte versutús fuit,
Quí seni illi cóncubinam dáre dotatam nóluit.
An. Sénex quidem voluít, si posset, índipisci dé cibo;
Quía nequit, qua lége licuit, vélle dixit fieri.
„Fiat,“ ille inquít adulescens. — „Fácis benigne,“ inquít senex.
„Hábeon' rem factam?“ ínquit. — Faciam ita,“ ínquit, „ut fierí voles.“
Séd ego ibo intro et grátulabor vóstrum adventum filiis;
Póstea ibo lautum ín pyelum; ibi fovébo senectutém meam;
Póst, ubi lavero, ótiosus vós opperiar ádcubans.
Pam. Gráphicum mortalem Ántiphonem! ut apólogum fecit! quám fabre!
Út iam nunc sceléstus sese dúcit pro aduléscéntulo!
Dábitur homini amíca, noctu quae ín lecto occentét senem:
Námque edepol, aliúd quidem illi quíd amica opus sit, néscio.
Séd quid agit parasítus noster Gélasimus? etiám valet?
Ep. Vídi edepol hominem haud perdudum. *Pam.* Quíd agit? *Ep.* Quod famélicus.
Pam. Quín vocasti hóminem ad coenam? *Ep.* Né quid adveniens pérderem.

eo agitur; in promtu est, quid sibi ille apologus velit.

49. Vulg. et Ven. *Videlicet parcum* illum *fuisse senem*, *q. d.* Vett. *Vid.* illum *fuisse parcum senem*, *q. d.*

50. *Quoniam ille* i. e. gener, *illi*, seni, *pollicetur* sc. tibicinam. *qui*, sc. senex; senem parcum fuisse oportet, qui cibum illum poposcerit, quum gener et promitteret fidicinas tibicinasque se daturum.

58. *nequit*, pro *nequiit* i. e. *nequivit* quod habent Ven. et vett. Nostr. vulg. et Pall.

60. Omnes: *rem factam.* Both. ex Acidalio, *rem pactam.* Sed et alibi *factum* de pactis obviam. Cf. V, 4, 15.

61. *filiis*, i. filiabus.

62. *pyelus*, *Wanne*, *Trog.* Edd. et odd. *Pilum.* Emendavit Lambinus. — Edd. *lavatum.*

65. V. C. *It iam nunc.* Decurt. *Id iam nunc.* Both. *Etiam nunc.* Vulg. *Ut iam n.* — *scelestus* non est *sceleratus*, sed Gr. δαιμόνιος. Cf. ad Amph. II, 1, 2. — *iam* potest dictum esse pro *etiam.* Pro *sese*, quod Both. ex Dousa, edd. omn. *esse.*

66. Omnes: *in lecto accendet senem.* Pro quo Both. *in l. occentet senem.* Cf. Pers. 4, 4, 20. Merc. 2, 3, 72.

68. *etiam valet?* i. e. pergitne valere? adhuene valet?

70. *Quin* h. l. i. e. q. Cur non? — *perderem.* Qui enim parasitum alunt, iacturam faciunt.

Átque eccum tibi lupum in sermone! praésens esuriéns adest.
Pam. Lúdificemur hóminem. *Ep.* Capti cónsilii memorém mones.

ACTUS IV. SCENA II.

GELASIMUS. PAMPHILIPPUS. EPIGNOMUS.

Ge. Séd ita, ut occepí narrare vóbis; quom hic non ádfui,
Cúm amicis delíberavi iam ét cum cognatís meis:
Íta mi auctores fuére, ut egomet me hódie iugularém fame.
Séd videon' ego Pámphilippum cúm fratre Epignomo? Átque is est.
Ádgrediar hominém. Sperate Pámphilippe, o spés mea,
Ó mea vita, o méa voluptas, sálve! Salvom gaúdeo
Péregre te in patriám redisse sálvom. *Pam.* Salve, Gélasime.
Ge. Váluistin' bene? *Pam.* Sústentavi sédulo. *Ge.* Edepol gaúdeo.
Édepol nae egomet míhi nunc modiùm mílle esse argentí velim!
Ep. Quíd eo tibi opust? *Ge.* Húnc ad coenam hercle út vocem, te nón vocem.
Ep. Ádvorsum te fábulare. *Ge.* Íllud quidem: ambos út vocem.
Ep. Édepol te vocem libenter, sí superfiát locus.
Ge. Quín tu? stans obstrúsero aliquid strénue. *Ep.* Imo unum hóc potest.
Ge. Quíd? *Ep.* Ubi convivae ábierint, tum vénias .... *Ge.* Vae aetatí tuae!
Ep. Úna lautum, nón ad coenam, díco. *Ge.* Di te pérduint!
Quíd ais, Pamphilíppe? *Pam.* Ad coenam hercle álio promisí foras.
Ge. Quíd? foras? *Pam.* Foras hércle vero. *Ge.* Quí, malum, tibi lassó lubet
Fóris coenare? *Pam.* Utrúm tu censes? *Ge.* Iúbe domi coenám coqui,
Átque ad illum renúntiari. *Pam.* Sólus coenabó domi?
Ge. Nón enim solus: mé vocato. *Pam.* Át ille ne succénseat,
Méa qui causa súmtum fecit. *Ge.* Fácile excusarí potest.
Míhi modo auscultá: iube coenam dómi coqui. *Ep.* Non mé quidem
Fáciet auctore, hódie ut illum décipiat. *Ge.* Non tu hínc abis?

Act. IV. Sc. II. Ludos faciunt fratres Gelasimum, nolumque vocare, ne rursus, ut antea, cum eo sua prodigant. Ergo ille desperatus abit.

1. Omnes: *Sed ita quod* occ. Lamb. *Est ita ut.* Formula quasi solemnis: *Sed ita ut*, quasi nostrum: *Was ich euch sagen wollte.* Vid. Ind. v. *Ita ut.* Cf. Poen. II, 24. Rud. 4, 4, 21 et 74. — *vobis* int. spectatoribus, aut comitibus.

8. *Sustentavi.* Cf. III, 2, 14.

9. Edd. *mihi modium nunc.* — *Mille modiorum* dictum ut *mille nummum.*

11. Sic bene Ven. *Illud quidem* sc. *volui dicere*, formula solemni in correctione, Cas. 3, 5, 55. et saepissime obvia. *Advorsum te fabulare*, i. e. Loquere haec tecum, non nobiscum. *fabulare* imperativus.

13. Sic vulg. At vett. et Ven. *Quin tu stas, obstrusero* etc. Ait autem, se nolle accumbere, sed stando aliquid strenue i. e. celeriter, abstrudere, i. e. devorare.

18. *Utrum tu censes?* Quid tibi vero videtur? an domi coenem, an foris? Dic quaeso tuam sententiam.

22. Sic Both. et Veneta. Vulg. Pall. vett. *domi coenam.*

23. *illum*, sc. qui eum invitavit.

Nísi me non perspícere censes, quíd agas. Cave, sis, tú tibi:
Nam íllic homo tuam heréditatem inhiát, quasi esuriéns lupus.
Nón tu scis, quamde éfflictentur hómines noctu hic ín via?
Pam. Tánto pluris, quí defendant, íre advorsum iússero.
Ep. Nón it, non it, quía tanto opere suádes, ne ebitát. *Ge.* Iube
Dómi mihi tibi tuaéque uxori céleriter coenám coqui.
Si hércle faxis: non, opinor, díces, deceptúm fore.
Pam. Pér hanc tibi coenam íncoenato, Gélasime, esse hodié licet.
Ge. Íbisne ad coenám foras? *Pam.* Apud frátrem coeno in próxumo.
Ge. Cértumne est? *Pam.* Certum. *Ge.* Édepol te hodie lápide percussúm velim!
Pam. Nón metuo: per hórtum transibo; haúd prodibo in publicum.
Ep. Quíd agis, Gelasime? *Ge.* Óratores tu áccipis: habeás tibi.
Ep. Túa pol refert énim. *Ge.* Si quidem mea réfert, opera útere;
Pósce. *Ep.* Edepol tíbi, opinor, étiam uni locum cónspicor,
Úbi adcubes .... *Pam.* Sané faciundum cénseo. *Ge.* O lux óppidi!
Ep. Si árte poteris áccubare. *Ge.* Vél inter cuneos férreos.
Tántillum loci, úbi catellus cúbet, id mihi sat ést loci.
Ep. Éxorabo áliquo modo: veni. *Ge.* Húccine? *Ep.* Imo in cárcerem:
Nam híc quidem meliórem Genium túum non facies. — Eámus, tu.
Pam. Déos salutabó modo; postea ad té continuo tránseo.
Ge. Quíd igitur? *Ep.* Dixi équidem, in carcerem íres. *Ge.* Quin si iússeris,
Eó quoque ibo. *Ep.* Di ímmortales, híc quidem in summám crucem
Coéna aut prandió perduci pótest. *Ge.* Ita ingeniúm meum est.
Quícumvis depúgno multo fácilius, quam cúm fame.
Ep. Nón ergo is tu? Sátis spectata est míhi iam tua felícitas.
Dúm parasitus mi átque fratri fuísti, rem confrégimus.
Núnc ego nolo é Gelasimo míhi te Catagelásimum.
Ge. Iámne abit? — Gelásime, vide, quid és capturus cónsili! —
Égone? Tu nae. Míhine? Tibi nae. Vídes, ut annona ést gravis.

24. *Nisi me.* Nonne credis me perspicere quid agas, sc. ut huius hereditatem capies. *Cave*, etc. Haec ad Pamphilippum.

25. *illic homo*, Epignomus.

26. Haec ad eundem Pamphilippum. Nimirum deterrere eum vult a foris coenando, quasi non tutum sit iter in via publica. *efflictentur*, sc. a latronibus. — *Quamde* fecit Bothius; nam libri: *quam*.

27. *plures* sc. servos. *ire advorsum* sc. mihi, cum redibo domum. *advorsum ire alicui* est: *Jemanden abholen.*

28. *Non it*, non ergo ibit foras; ut verum tibi dicam. Nam apud me vero coenabit.

34. Vulg. *non prodibo.*

35. *Quid agis?* mera alloquendi aliquem formula. Nostrum: *Höre, ich habe dir etwas zu sagen.* V. Ind.

36. *refert*, sc. quod tibi sum dicturus.

39. *arte*, i. e. *arcte.*

42. *mel. genium non facies*, non laute coenabis hodie. — *Eamus tu.* Haec ad fratrem.

45. Ven. *hic quidem ut in summam cr.* Vett. *hic q. vi summa in cr.* Nostr. vulg. et B.

48. Edd. *is tu apud me. satis* etc. Sensus: Quidni ergo in carcerem tu abis? Nos enim tuam felicitatem nolumus.

50. *Catagelasimum*, i. e. irrisorem, aperte producta syllaba *la.*

51. Edd. *Iamne abiisti?*

Vídes, benignitátes hominum ut périere et prothýmiae.
Vídes, ridiculos níhili fieri, atque ípsos parasitárier. —
Núnquam edepol me vívom quisquam in crástinum inspiciét diem:
Nám mihi iam intus pótione iúncea onerabó gulam,
Néque ego hoc committam, hómines ut me mórtuum dicánt fame.

ACTUS V. SCENA I.

STICHUS.

More hóc fit atque stúlte mea senténtia:
Si quem hóminem exspectant, éum solent provísere,
Qui hercle ílla causa níhilo ociús venit.
Idem égo nunc facio, quí proviso Ságarinum,
Qui níhilo citius véniet tamen hac grátia.
Iam hercle égo decumbam sólus, si ille huc nón venit.
Cadúm modo hinc a med húc cum vino tránsferam;
Postílla accumbam. Quási nix, tabescít dies.

ACTUS V. SCENA II.

SAGARINUS. STICHUS.

Sa. Salvéte, Athenae, quaé nutrices Graéciae!
Herílis terra pátria, te videó lubens!
Sed, amíca mea et consérva quid agat Stéphanium,
Cura ést; ut valeat. Nám Sticho mandáveram,
Salútem ut nuntiáret, atque ei ut díceret,
Me hodié venturum, ut coénam coqueret témperi.
Sed Stíchus est hic quidem. *St.* Fécisti, here, facétias,
Quum hoc dónavisti dóno tuum servóm Stichum.

52. Vulg. *Egone? Tune? Mihi ne? Tibine?* Nostr. Bothius. Cf. Trin. 3, 2, 8. Loquitur autem secum.

55. Edd. *prospiciet.* Nostr. V. C. et Bothius.

56. Edd. *potione vincea*, pro quo Both. ex cod. Ambros. *potione iuncea.* Iunco enim Graecos ad funes esse usos. Cf. Plin. H. N. XIX, 2. Dicit ergo, velle se suspendere.

57. Edd. *ut homines mortuum me d. f.*

Act. V. Sc. I. Stichus exspectans Sagarinum, abit ad se, cadum vini adportatum.

1. *More*, a Gr. μῶρος. Est enim adverbium, i. q. stulte. Atque sic saepius. Mil. 2, 4, 17. Trin. 3, 2, 43. Men. 4, 2, 1.

2. *provisere*, *entgegen sehen.*

3. Ven. Pall. vulg. *Qui hercle illa causa nihil ocius venit*, sine metro. Vett. *nihilo citius venit*, uti est v. 5.

5. Sic in cod. Camer. a 2. manu, et vett. nisi quod utrobique *venit.* At Pal. *veniet.* Vulg. et Ven. *Qui nihil ocius venit t.*

6. *Iam*, brevi.

8. Omnes *Postea.* Both. *Postilla.* — Ven. et Pall. *Qua senex tabescit dies.* Vett. *quia sensim extabescit dies.* Vulg. *quasi senex, tabescit dies.* Both. *Quasi nix, tabescit dies.* Id probo.

Act. V. Sc. II. Advenit Sagarinus. Prodit a se cum cado Stichus. Introeunt una ad Sagarinum.

2. Omnes: *Terra herilis patria.* Lamb. *O terra h. p.* Both. *Herilis terra p.* — lubens i. e. laetus.

4. *cura est* sc. videre. — *ut valeat*, i. e. quomodo valeat.

5. Omnes: *atque ei ut d.* Ergo ei in totum absorbendum elisione.

Proh di ímmortales, quót ego voluptatés fero,
Quot rísiones, quót iocos, quot sávia,
Saltátiones, blánditias, prothýmias!
SA. Stiche, hém! *ST.* Quid est? Euge, Ságarine lepidíssume!
Feró convivam Díonysum mihique ét tibi:
Namque édepol coena dícta est: locus libér datust
Mihi ét tibi apud vos: nam ápud nos est convívium;
Ibi vóster coenat, cum úxore adeo, et Ántipho;
Ibidem hérus est noster. Hóc mihi donó datum est.
SA. Quis sómniavit aúrum? *ST.* Quid id ad te áttinet?
Proin' tú lavare própera. *SA.* Lautus sum. *ST.* Óptume:
Sequere érgo hac med íntro. *SA.* Ego veró sequor.
ST. Volo éluamus hódie peregrina ómnia.
Relínque: Athenas núnc colamus! Séquere me.
SA. Sequor, ét domum redeúndi principiúm placet:
Bona scaéva strenaque óbviam occessít mihi.

ACTUS V. SCENA III.

STEPHANIUM.

Mirúm videri némini vostrúm volo, spectatóres,
Quid ego hínc, quae illic habito, éxeam: faciám vos certióres.
Domo dúdum huc arcessíta sum, quoniám renuntiátum est,
Istárum venturós viros: ibi féstinamus ómnes;
Lectís sternendis stúduimus, mundítiisque adparándis.
Intér illud tamen negótium meís curavi amícis,
Sticho ét conservo Ságarino meo, coéna cocta ut ésset.
Stichus ópsonatust; céterum ego curándo id adlegávi.
Nunc íbo hinc, et amicós meos curábo hic adveniéntis.

---

8. *Hoc dono*, sc. cado, quem effert. Cf. 3, 1, 24.

12. Ex vulgata, quae eadem est lectio omnium, metrum non recte habet in vv. *quid fit?* pro quibus malim *quid est?* id ut quaerat Stichus, *hem* autem sit Sagarini. Nam vulg. sic. *SA. Sticho. S. Hem! SA. Quid fit? S. Euge! Sagarine lepidissime.*

18. *Quis somniavit aurum*, videlicet ad opsonandum opsonia. Non autem ait: *quis dedit?* sed: *dare somniavit?* Sic nimirum int. Serracenus. Bothius: *Quis summanavit aurum?* h. e. quis furatus est? ex Palmerio et Meursio. At Pareus *Quis somniavit* dictum putat pro: *quis furatus est?* Nam *somniatorem* esse eundem, quem *dormitatorem*, i. e. furem nocturnum, qui interdiu dormiat; Hesiodo ἡμερόκοιτον. Omnes, ut opinor, perperam. Nam *somniare* hic nihil aliud videtur, quam: cogitare de aliqua re, ut Most. 3, 2, 70. *Quid ille consomniavit?* nihil est nisi: *Quid excogitavit?* Frankorum: *songer.*

21. Vulg. vett. Ven. Both. distinguunt omnes post *hodie*, et *peregr. omnia* cum *relinque* iungunt.

22. *Relinque* sc. illa, peregrina.

24. *bona scaeva et strena* solita coniungi in ominibus. Cf. 3, 2, 8. *obscaevavit cum strena.* — *occessit* Vulg. — vett. et Ven. *accessit.*

ACT. V. Sc. III. Stephanium, conserva Sagarini, prodit ab Epignomo, quo venire iussa erat ad coenam parandam. Transit inde ad se, ut coenam apponat Sticho et Sagarino.

3. Vulg. *D. d. huc arcessita sum.* In Ven. deest *huc.* Vett. *D. d. sum huc accersita.* ac deinde *nunciatum*, pro quo dedi: *renunciatum.* Cf. Aul. 4, 1, 18. Men 2, 3, 72. Trin. 2, 1, 30. — *dudum* i. e. q. paullo ante.

ACTUS V. SCENA IV.

SAGARINUS. STICHUS.

Sa. Ágite, ite foras! férte pompam! Cádo te praefició, Stiche.
Ómnibus modis tentáre certum est nóstrum hodie convívium.
St. Íta me di ament, lépide accipimur, quum hóc recipimur ín loco.
Quísquis praetereat, cómissatum vólo vocari. *Sa.* Cónvenit,
Dúm quidem hercle quísque veniat cúm vino suo: nam hínc quidem
Hódie polluctúra, praeter nós, iam dabitur némini.
Nósmet inter nós ministremus monotrophe. Hoc convívium est,
Pro ópibus nostris sátis commodule núcibus, fabulis, fículis,
Ólea in tryblió, lupillis, cómminuto crústulo.
Sát est! Servo homini modéste melius fácere sumtum, quam ámpliter.
Súum quemque decet. Quíbus divitiae dómi sunt, scaphio et cántharis,
Bátiolis bibúnt: nos nostro Sámiolo potério.
Támen vivimus nos, támen efficimus pro ópibus nostra moénia.
Ámicae utér utrubi ádcumbamus? *St.* Ábi tu sane súperior.
Átque adeo, ut tu scíre possis fáctum; ego hoc tecum dívido:
Víde: utram tibi lubét etiamnum cápere, cape províneiam.
Sa. Quíd istuc est províneiae? *St.* Utrum fóntinali, an Líbero,
Ímperium te inhibére mavis? *Sa.* Nímio liquido Líbero.
Séd amica mea et túa dum comit, dúm se exornat, nós volo
Támen ludere inter nós. Strategum té facio huic convívio.
St. Nímium lepide in méntem venit. Pótius in subséllio
Cýnice accipimur, quámde in lectis? *Sa.* Ímo enim hic mage dúlciust.
Séd interim, stratége noster, cúr hic cessat cántharus?
Víde, quot cyathos bíbimus. *St.* Tot, quot dígiti sunt tibi ín manu.

8. *adlegavi id* sc. opsonium curando; Lamb. „ceteroqui ego aliquem allegavi, i. e. privatim misi, qui id curaret et coqueret." Cf. Poen. 3, 5, 28.

Act. V. Sc. IV. Progreditur Sagarinus cum pompa ex aedibus Pamphilippi. Convivantur Sag. et Stichus; tum Stephanium evocant.

3. Libri: *accipiemur* — *recipiamur*.

6. Sic bene velt. — Vulg. *Hodie polluctura praeter nos iactura dabitur n.* ut et fere Pall. et Ven., corrupte.

10. *melius* sc. est. *modeste* contractim leg.

13. *moenia*, convivia nostra: *Moenia* autem i. e. q. *munia*, ut Trin. 3, 2, 61. ut sit i. q. nostras res bene curamus. Sic *moenera* pro *munera*, et *coera* pro *cura*, et Trin. I, 1, 2, *immoene* pro *immune*. Lambinus tamen de muris oppidi interpretatus est.

14. Patet versum esse debere trochaicum. Hinc existimo, v. *amicae* primis contractis esse pronunciandum. — *uter utrubi*, videlicet uter nostrum superiori, uter inferiori loco. — *abi superior*, tu istuc procede in superiorem locum.

15. *factum* et hic pro pacto ponitur, uti supra IV, 1, 60. — *hoc*, sc. negotium.

17. *fontinali*, sc. aquae miscendae. *Libero*, vino infundendo.

18. *imperium inhibere*, i. e. imperare, praeesse. Cf. Liv. III, 50. fin. — *nimio* sc. malo praeesse vino distribuendo.

20. *inter* corripiendum, ut et v. 23 *interim*. Vid. Ind.

22. Libri: *accipiemur* — *est dulcius*.

24. *quot cyathos*, h. e. quot cyathos vini quot cyathis aquae mixtos. Vult autem Stichus quinque vini et tres aquae

Sa. Cántio est Graeca: ἢ πέντε πῖν', ἢ πῖνε τρί', ἢ μὴ τέτταρα:
Tíbi propino décuma. Fontem tíbi tute inde, sí sapis.
Béne vos! bene nos! béne te! bene me! béne nostram ètiam Stéphanium!
St. Bíbe, si bibis. *Sa.* Non móra erit apud me. *St.* Édepol conviví sat est;
Módo nostra huc amíca accedat. Íd abest; aliud níhil abest.
Sa. Lépide hoc actum est. Tíbi propino cántharum. Vinúm tu habes;
Nímis vellem aliquid púlpamenti. *St.* Si hórum, quae adsunt, poénitet,
Níhil est. Tene aquam. *Sa.* Mélius dicis. Níhil moror cupédia.
Bíbe, tibicen! áge, si quid agis! bíbendum hercle hoc est! né nega!
Quíd hic fastidis, quód faciundum vídes esse tibi? quín bibis?
Áge, si quid agis! áccipe, inquam! Nam hóc impendet públicum.
Haúd tuum istuc est, té vereri. Éripe ex ore tíbias!
St. Úbi illic biberit: vél servato méum modum, vel tú dato:
Nólo ego nos pro súmmo bibere: núlli rei erimus póstea.
Námque edepol quamvís desubito vél cadus vortí potest.
Sa. Quíd igitur? Quamquám gravatus fuísti, non nocuít tamen.
Áge, tibicen, quándo bibisti, réfer ad labia tíbias!
Suffla celeritér tibi buccas, quási proserpens béstia!
Ágedum, Stiche: uter démutassit, póculo multábitur.
St. Bónum ius dicis. Ímpetrare opórtet, qui aequom póstulat.
Sa. Áge ergo, observa! Sí peccassis, múltam hic retinebo ílico.
St. Óptumum atque aequíssumum oras. Hém tibi hoc primum ómnium!
Haéc facetiá est, amare intér se rivalés duos,
Úno cantharó potare et úunm scortum dúcere.

De qua re, ut et de versu Graeco, legendus Athenaeus lib. X. Improbabant Graeci bibere τέτταρα, h. e. ut quatuor cyathis vini admiscerentur tres aquae, potiusque duxerunt τρία bibere, ita ut tribus vini miscerentur duo aquae. At optimum videbatur, quinque tres misceri.

26. *decuma*, ergo duplum vini. Nam solebant propinari quinque vini cum tribus aquae cyathis mixti. Sed vulg. Pall. et vett. et Ven. *decuma fonte. Tibi tute* etc. Nostr. Both.

28. *sat est*, i. e. satis laute convivamur.

30. *vinum*. Sic Ven. et vett. — Vulg. *vini*, sc. aliquid. — Sensus: tu, Stiche, vinum quidem attulisti, sed nil pulpamenti.

32. *Nihil est* sc. praeter haec quae adsunt. Frustra petis pulpamentum. — *tene aquam*, accipe aquam.

35. Edd. et cdd. *Non hoc impendet publicum*. Pro his Sarrâcenus mallit: *Nam hoc impendo publicum*. Ego nostram sic interpretor: Ut bibatur, hodie communi quasi fato omnibus est destinatum; unde non consentaneum est, te illud vereri, quod omnibus est perpetiendum. — Alibi *publicum* i. e. q. aerarium publicum. V. Asin. 2, 2, 55.

37. Vult. Stichus parce bibi, ne statim ebrii fiant. *meum modum*, h. e. quem ego praescripsi, ut πέντε bibantur, servato, i. e. retineto. *vel tu dato*, i. e. praescribito modum bibendi.

38. *pro summo*, i. e. merum fere bibere, quod hucusque fecere. Decem enim cyathos vini tribus aquae miscuerunt. — Omnes: *nulli reterimus postea*. Nostr. Both. ex Grutero. Illud interpr.: nullum vinum postea deprompserimus. Ab *retino*.

39. Nam etiam cadus integer, si eum convortas, statim exhaurietur.

40. Haec tibicini.

42. *proserpens bestia* i. q. serpens. Cf. V, 4, 42. Asin. 3, 3, 105. Poen. 5, 2, 74. Pers. 2, 4, 28.

43. *demutassit*, sc. a lege bibendi.

Hóc memorabile ést: ego tu sum, tu és ego; unanimí sumus;
Únam amicam amámus ambo; mécum ubi est, tecum ést tamen;
Técum ubi autem est, mécum ibi est; neúter neutri ínvidet.
Sa. Óhe, iam satis! nólo obscaeves. Cátuli ut ludunt, núnc volo.
Vín' amicam huc évocemus? Éa saltabit. *St*. Cénseo.
Sa. Méa suavis, amabílis, amoena, Stéphanium, ad amorés tuos
Fóras egredere! sátis mihi pulcra és. *St*. At enim pulcérruma.
Sa. Fác nos hilaros hílariores ópera atque adventú tuo!
Péregre advenientés te expetimus, Stéphaniscidium, mél meum,
Sí amabilitas tíbi nostra placet, sí tibi ambo acceptí sumus!

ACTUS V. SCENA V.

STEPHANIUM. SAGARINUS. STICHUS.

Ste. Mórem [vobis] geram, meaé deliciae. Nam íta me Venus amoéna amet,
Út ego iamdudum húc exissem símitu vobiscúm foras,
Nísi me vobis éxornarem: nam íta est ingenium múliebre:
Béne quum lauta est, térsa, ornata, ficta est: inficta ést tamen.
Nímioque sibi múlier meretrix réperit odium ócius
Súa immunditia, quam ín perpetuom ut pláceat munditiá sua.
Sa. Nímium lepide fábulata est. *St*. Véneris mera est orátio. —
Ságarine! *Sa*. Quid est? *St*. Tótus doleo. *Sa*. Tótus? Tanto míserior.
Ste. Útrubi accumbo? *Sa*. Utrúbi tu vis? *Ste*. Cum ambóbus volo: nam ambós amo.
St. Vápulat pecúlium! actum est! fúgit hoc Libertás caput!
Ste. Dáte mi locum, ubi accúmbam, amabo, sí quidem placeo. Túm mihi
Cúpio cum utroqué mihi esse bene. *Sa*. Dípereo .... *St*. Quid aís? *Sa*. Quid est?
St. Íta me di ament, núnquam enim fiet hódie, haec quin saltét támen!
Áge, mulsa mea, suávitudo, sálta! saltabo égo simul.
Sa. Núnquam edepol med ístoc vinces, quín ego ibidem prúriam.

51. Vett. *Tecum autem mihi est, mecum autem ibi est: neuter alteri invidet.* Ven. *Tecum autem ubi est, mecum autem ibi est, neuter utri invidet.* Vulg. et Pall. *Tecum ubi autem est, mecum ibi autem est. neuter utri invidet.* Both. *Tecum ubi autem est, mecum ibidem est: neutri neuter inv.* — Non elidendum *mecum*.

52. Vulg. vett. Ven. Pall. *Nolo obscaedes*. Nostrum Both. *obscaevare* hic: *beschreien*.

Act. *V*. *Sc*. *V*. Prodit Stephanium, quacum uterque hilariter degunt.

1. Omnes: *vobis*. Fortasse leg. *Mórem geram, o méae deliciae.*

2. *iamdudum* i. e. paullo ante, quum vos exissetis. Edd. *Ut ego hic iamdudum exissem.*

3. Fortasse l. *mulierum*.

4. Edd. *infecta*. Nostr. Both.

8. *doleo* sc. prae amore. Pro *totus* antt. *potus*.

10. Conf. ad h. l. Virg. Ecl. I, 31 sqq.

12. In fine omnes inepte: *Quid ego?* Non autem dubium, legendum esse, quod dedi. Et *Quid ais?* est: *Noch ein's!* *Quid est?* autem: *Nun und was?* Nimirum dictio *Quid ais?* praeparat propositionem, quam statim facit, ut saltet Stephanium. Cf. Indicem v. *Quid ais?* Ceterum personas mutavi.

STE. Sí quidem mihi saltándum est: tum vos dáte, bibat, tibícini.
ST. Ét quidem nobis. *SA.* Téne, tibicen, prímum; postideá loci,
Si hóc eduxerís, proinde, ut consuétus antehac, céleriter
Lépidam et suavem cántionem aliquam óccipito cinaédicam,
Úbi perpruriscámus usque ex únguiculis. — Inde húc aquam —
Tene tu hóc; educe. Dúdum placuit pótio;
Nunc mínus gravate iam áccipit. — Tene, tu. — Ínterim,
Meus óculus, da mihi sávium, dum illic bibet.
Prostíbuli est autem, stántem stanti sávium
Dare amícum amicae! *ST.* Euge, eúge! — Sic furí datur!
[Quid igitur? Quamquam gravatus: non nocuit tamen.]
SA. Age, iam ínfla buccas. *ST.* Núnc ïam aliquid suáviter.
Redde cántionem véteri pro vinó novam.
SA. Qui Iónicus aut cinaédicus, qui hoc tále facere póssiet?
Si istóc me vorsu víceris, alió me provocáto!
Fac tu hóc modo! *ST.* At tu hóc modo! *SA.* Babaé! *ST.* Tatae!
SA. Papaé! *ST.* Pax!
SA. Nunc páriter ambo. Omnés voco cinaédos, contra stétis!
Satis ésse nobis nón magis potis ést, quam fungo ímber.
ST. Intro hínc abeamus núnc ïam: saltátum satis pro víno est.
Vos, spéctatores, plaúdite atque ite ád vos comissátum.

15. *pruriam*, saltando me ipsum quoque agitem. Cf. v. 20.

18. *consuetus antehac*, videlicet paullo ante quam biberet.

19. *cinaedicam*, i. e. saltatoriam. Nam cinaedi vocabantur saltatores. V. Mil. 3, 1, 73 interprete Nonio. Igitur nequaquam turpis subest hic significatio; quemadmodum et infra cinaedicus cum Ionico sc. saltatore coniungitur.

20. *Inde huc aquam*, h. e. Infunde aquam, Stiche, in hoc poculum, quod dabo tibicini.

21. *Tene tu* sc. tibicen, *hoc*, sc. poculum. *educe*, bibe. Iam autem bibit tibicen haud cunctanter, et audacior quam antea biberat. Ergo addit: Placuit ei sine dubio potio dudum h. e. paullo ante; iam enim minus gravate bibit. Vulg. *dudum haud*. Sed illud *haud* nusquam legitur, et abest a vett. et Pall.

22. *Tene tu*, sc. Stiche, poculum.

23. *illic*, sc. Stichus.

24. Edd. *Prostibili*. Fortasse integer locus a v. 24 usque ad v. 26 insititius, nec a poeta profectus.

25. *Euge* etc. Haec in edd. eidem Sagarino tribuuntur.

26. Certe hunc vs. spurium esse, dubium nullum esse debet. Dudum enim biberat tibicen.

29. Sensus: Quis nobis melius saltat?

30. *viceris* sc. o Stiche.

32. Verbum *stetis* Bothius in fine versus addidit. Nam Veneta: *Nunc pariter ambo: omnis voco: cinaedus contra staticulis stare Nobis non magis potis est, quam fungus imbri.* — Pall. *q. fungo imber*.

35. Vett. et Ven. *ad nos*. Vulg. *ad vos*. Atque cf. Rud. fin.

METRORUM IN STICHO

DESCRIPTIO.

Act. I. Sc. I. 1—9 Anapaësticl.
v. 10, 11 anapaestico-iambici.
v. 12 dipod. iamb. hyperm.
v. 13—48 anapaestici.
v. 49—58 senarii iamb.
Act. I. Sc. II. tetram. troch. catal.
Act. II. Sc. I. senar. iamb.
Act. II. Sc. II. v. 1 tetr. iamb. acatal.
v. 2 tetr. iamb. hyperm.
v. 3, 4 tetr. troch. acat.
v. 5, 6 tetr. iamb. acat.
v. 7 tetr. iamb. hyperm.
v. 8 tetr. iamb. acat.
v. 9 tetr. iamb. hyperm.
v. 10—17 tetr. iamb. acat.
v. 18, 19 tetr. iamb. hyperc.
v. 20 tetr. troch. catal.
v. 21—26 tetr. iamb. acatal.
v. 27 senar. iamb.
v. 28 tetr. iamb. acat.
v. 29 tetr. troch. acat.
v. 30—35 tetr. iamb. acatal.
v. 36—43 anapaestici.
v. 44—49 anacreontici.
v. 50, 51 anapaestici.
v. 52—56 anacreontici.
Act. II. Sc. III. 1, 2 senarii iamb.
v. 3—5 tetr. troch. acatal.
v. 7—76 tetr. troch. catal.
Act. III. Sc. I. II. senarii iamb.
Act. IV. Sc. I. II. tetr. troch. catal.
Act. V. Sc. I. II. senar. iamb.
Act. V. Sc. III. tetr. iamb. catal.
Act. V. Sc. IV. tetr. troch. catal.
Act. V. Sc. V. 1—20 tetr. troch. catal.
v. 21—28 senarii iamb.
v. 29 tetr. iamb. acatal.
v. 30—35 tetr. iamb. catal.

TRINUMUS.

DRAMATIS PERSONAE.

LUXURIA.
INOPIA.
MEGARONIDES, senex.
CALLICLES, senex.
LYSITELES, filius Philtonis.
PHILTO, senex.
LESBONICUS, iuvenis, f. Charmidis.
STASIMUS, Lesbonici servus.
CHARMIDES, pater Lesbonici.
SYCOPHANTA.

SUMMARIUM.

Charmides quum ad mercaturam proficisceretur, Callicli amico suo demandaverat curam rei suae familiaris et filii sui prodigi Lesbonici, et filiae, relictumque simul in aedibus suis defossum thesaurum. Absente per aliquot dies Callicle, Lesbonicus vendere constituit aedes paternas. Quod quum comperisset rediens Callicles, ipse eas emit, ne thesaurus iste in alius veniret potestatem. Eam ob rem malus de eo rumor obtinebat. Unde eum Megadorus senex quum castigare velit, edocetur ab eo omnem rem. Lysiteles autem, Philtonis filius, ut amico suo Lesbonico consulat, ducere eius sororem constituit, impetratque a suo patre, hic ut ipse eam petat a Lesbonico, et quidem indotatam. Quod, licet aegre, tamen impetrat Philto a Lesbonico. Indignatus autem Callicles, indotatam dari virginem, consilio Megaronidis sycophantam aliquem, tribus numis conductum, subornat, qui, tamquam a patre Charmide missus, et litteras ad Lesbonicum, et alteras ad Calliclem cum numis apportet. Is igitur venit; sed eodem tempore redit etiam Charmides ipse, et illi supposito suo nuntio occurrit. Agnoscit omnem rem, condonat filio, sua recipit, et nuptias filiae cum Lysitele confirmat.

(Scena est Athenis.)

ARGUMENTUM.

Thesaúrum abstrusum ábiens peregre Chármides
Remque ómnem amico Cállicli mandát suo.
Istóc absente mále rem perdit filius:
Nam et aédis vendit. Hás mercatur Cállicles.
Virgo indotata sóror istius póscitur.
Minus quó cum invidia éi det dotem Cállicles,
Mandát, qui dicat, aúrum ferre se á patre.
Ut vénit ad aedis, húnc déludit Chármides
Senéx, ut rediit; quóius nubunt liberi.

PROLOGUS.

LUXURIA. INOPIA.

Lu. Sequere hác me, gnata, ut múnus fungarís tuum.
In. Sequór; sed, finem fóre quem dicam, néscio.
Lu. Adést: hem, illae sunt aédes! I intro núnc iam.
Nunc, né quis erret vóstrum, paucis in viam
Dedúcam, si quidem óperam dare promíttitis.
Nunc ígitur primum, quae égo sim, et quae illaéc siet,
Huc quae ábiit intro, dícam, si animum advórtitis.
Primúm mihi Plautus nómen Luxuriae índidit;
Tum hánc mihi gnatam ésse voluit Ínopiam.

Prologus. v. 1. Sic antiquae edit. Nonii, cum recc. habeant: *Sequere me hac, nata, ut munus tuum fungaris.* At vulg. *Sequere me, mea gnata*, uti et Pall. — Vett. *Sequere, mea gnata.* Hermannus: *Sequere hac, mea gn.* Cf. Epid. V, 1, 50. — Ceterum hunc prologum pro argumento admodum exilem et ipsum inopiosum esse minimeque luxuriantem ingenio venave poetica, quivis sentiet, qui veram crisin adhibere voluerit. Post magna enim prooemia vv. 6 et 11. pauca tantum et exilia sequuntur; de argumento autem vero, deque personis sequentibus nihil. Id quod tamen magnopere opus fuisset ad rem melius rectiusque perspiciendam.

2. *finem fore quem dicam*, h. e. quo me ducas.

4. *ne quis erret*, ne incerti sitis. V. Mil. 2, 1, 72. III, 1, 196. *in viam deducam*, certiores vos faciam. Pergit autem in metaphora et facit allegoriam.

5. *operam dare*, sc. auscultando, si attendere volueritis.

6. Sic V. C. — Vulg. et Decurt. *Nunc primum igitur.* Pro *illaec* vulg. et cdd. *illa haec*, uti aliis locis multis. — *sim* ne elidas.

9. Vulg. *Tum hanc mihi gnatam esse voluit Inopiam.* Lambinus sic: *Tum mihi natam hanc is esse voluit Inopiam.* Decurtatus: *Tum mihi hanc gnatam gratam esse voluit Inopiam*, ex quo Pareus dedit: *Tum m. h. gnatam gnatam esse v. I.* optimo versu, (quamquam ignorante Pareo,) siquidem *esse*, ut centies, est monosyllabum. Nam vulgata lectio hoc habet incommodi, ut et tum non sit elidendum, et aut *gnatam* plene

Sed, ea húc quid introíerit impulsú meo,
Accípite et date vacívas auris, dum éloquor.
Aduléscens quidam est, quí in hisce habitat aédibus;
Is rém paternam me ádiutrice pérdidit.
Quoniam éi, qui me aleret, níhil video esse réliqüi,
Dedí meam gnatam, quícum aetatem éxigat.
Sed, de árgumento ne éxspectetis fábulae,
Senés, qui huc venient, hí rem vobis áperient.
Huic nómen graece ést Thesauro fábulae;
Philémo scripsit; Plaútus vortit bárbare,
Nomén Trinumo fécit. Nunc hoc vós rogat
Ut líceat possidére hanc nomen fábulam.
Tantúm est. Valete! adéste cum siléntio!

ACTUS I. SCENA I.

MEGARONIDES.

Nae amícum castigáre ob meritam nóxiam,
Immoéne est facinus; vérum in aetate útile
Et cónducibile. Nám ego amicum hodié meum
Concástigabo pró commerita nóxia,
Invítus, ni id me invítet ut faciám fides.
Nam hic nímium morbus móres invasít bonós.
Ita plérique omnes iám sunt intermórtui.
Sed, dum ílli aegrotant, ínterim morés mali,
Quasi hérba inrigua, súccrevere ubérrume,
Neque quídquam hic vile núnc est, nisi morés mali;
Eorúm licet iam méssem metere máxumam;

legendum aut in *mihi* ictus ponendus. Ceterum ad consecutivam *tum* desideratur quodammodo *autem*, solitum addi in tali figura. Quod si substituas alteri illi *gnatam* Parei, hunc dederis versum et sensu et rhythmo perbonum: *Tum mihi hanc autem nátam esse voluit ínopiam.*

14. *qui me aleret*, i. e. quo me aleret, i. quomodo me aleret, ut aleret.

16. *ne exspectetis* sc. a me narrationem.

19. *barbare*, i. e. latine. Cf. Capt. 3, 1, 32. Asin. prol. 11. Cas. 3, 6, 33. Most. 3, 2, 144. Poen. 3, 2, 21.

20. Constr. Nunc vos rogat, ut liceat hanc fabulam hoc nomen possidere. Ergo non interpungendum post *rogat*.

22. *Tantum est*, sc. quod vobis volui exponere, neque amplius; haec sufficiant. Cf. Cas. prol. 87. Merc. 2, 2, 12.

Act. I. Sc. I. Declarat Meg., se velle castigare Calliclem, quod is emerit amici aedes.

1. Sic vulg. In vett. deest *Nae*. Veneta versum habet in fine corruptum: *ob merita mala noxia*, ut fere cod. Pal. Bothius: *ob merita, nunc male Immoene c. f.* ut *male* sit i. q. *valde*. — Pall. .... *e amicum c. ob merita non mala noxia*. V. C. *ob meritam non mala noxiam*. Cf. vs. 4.

2. *immoene*, *ein undankbares Geschäft*. Pall. *immene*. Vett. et vulg. *immune*. Cf. Merc. prol. 104. *Dico eius pro meritis gratum me et munem fore.* De alio significatu verbi *immunis* vide II, 2, 73. ubi *immunis* i. e. q. illiberalis. — Festus, citato loco nostro, interpretatur: *improbum*. — Citat locum Cicero de Invent. lib. II. Cf. ad Herenn. lib. IV. *in aetate*, i. e. in vita. suppl.: *interdum*.

5. Edd. *ni me id*.

6. *hic morbus*, habendi cupido, ob quam vult castigare amicum.

7. *omnes* sc. boni mores.

8. *illi* sc. boni mores.

9. Codd. *succreverunt*; ex quo quidam dedere: *succrerunt*.

10. *vile*, facile habendum.

Nimióque hic pluris paúciorum grátiam
Faciúnt pars hominum, quam íd, quod prosit plúribus.
Ita víncunt illud cónducibile grátiae,
Quae in rébus multis óbstant odiosaéque sunt
Remorámque faciunt réi privatae et públicae.

ACTUS I. SCENA II.

CALLICLES. MEGARONIDES.

Ca. Larém corona nóstrum decorarí volo.
Uxór, venerare, ut nóbis haec habitátio
Bona, faústa, felix, fórtunataque évenat, —
Teque út, quam primum póssit, videam emórtuam.
Me. Hic ille ést, senecta aetáte qui factúst puer,
Qui admísit in se cúlpam castigábilem.
Aggrédiar hominem. *Ca.* Cúia vox prope mé sonat?
Me. Tui bénevolentis, síd ita es, ut egó volo;
Sin áliter es, inimíci atque iratí tibi.
Ca. O amíce, salve, átque aequalis! Út vales,
Megarónides? *Me.* Et tu édepol salve, Cállicles.
Valén'? valuistin'? *Ca.* Váleo et valui réctius.
Me. Quid agít tua uxor? út valet? *Ca.* Plus, quam égo volo.
Me. Bene hércle est, illam tibi béne valere et vívere.
Ca. Credo hércle, te gaudére, si quid míhi male est.
Me. Omníbus amicis, quód mihi est, cupio ésse idem.
Ca. Ehó, tua uxor quíd agit? *Me.* Immortális est:
Vivít victuraque ést. *Ca.* Bene hercle núntias,
Deosque óro, ut vitae túae superstes súppetat.

14. Sensus: Ita, quod vere utile est, omittunt, et gratiam (v. 12) sectantur pauciorum, quae gratia rei et publicae et privatae multis in rebus obstat. *Gratia*, *Gunst*, *Einfluss*, ut saepenumero in Cicerone.

Act. I. Sc. II. Prodiens Callicles ex aedibus [illegible] emtis, intus adhuc loquitur [illegible]ore; deinde Megaronidem loquentem [illegible]iens, alloquitur; et primo inter se locantur de uxoribus. — 29. Deinde aperit illi Megaronides de malo vulgi rumore, in quem incurrerit ob aedes emtas. — 61. Tum rem omnem narrat, ut sese habent, Callicles. Ac primum, se aedes emisse fatetur. Quare quoniam acriter eum carpit Megaronides — 102, cur id fecerit, aperit; nimirum ne thesaurus quoque una cum aedibus in aliorum potestatem veniret. Hunc se aut redeunti Charmidae redditurum, aut filiae eius in dotem daturum. — 122. Ergo mutatur iam Megaronidae de eo sententia. — 151. Denique discit Megaronides ex illo, Lesbonicum sibi posticulum in aedibus exemisse, ubi habitet; sororem autem illius apud ipsum Calliclem habere; introit ad se Megaronides. — 161. Callicles de scurris urbanis disserit, et de iis qui temerario falsos rumores spargant.

2. *venerare*, sc. Larem, precare.

3. *evenat*. Sic Hermannus et Bothius et Goellerus. — Edd. *eveniat*.

4. *possit*, Edd. *possim*. Suppl. *fieri*.

5. *puer*, sc. ut sit castigandus.

8. Apparet legendum *sid* addito *d* ephelcystico.

10. *ut vales?* i. e. quomodo vales?

12. *rectius* i. e. bene. Nam solemnis est responsio *recte*, interroganti *ut vales?* Cf. V, 3, 3. V. ind. v. *recte*.

13. Hic omnis de uxoribus locus, uti et ipse vs. 4 ab re alieni sunt et fortasse aliorum suasu potius quam a poeta ipso sponteque adiecti. Qui enim serio aliquem castigaturus est, non exorditur ab eiusmodi ridicularis.

14. *illam* monosyllabum, uti saepe.

Me. Dum quidem hércle tecum núpta sit, sané velim.
Ca. Vin' cómmutemus? túam ego ducam et tú meam?
Faxo haúd tantillum déderis verborúm mihi.
Me. Namque énim tu, credo, mi imprudenti obrépseris.
Ca. Nae tu hércle faxo haúd scies. quam rem égeris.
Me. Habeás, ut nactus: nóta mala res óptuma est:
Nam ego núnc si ignotam cápiam, quid agam, nésciam.
Edepól proinde ut bene vívitur, diu vívitur.
Sed hoc ánimum advorte, atque aúfer ridiculária:
Nam ego dédita opera huc ád te advenio. *Ca.* Quíd venis?
Me. Malís te ut verbis múltis multum obiúrgitem.
Ca. Men'? *Me.* Númquis est hic álius praeter me átque te?
Ca. Nemó est. *Me.* Quid igitur régitas, tene obiúrgitem,
Nisi túte mihi me cénses dicturúm male?
Nam si ín te aegrotant ártes antiquaé tuae,
Sive ímmutare vís ingenium móribus,
Aut sí demutant móres ingeniúm tuum,
Neque eós antiquos sérvas, ast captás novos:
Omníbus amicis mórbum tu incutiés gravem,
Ut té videre audíreque aegroti sient.
Ca. Qui in méntem venit tíbi, istaec dicta dícere?
Me. Quia omnés bonos bonásque accurare áddecet,
Suspícionem et cúlpam ut ab se ségregent.
Ca. Non pótest utrumque fíeri. *Me.* Quapropter? *Ca.* Rogas?
Ne admíttam culpam, ego méo sum promus péctori;
Suspício est in péctore alienó sita.
Nam núnc ego si te súbripuisse súspicer
Iový coronam dé capite e Capitólio,
Quod in cúlmine adstat súmmo; si id non féceris,
Atque íd tamen mihi lúbeat suspicárier:
Qui tu íd prohibere mé potes, ne súspicer?
Sed istúc negoti scíre cupio, quídquid est.
Me. Habén' tu amicum aut fámiliarem quémpiam,
Quoi péctus sapiat? *Ca.* Édepol (haud dicám dolo)
Sunt, quós scio esse amícos; sunt, quos súspicor;
Sunt, quórum ingenia atque ánimos non queo nóscere,

22. Sensus: Existimo me non fraudatum iri in hac commutatione. Existimo me lucrum esse facturum. De constr. *faxo* v. 184.

23. Vulg. et Pall. *Namque enim.* Vett. *Numquam enim tu, cr.* At oratio ironica; quare vulgatam restitui.

24. Sensum puto: Credo te aliquando sciturum, quam rem haud feceris, i. e. omiseris facere hodie. Poenitebit te, non commutasse uxorem.

25. *ut nactus* i. e. quam nactus es.

26. *quid agam*, quomodo cum illa sit mihi agendum.

27. Neque hic versus quoad sensum ad rem pertinet, aut consentaneus est reliquis.

29. Fortasse ergo, omisso toto de uxoribus loco legendum: *Ego dedita op.*

33. Sensus: stultum est, te rogare, an te obiurgitem, quum nemo praeter nos duos adsit. An tu censes, me obiurgare velle me ipsum? Et sane, dum tibi male dico, (h. e. te carpo,) mihi quodammodo ipsi male dico. Nam cuius aegrotat amicus, is ipse etiam quodammodo aegrotat.

52. *Habesne*, i. e. Nonne tu habes amicum, sc. qui tibi possit aperire, ubi peccaveris?

55. Vulg. et Pall. *non possum no-*

Ad amíci partem an ád inimici pérveniant:
Sed tu éx amicis cértis mi es certíssimus.
Si quíd scis me fecísse inscite aut ímprobe:
Si id nón me accusas, tu ípse obiurgandús. *Me.* Scio.
Et, si ália huc causa ad te ádveni, aequom póstulas.
Ca. Expécto, si quid dícas. *Me.* Primumdum omnium
Male díctitatur tíbi volgo in sermónibus;
Turpílucricupidum té vocant civés tui;
Tum autém sunt alii, quí te volturiúm vocant:
Hostésne an cives cómedis, parvi péndere.
Haec quom aúdio in te díci, excruciór miser.
Ca. Est átque non est mi ín manu, Megarónides:
Quin dícant, non est; mérito ut ne dicánt, id est.
Me. Fuitne híc tibi amicus Chármides? *Ca.* Est ét fuit.
Id ita ésse ut credas, rém tibi auctorém dabo.
Nam póstquam hic eius rém confregit fílius,
Videtque ípse ad paupertátem protractum ésse se,
Suámque filiam ésse adultam vírginem,
Simul éius matrem súamque uxorem mórtuam:
Quoniam hínc iturus ést ipse in Seleúciam,
Mihi cómmendavit vírginem gnatám suam,
Et rém suam omnem et íllum corruptum fílium.
Haec, sí mihi inimicus ésset, credo, haud créderet.
Me. Quid tu? ádulescentem, quem ésse corruptúm vides,
Qui túae mandatus ést fidéi et fidúciae,
Quin éum restituis? quín ad frugem córrigis?
Ei rei óperam dare te fúerat aliquanto aéquius,
Si quí probiorem fácere possis; nón, uti
In eándem tute accéderes infámiam,
Malúmque ut eius cúm tuo miscerés malo.
Ca. Quid féci? *Me.* Quod homo néquam. *Ca.* Non istúc meum est.
Me. Emístin' de adulescénte has aedis? — quíd taces?
Ubi núnc tute habitas? *Ca.* Émi atque argentúm dedi,
Minás quadraginta, ádulescenti ipsi ín manum.

scere. At vett. omittunt *Sunt* ab initio. — Pro *non possum* dedimus *non queo*, ut quae saepius permutata inter se. Hermannus: *Sunt, quorum haud possum ingenia atque animos noscere.* Bothius: *sunt q. ingenium atque animus non pote noscier.* Cf. II, 4, 103. *non quit dicere.*

56. Vulg. *perveniant*, V. C. *pervenat.* vett. *perveniat.*

59. Vulg. *Si id me non acc. — obiurgandus*, scil. es. Verbum autem auxiliare praes. et altera et tertia persona, ut notissimum, saepissime omittitur. Cf. ind. *es omissum.*

60. Et recte dicis me obiurgandum esse, si nimirum nunc alia causa ad te advenissem. At ego hanc ipsam ob causam adveni, ut te accusarem. Ergo non sum obiurgandus, tuque non aequum postulas, quum postulas, (h. e. ais,) me esse obiurgandum.

65. *comedis* pro *comedas*, ut *edit* pro *edat*, Capt. 3, 1, 1. 3. Aul. 4, 6, 6. Poen. 5, 6, 5. *Hostis* autem est i. q. peregrinus. Cf. Mil. 2, 5, 40. Asin. I, 3, 20. et II, 2, 110.

66. Pall. *dicis.* Vulg. *dicier.* Aut non elidendum, aut leg. *dicid.*

67. *in manu*, h. e. in potestate mea situm, alterutrum impedire.

82. *rei* totum eliditur. Cf. indic. s. v. *rei totum elisum.* Et cf. v. 105. *fidei.*

83. Debebas tu experiri, an posses eum probiorem facere aliquo modo.

Me. Dedísti argentum? *Ca*. Fáctum, neque factí piget.
Me. Edepól fidei adulescéntem mandatúm malae!
Dedistín' hoc pacto ei gládium, qui se occíderet?
Quid sécus est, aut quid ínterest, dare te ín manus
Argéntum amanti homini ádulescenti, animi ímpoti,
Qui exaédificaret suam ínchoatam ignáviam?
Ca. Non égo illi argentum rédderem? *Me*. Non rédderes,
Neque de íllo quidquam néque emeres neque vénderes,
Nec, quí deterior ésset, faceres cópiam.
Incónciliastin' éum, qui mandatúst tibi?
Ille, quí mandavit, eum éxturbasti ex aédibus?
Edepól mandatum púlcre, et curatúm probe!
Crede huíc tute: suam iám rem melius gésserit.
Ca. Subigís maledictis mé tuis, Megarónides,
Novó modo adeo, ut, quód meae concréditum est
Tacitúrnitati clám, fidei et fidúciae,
Ne enúntiarem quoíquam neu facerém palam,
Ut míhi necesse sít iam id tibi concrédere.
Me. Mihi quód credideris, súmes, ubi posíveris.
Ca. Circúmspicedum te, né quis adsit árbiter
Nobís, et quaeso idéntidem, circúmspice.
Me. Auscúlto, si quid dícas. *Ca*. Si taceás, loquar.
Quoniám profectus hínc est peregre Chármides,
Thesaúrum mihi demónstravit in hisce aédibus,
Hic ín conclavi quódam .... Sed circúmspice.
Me. Nemó est. *Ca*. Numorum Philíppeum ad tria míllia.
Id sólus solum pér amicitiam et pér fidem
Flens me óbsecravit súo ne gnato créderem,
Neu quóiquam, unde ad eum id pósset permanáscere.

91. Ad *fidei* cf. vs. 105. et 82

92. *Dedistine*. Sic vulg. et vett. neque id mutandum, quum recte se versus habeat. Etenim *dedistine* tribus syllabis legendum, quasi vel *destine* vel *d'distine*, uti saepenumero *dedisse*, *dedi* etc. Cf. Bacch. 4, 3, 51. Men. 4, 3, 15. Cist. 1, 3, 34. II, 3, 29. Amph. 2, 2, 138. Asin. 4, 1, 7. Curc. 2, 3, 66. Men. 3, 2, 43. Poen. 1, 3, 7. Pseud. 4, 2, 33.

95. *qui* positum pro *quo*, h. e. ut. *ignavia* i. e. q. mali mores. Most. 1, 2, 53. Merc. 3, 4, 77. Ii comparantur aedificio inchoato, uti similis comparatio morum hominis cum aedificio Most. I, II. Sensus ergo: ut is magis in dies perdatur et corrumpatur.

96. *redderem* i. e. exhiberem in manus eius.

99. *Inconciliastine*, h. e. lucrum ab eo tibi quaesivisti, per dolum decepisti; sive, ut interpretatur Goellerus: malam rem ei et damnum conciliavisti. Incertus fluctuat Festus: *comparasti*, *commendasti*, *vel*, *ut antiqui: per dolum decepisti*. Vide quae diximus ad Bacch. 3, 6, 22. Cf. et Most. 3, 1, 81 et Pers. 5, 2, 58.

100. *Ille* per attractionem pro *illum*, quod ipsum habent vett. — *eum* integrum liquescit.

102. *huic* sc. Callicli. *suam*, supple: *non tuam*. — *iam* est i. q. *brevi*, ut crebro. V. Ind.

103. *Subigis*, cogis me, ut tibi eloquar, quod tacendum mihi absque hoc esset.

108. *sumes*, tuto recipies. *ubi posiveris*, ex eodem loco, quo collocaveris illud. Dictione ab re argentaria desumta. Simile vide Mil. 2, 2, 81.

109. *Circumspice te* coniungenda videntur. Cf. IV, 2, 21. Non igitur *te* ad *quaeso* referendum. — *arbiter* est spectator, testis, uti Capt. 2, 1, 28.

111. *si quid dicas* i. e. q. an quid sis dicturus, h. e. quid sis dicturus.

112. *quoniam* i. e. q. quum.

Nunc si ílle huc salvos révenit: reddam súom sibi;
Si quíd eo fuerit, cérte illius filiae,
Quae míhi mandata est, hábeo dotem únde dem,
Ut eam ín se dignam cónditionem cóllocem.
Me. Proh di ímmortales, vérbis paucis quám cito
Aliúm fecisti me, álius ad te véneram!
Sed ut óccepisti, pérge porro próloqui.
Ca. Quid tíbi ego dicam, qui íllius sapientiam
Et méam fidelitátem et celata ómnia
Pene ílle ignavus fúnditus pessúmdedit?
Me. Quidúm? *Ca.* Quia, rure dúm sum ego unos séx dies,
Me abséute atque insciénte, inconsultú meo,
Aedés venales hásce inscribit líteris.
Me. Adésurivit [magis] ét inhiavit ácrius
Lupus; óbservavit, dúm dormitarét canes;
Gregem úniversum vóluit totum avórtere.
Ca. Fecisset edepol, ni haéc praesensissét canes.
Sed núnc orare égo vicissim té volo:
Quid fúit officium méum me facere, fáce sciam.
Utrum índicare me éi thesaurum aequóm fuit,
Advórsum quam eius me óbsecravissét pater?
An ego álium dominum páterer fieri hisce aédibus?
Qui emísset, eius éssetne ea pecúnia?
Emi égomet potius aédis; argentúm dedi
Thesaúri causa, ut sálvom amico tráderem;
Neque ádeo hasce emi míhi neque usuraé meae;
Illí redemi rúrsum, a me argentúm dedi.
Haec súnt, seu recte seú pervorse fácta sunt,
Egomét fecisse cónfiteor, Megarónides.
Hem meá malefacta! hém meam avaritiám tibi!
Hascíne me propter rés maledicta dífferunt?
Me. Pausá, Vicisti cástigatorém tuum;
Occlústi linguam! níhil est, qui respóndeam.
Ca. Nunc égo te quaeso, út me ópera et consilió iuves
Commúnicesque hanc mécum meam provínciam.
Me. Pollíceor operam. *Ca.* Ergo úbi eris paulo póst? *Me.* Domi.
Ca. Numquíd vis? *Me.* Cures túam fidem. *Ca.* Fit sédulo.
Me. Sed quíd ais? *Ca.* Quid vis? *Me.* Úbi nunc adulescéns habet?
Ca. Postículum hoc recépit, quom aedis véndidit.

118. *ad eum*, ad filium. *permanascere*, notitia eius rei ad eum pervenire.
120. *Si quid eo fuerit*, si quid de eo actum fuerit, si quid ei acciderit, si perierit in itinere.
122. *conditionem*, matrimonium. Cf. Aul. 3, 5, 2 et Stich. 1, 1, 52.
124. *alius* puto dictum pro: *atque*, mutatione quadam constructionis facta.
126. *qui*, i. e. quemodo, uti.
128. *ignavus*, perditus, prodigus.
132. *magis* in omnibus legitur, nullo sensu.
133. *canes* pro *canis*. Most. 1, 1, 40.
134. Cdd. *universum*. Both. *universim*. Pro vulg. *totum* Acid. et Herm. *secum*.
139. *advorsum quam* i. q. contra atque.
145. *Illi*, Charmidae.
150. *Pausa*, imperat. a v. *pausare*.
157. *posticulum* est diminutivum v.

Me. Istúc volebam scíre. I sane núnc iam.
Sed quíd ais? *Ca.* Quid? *Me.* Nunc vírgo nempe apud té est?
Ca. Ita est;
Iuxtáque eam curo cúm mea. *Me.* Recté facis.
Ca. Num, priúsquam abeo, mé rogaturús? *Me.* Vale. —
Nihil ést profecto stúltius, nec stólidius,
Neque méndaciloquiús, neque argutúm magis,
Neque cónfidentilóquius, neque periúrius,
Quam urbáni assidui cíves, quos scurrás vocant.
Atque égomet me adeo cum íllis úna ibidém traho,
Qui illórum verbis fálsis acceptór fui,
Qui omnía se simulant scíre, nec quidquám sciunt;
Quod quísque in animo hábet aut habiturúst, sciunt;
Sciunt íd, quod in aurem réx reginae díxerit;
Sciúnt, quod Iuno fábulata est cúm Iove;
Quae néque futura, neque fácta sunt, tamen ílli sciunt;
Falsón' an vero laúdent, culpent, quém velint,
Non flócci faciunt, dum íllud, quod lubeát, sciant.
Omnés mortales húnc aiebant Cálliclem
Indígnum civitáte hac esse [et] vívere,

posticum, quod sign. aediculam, quae est post aedes s. in posteriore parte aedium, *ein Hinterhaus*. — *recepit* i. q. excepit in venditione. Vid. Gell. Noct. Att. 17, 6, 7 et Nonius v. *recipere* et *receptitium*.

159. Quaestio *Quid ais?* et hic, uti supra et aliis locis, facit transitum ad aliam rem, quam vult exquirere ex Callicle. De qua re vid. Ind.

165. *scurrae* Plauto sunt cives urbani et elegantes, nulla plerumque adiuncta improbitatis notione. Cf. Curc. 2, 3, 17. Truc. 2, 6, 10. Poen. 3, 2, 35. V, 5, 2. Most. I, 1, 14. Epid. 1, 1, 13. — *assidui*. Singularis huius vocabuli interpretatio legitur apud Gellium 16, 10, 15: *Assiduus in duodecim tabulis aut pro locuplete et facile munus faciente dictus, ab assibus, id est, aere dando, cum id tempora reipublicae postularent; aut a muneris pro familiari copia faciendi assiduitate.* Quam eandem sign. et Cicero habet lib. II. de Republ. et idem Top. cap. 2. fin.

166. *me ibidem traho.* Recurrit haec dictio infra, II, 4, 10 ubi est: *Quid? quod dedisti scortis?* Resp. *Ibidem una traho.* Apparet ergo, solemnem fuisse dictionem: *ibidem trahere aliquid*, in rationibus computationibusque faciendis, a qua re h. l. transfertur ad notionem accensendi in universum. Sensus enim hic est: me quasi illis accenseo, me adnumerari illis patior.

167. *verbis falsis* dativus est pro genitivo, uti crebro in Plauto. Cf. Amph. prol. 66 et 68 et 85 et ib. I, 1, 159. V, 1, 43. Asin. II, 4, 20. V, 1, 4. Mil. I, 1, 1. IV, 1, 9. V, 38. Cf. Ind. sub v. Dativus.

170. *Sciunt id.* Sic vulg. atque *Scio* saepenumero tamquam monosyllabum enunciatur. In vett. deest *Sciunt* ab initio huius versus. *Rex* et *regina* an veri reges hic sint, an patronorum aliqui et divitum intelligendi, valde incertum. Nam parasiti patrones suos reges vocitare solebant. V. Ind. v. *Rex*.

172. Sic edd., atque versus constabit, modo haec teneamus: in iunctura *neque* — *neque* alterum *neque* saepe aut ut *ne* proferri, aut plane omitti, quemadmodum et simile quiddam evenit coniunctioni *sive* — *sive*, quarum posterior saepius tamquam *si* enunciatur. Deinde, notissimum, *illi* una syllaba proferendum. Ut igitur versus ita habeat: *Quae néque futura, n' fácta sunt, tamen íll' sciunt.* De illo *neque* altero eliso cf. Amph. I, 1, 5. Most. 2, 2, 22. Poen. 5, 6, 5. Pseud. I, 4, 7. Asin. I, 3, 22. Curc. 5, 1, 4 et quae ad ea loca notamus. Cf. et infra II, 2, 6. — Sed fortasse versus 170 — 172, sive adeo 169 — 172 suppositilii sunt. Certe illud *rex reginae* neque Atticum satis neque Romanum esse dixeris, nisi de patronis accipias.

176. Vett. Lamb. Both. *esse*, *vivere*. Vulg. *esse et vivere*. Pall. *esset vivere*. Quodsi omittas *et*, constructio possit esse: indignum esse hac civitate, Calli-

Boní́s qui hunc adulescéntem evortissét suis:
Ego de eórum verbis fámigeratorum, ínscius,
Prosílui amicum cástigatum innóxium.
Quodsi éxquiratur úsque ab stirpe auctóritas,
Unde quídque auditum dícant; nisi id appáreat,
Famígeratori rés sit cum damno ét malo;
Hoc íta si fiat, públieo fiát bono:
Paucí sint faxim, quí sciant quod néscinnt,
Occlúsioremque hábeant stultiloquéntiam.

ACTUS II. SCENA I.

LYSITELES.

Multás simitu rés in meó corde vórso;
Multum ín cogitándo dolórem indipíscor;
Ego mé concoquo ét macero ét defetígo;
Magíster mihi éxercitór animus húnc est.
Sed hóc non liquét neque satís cogitátum est,
Utrám potius hárunc mihi ártem expetéssam,
Utram aétati agúndae arbitrér firmiórem:
Amórine me án rei obsequí potius pár sit;
Utra ín parte plús sit volúptatis vítae
Ad aétatem agúndam.
De hac ré mihi satis haúd liquet; nisi hóc sic faciam, opínor:
Utrámque rem simul éxputem; iudéx sim reusque ad eám rem.
[Ita fáciam! ita placet!]
Ómnium primum Amóris artis éloquar quemadmódum expediant.
Núnquam Amor quemquam nísi cupidum hominem póstulat se in plagás coniicere;

ciem vivere, h. e. morte oportere puniri Callicem. Hermannus: *civitate hac et te vivere.* Goell. *civitate ac sese vivere.*

180. sqq. Sensus est: Quodsi ubique exquiratur, ex quo fonte hauserint, et, nisi fontem indicare possint, damnum patiantur et poenam dent, brevi pauciores puto futuros, qui sciant quod nesciunt.

181. Vulg. *quidquid.* Pall. *quicque.*

184. *faxim* v. Truc. I, 1, 43.

Act. II. Sc. I. Lysiteles, probus adolescens ac memor praeceptorum sui patris, de amore disserit, iis qui ei indulgeant, damnoso. Horum ergo consuetudinem esse vitandam. Ceterum consilium ille cepit, in matrimonium ducendi sororem Lesbonici, ut ita inopi amico subveniret.

1. Edd. *M. res simitu*, atque quaeritur, an non *simitu* media queat produci. Cf. Amph. 2, 1, 87. Nostr. Herm. Both. Lind. Goell.

3. Edd. *Egomet me.* Nostr. iidem.

4. *magister exercitor*, quasi aliquis progymnastes, qui me tamquam in gymnasio exercet. Simile quid v. Cist. I, 1, 59.

6. Sensus: utram rem utiliorem ducam ad vitam, amoremne, an rei familiaris studium.

8. *rei* in totum elidendum, ut *mei*, *ei* et alia.

9. Edd. *plus voluptatis sit.*

12. *exputem*, considerem nunc et expendam. Id quod facit in statim sequentibus.

13. Spuria haec, et ad exaggerationem rei fortasse ab histrione adiecta.

14. *expediant*, quo perducant. Constructio est: eloquar, quomodo expediant amoris artes. Ceterum Palmerius Spic. pag. 762 voluit legi *expetant*. Cf. Amph. I, 1, 20. I, 2, 33. I, 3, 23. II, 1, 45 etc. Vid. Ind.

15. Amor nonnisi cupidos homines

Éos cupit, eos cónsectatur; súbdole blandítur; ab re
Cónsulit, blandiloquéntulus, harpagó, mendax, cuppés, avarus,
Élegans, despóliator, latébricolarum hominúm corruptor,
Blándus inops, celáti indagátor: nam qui áb eo, quod amat,
[Quam] éxtempló sáviis sagittátis percússus est:
Íllico rés foras lábitur, líquitur.
„Dá mihi hoc, mél meum, sí me amas, si aúdes!"
Íbi ille cucúlus: „Océlle mi, fíat!
Ét istuc et si ámplius vís dari, dábitur."
Íbi illa pendéntem ferit: iam ámplius órat;
Nón sat id ést mali, ni ámplius étiam,
Quód bibit, quód comest, quód facit súmti.
Nóx datur: dúcitur fámilia tóta:
Véstispicae, unctor, aúri custos, flábelliferae, sándaligerulae,
Cántrices, cistéllatrices, núntii, renúntii,
Raptóres panis ét peni.
Fit ípse, dum illis cómis est,
Inóps amator.
Haec égo quom ago cum meo animo ét recolo,
Ubi quí eget, quam preti sít parvi:
Apagé te, Amor! non places! níl te utor.
Quamquam íllud est dulce, esse ét bibere;
Amor [amara] dát tibi satis quod aégre sit:

sectatur, eosque in retia sua conlicere studet. *Cupidi* sunt, in quibus sunt cupidines. *postulare se aliquid facere* est i. q. velle ac studere aliquid facere.

16. *ab re consulit.* Lambinus: „ea consilia capit, quae e re sunt, quae ad rem pertinent." Ast alii (ut Dousa expl. Plautt. IV, 22) *ab re* contrarium hic esse aiunt dictionis *e re*, ut sit: in damnum eorum, qui partes suas sequuntur. Atque sic Goell. et Lind.

17. *cuppes*, ventris studiosus.

18. *elegans* antiquitus dictus, qui nimis lecto amoenoque cultu victuque esset, teste Gellio XI, 2,

19. *celati* sc. argenti, quod huc usque celatum erat. Cdd. *celatum*.

20. Edd. *Quam extemplo.* De prosodia cf. Pers. 1, 1, 25.

22. Vulg. *si audes.* Vett. *sodes.* Utrumque i. e. q. si tibi placet.

23. *cuculi* vocabantur, qui lubidinibus dediti erant. Cf. Asin. V, 2, 84. 73.

25. *pendentem* tamquam in transenna avem *ferit*, lacessit, amplius etiam vulnerat sagittis.

26. Seneus: Non sat est amicae, quod antea dedit. Imo ultra haec etiam largiendum, quod illa edit aut bibit aut sumti facit.

28. Vett. et Pall. *nox datur*, ut et vulg. — Beth. *datur mox*, ut cohaereat cum praecedentibus. Tuenda est vulgata, ut sit sensus: Verum ubi demum nox datur amatori, tum vero inducuntur innumeri famuli famulaeque. *ducere* enim simplex est pro composito, ut saepe in Plauto et aliis. Vide nos in Indice ad Lucanum v. *Simplicia.* Non autem cogitandum de famulis in domum amatoris adductis. Non enim ad hanc adducuntur famuli, sed adducuntur in conclave puellae, ut largiatur iis aliquid amator. Atque hanc interpretationem unice esse veram, confirmat locus similis in Aulul. III, 5, 26 sqq. ubi v. 46. *Ducuntur. Datur aes* h. e. adducuntur in conclave; intromittuntur.

29. Vulg. *vestipicae.* Pall. *vestiplice.* Hermannus cum Nonio et Varrone lib. VI. *Vestipici.* Goell. *Vestiplicae.* Atque foeminas fuisse, haud absimile vero, *Garderobenaufseherinnen.* — *flabelliferae*, *Fächerträgerinnen.* Fiebant autem flabella ex pennis pavonum.

30. *renuncii*, ut illi *salutigeruli* Aul. 3, 5, 28.

32. *illis* sc. servis.

35. *Ubi qui eget*, h. e. quam parvi sit homo, sicubi aliquis eget.

38. V. *amara* suppositum esse facile patet.

Fugit fórum, fugat tuos cógnatos,
Fugat ípse a suo se cóntuitu;
Neque enim éum sibi amicum vólunt dici.
Mille modis amor ígnorandust, prócul adhibendust, ábstinendus:
Nám qui in amorem praécipitavit, péius perit, quam si sáxo saliat.
Ápage, sís, Amor!
Túas res tíbi habe.
Ámor, mihi amícus
Né fuas únquam!
Súnt tamen, quos míseros
Máleque habeas, quós tibi
Fécisti obnóxios.
Cértum est ad frúgem
Ápplicare ánimum,
Quámquam ibi ánimo
Grándis labos cápitur.
Bóni sibi haec éxpetunt:
Rém, fidem, honórem,
Glóriam et grátiam.
Hóc probis prétium est.
Éo mihi mágis lubet,
Cúm probis pótius, quam
Cum ímprobis vívere
Vánidicís.

ACTUS II. SCENA II.

PHILTO. LYSITELES.

Ph. Quo íllic homo foras sé penetravit ex aédibus? *Ly.* Pater, adsum. Ímpera, quod vis:
Néque tibi ero in mora, néque latebrose me ábs tuo conspectu óccultabo.
Ph. Féceris pár tuis céteris fáctis,
Pátrem tuom si pércoles pér pietátem.
Nólo ego cum ímprobis té viris, gnáte mi,

41. *Neque enim* etc. Haec referenda ad praec. *fugat tuos cognatos;* ut igitur interposita *fugat* — *contuitu* videantur esse supposititia, praesertim cum sint nihili.

42. *ignorandus*, i. fugiendus.

54. Vulg. *Labos grandis.* Versus similes cf. Pseud. 1, 3, 40 – 45.

Act. II. Sc. II. Aperit Lysiteles, se velle in matrimonium ducere sororem Lesbonici, idque a patre impetrat, qui ipse filius precatu promittit se illam a Lesbonico petiturum in matrimonium filio. Abit Lysiteles. Restat Philto.

1. *illic homo*, sc. meus filius. *se penetravit*, se proripuit. V. vs. 15. 37. — Versus sunt, quales 13—16 et qualis v. 23. cuiusmodi saepius ab initio canticorum ponuntur. Cf. Capt. 3, 4, 1. Et *penetravit* contractim est pronunciandum, quasi forma perfecta contracta: *penetrat*, quae haud uno loco apud Plautum obviam est. Ceterum Nonius in v. *penetrare* omittit praep. *ex*. — Porro *impera* pariter atque vs. seq. *in mora*, et v. 13 *quod manu*, facit trochaeum, ut alibi *alteram*, *prosperam* et similia, in quibus media *er* syllaba. Denique *neque*, *neque* tamquam *nec*, *nec* sunt legenda, aut ut *ne*, *ne*.

Neque ín via neque ín foro ullúm sermonem éxsequi.
Nóvi ego hoc séculum móribus quíbu' sit.
Málus bonum malum ésse volt, út sit sui símilis;
Turbánt, miscent morés mali, rapáx, avarus, ínvidus;
Sacrúm profanum, públicum privátum habent, hiúlca gens.
Haec dóleo; haec sunt, quae me éxcruciant;
Haec diés, noctes[que tibi] canto út caveas.
Quód manu nequeunt tángere, tantum fás habent, quo mánus abstineant;
Cétera rape, trahe, fúge, late! Lacrumás haec mihi, quom vídeo, eliciunt,
Quia égo ad hoc genus hominúm duravi. Quín prius me ad plurés penetravi?
Nam hí mores maiórum laudant; eósdem lutulant, quós collaudant.
Hísce ego te ártibus grátiam fácio
Neú colas, neú [tuum] ímbuas ingénium:
Meó modo et móribus vívito antíquis;
Quaé ego tíbi praecípio, ea fácito.
Níhil ego istós moror fátuos móres
Túrbidos, quís boni dédecoránt se.
Haéc tibi si mea impéria capesses, múlta bona in pectóre consident.
Ly. Sémper ego usque ad hánc aetatem ab íneunte adulescéntia
Túis servivi impériis servitútem, et praeceptís, pater.
Pro íngenio ego me líberum esse rátus sum; pro imperió tuom.
Méum animum tibi sérvitutem sérvire, aequom cénsui.
Ph. Quí homo cum animo inde áb ineunte aetáte depugnát suo,
Útrum ita se esse mávelit, ut eum ánimus aequom cénseat,

6. Sine dubitatione et hic quoque *neque*, *neque* tamquam *ne*, *no*, legenda. Cf. n. ad Amph. 1, 1, 5.

9. Mali homines mores perturbant atque miscent.

10. *hiulca*, avida, semper patens ad lucrum captandum.

11. Vulg. *Haec ego doleo*.

12. Vulg. *Haec dies noctesque tibi canto*, *ut c*.

13. Vulg. *non queunt*. Sensus: Ab hoc solum *fas* existimant manus abstinere, quod tangere manu non queunt.

15. *Quia*, i. e. quod. *duravi*, vixi. *ad plures*, i. mortuos. Cur non prius ad inferos descendi, quo mei coaevi iam descenderunt; seu in *locum communem*, uti est Cas. prol. 19.

16. *hi*, huius aetatis homines. *lutulant*, turpant, deformant.

17. *Gratiam facio alicui alicuius rei* est: dispenso aliquem ab aliqua re. Hic autem constructio: Gratiam facio, sc. tibi, ne his artibus te colas, nec ingenium tuum iis imbuas. *tuum* versus causa addidimus. — Goellerus: *Hisce ego de artib.*

20. *Quae ego tibi pr.* etc. Sic in omnibus haec leguntur, nec quidquam mutandum. Atque ego existimo, *tibi prae* esse posse loco cretici, qui haud raro occurrunt imminuti, ita ut pro longa brevis syllaba sit posita. Atque sic et vs. seq. *fatuos* posse loco cretici esse positum duco.

21. *fatuos mores*. Sic vulg. At vett. *facetos mores*. Et Pall. *faceos*.

23. *mea* in totum est elisione absorbendum. — *tibi* constructione ad *consident* trahendum. — *imperia* tamquam trisyllabum legendum.

25. Dativus pendet ab substantivo, uti Amph. I, 3, 21. Edd. *servitutem imperiis*. Transposui.

26. *pro imperio tuom*. Sic Lipsius ex cdd. quum al. et V. C. *pro imperio tuo* sequentibus iungant. Nostr. et Both.

28. *cum animo*, i. e. cum cupiditatibus.

29. *ut eum animus aequum censeat*, h. e. uti cupide velit eum esse.

Án ita potius, út parentes eum ésse et cognatí velint;
Si ánimus hominem pépulit, actum est: ánimo servit, nón sibi;
Si ípse animum pepulít: dum vivit, víctor victorúm cluet.
Tú si animum viciśti, potius quam ánimus te: est, quod gaúdeas.
Nímio satius ést, ut opust, te ita ésse, quam ut animó lubet.
Qui ánimum vincunt, quám quos animus, sémper probiorés cluent.
Ly. Ístaec ego mihi sémper habui aetáti tegumentúm meae,
Né penetrarem me úsquam, ubi esset dámni conciliábulum,
Né noctu irem obámbulatum, neú suom adimerem álteri:
Néu tibi aegritúdinem, pater, párerem, parsi sédulo.
Sárta tecta túa praecepta usque hábui mea modéstia.
Ph. Quid exprobras? Bene quód fecisti, tíbi fecisti, nón mihi.
Míhi quidem aetas ácta est ferme; túa istuc refert máxume.
Is probus est, quem poénitet, quam próbus sit et frugí bonae;
Qui ípsus sibi satís placet, nec próbus est nec frugí bonae.
Bénefacta benefáctis aliis pértegito, ne pérpluant.
Qui ípsus se contémnit, in eó est índoles indústriae.
Ly. Ób eam rem haec, pater, aútumavi, quía res quaedam est, quám volo
Égo me abs te exoráre. *Ph.* Quid id est? Véniam iam dare géstio.
Ly. Áduleseenti huic génere summo, amíco atque aequalí meo,
Mínus qui caute et cógitate súam rem tractavít, pater,
Béne volo ego illi fácere, si tu nón nevis. *Ph.* Nempe dé tuo?
Ly. Dé meo: nam quód tuom est, meum est: ómne meum est autém tuom.
Ph. Quíd is? egetne? *Ly.* Egét. *Ph.* Habuitne rem? *Ly.* Hábuit. *Ph.* Qui eam pérdidit?
Públicisne adfínis fuit an máritumis negótiis?
Mércaturamne án venales hábuit, ubi rem pérdidit?
Ly. Níhil istorum. *Ph.* Quíd igitur? *Ly.* Per cómitatem edepól, pater;
Praéterea aliquantum ánimi causa in déliciis dispérdidit.
Ph. Édepol hominem praédicatum férme familiáriter,
Quí quidem nusquam pér virtutem rém confregit, átque eget!
Níl moror eum tibi ésse amicum cum éiusmodi virtútibus.

31. *pepulit*, si libido eum subegit.

35. Constr. Semper ii probiores iudicantur, qui animum vincunt, quam ii, quos animus h. e. cupido sua vincit.

36. *tegumentum*, quasi clypeum quo tegar, et tutus sim a vitiis.

37. *damni*, h. e. in quo damnum, h. e. iactura rei familiaris, fit. Quod qui faciunt, h. e. qui sua prodigunt, vocantur *damnosi*.

40. *modestia* i. moderatione ac temperantia.

42. H. vs. citatur ab Cicerone ep. ad Attic. XII, 38 et ad Brut. 2.

43. *quem poenitet*, h. e. qui non sibi satis probus et frugi bonae videtur. V. Ind.

45. *ne perpluant*, *damit sie kein Loch bekommen, wo es durchregnen kann.* Etenim vetera benefacta, nisi novis cumulentur, obsolescunt et obliterantur.

47. *autumare* hic esse i. q. *dicere*, coll. ex Gellio, XV, 3.

51. *Nempe* monosyllabum, ut Epid. 3, 4, 13. Mil. 3, 3, 32. 48. II, 3, 66.

55. *venales* sc. servos.

58. Irascitur Philto quod Lysiteles tam familiariter de illo homine (Lesbonico) praedicaverit.

Ly. Quía sine omni málitia est, toleráre egestatem éius volo.
Ph. Dé mendico mále meretur, qui éi dat, quod edit aút bibat:
Nam ét illuc, quod dat, périit, et illi pródit vitam ad míseriam.
Nón eo hoc dico, quín, quae tu vis, égo velim et faciám lubens;
Séd ego hoc verbum quom illi quoidam díco, praemonstró tibi:
Út ita te aliorúm miserescat, né tui alios místereat.
Ly. Déserere illum et déiuvare in rébus advorsís pudet.
Ph. Pól pudere quám pigere praéstat, totidem lítteris.
Ly. Édepol (deum virtúte dicam, páter, et maiorum ét tua)
Múlta bona bene párta habemus: béne si amico féceris,
Né pigeat fecísse; ut potius púdeat, si non féceris.
Ph. Dé magnis divítiis si quid démas, plus fit, án minus?
Ly. Mínus, pater; sed cívi immuni scís quid cantarí solet?
Quód habes, ne habeas, ét illud quod nunc nón habes, habeás malum:
Quándoquidem nec tíbi bene esse pótes pati, neque álteri.
Ph. Scío equidem istuc íta solere fíeri; verum, gnáte mi,
Ís est immunis, quói nihil est, qui múnus fungatúr suom.
Ly. Deúm virtute habémus, et qui nósmet utamúr, pater,
Ét aliis qui cómitati símus benevoléntibus.
Ph. Nón edepol tibi pérnegare póssum quidquam, quód velis.
Quóius egestatém tolerare vís? Loquere audactér patri.
Ly. Lésbonico huic ádulescenti, Chármidai fílio,
Qui íllic habitat. *Ph.* Quí comedit, quód fuit, quod nón fuit?
Ly. Ne ópprobra, pater: múlta eveniunt hómini, quae volt, quaé nevolt.
Ph. Méntire edepol, gnáte, atque id nunc fácis haud consuetúdine:
Nám sapiens quidém pol ipse fíngit fortunám sibi:
Éo ne [multa], quae nevólt, eveniunt, nísi fictor malús siet.
Múlta est opera opús ficturae, quí se fictorém probum
Vítae agundae esse éxpetit. *Ly.* Sed hic ádmodum adulescéntulus.
Ph. Nón aetate, vérum ingenio adipíscitur sapiéntia.
Sápienti aetas cóndimentum est; sápiens aetatí cibust. —

60. *Nihil moror*, nolo, non magni facio.

61. *tolerare*, sublevare.

63. *Prodit*. Edd. et cdd. *producit*. Nostr. Hermannus ex Servio ad Virg. Aen. IV, 231, ubi citatur locus noster.

69. *deúm virtute* i. e. q. deorum ope. Simile v. Pers. 3, 1, 62. coll. Aul. 2, 1, 46. Capt. 2, 2, 74 et apud nos infra vs. 78. Inclusi autem locum parenthesi; quae fortasse et possit omitti, ut v. *dicam* tamquam pleonastice adiectum accipiatur.

73. *immuni*. Sic Both. ex versu 77. — Vulg. *immunifico*. Significat autem *illiberalem* hominem.

74. *quod habes*, i. e. opes. *quod non habes*, paupertatem, malum; quamquam *malum* et vocativus esse possit, ut sit i. q. scelestе homo.

77. *Is est immunis*, h. e. is quoque dicitur immunis.

79. Et quomodo nos comes nosmet praestemus aliis amicis nostris.

83. *quod non fuit* sc. suum, i. e. sua et aliena comedit.

85. Sic hi versus ordinantur et ab Acidalio, et Hermanno. Nam in libris et vulg. sic se excipiunt: 84. 92. 91. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 93.

87. Vulg. *Eone multa quae nevolt ev.* — ne est pro non, et corripiendum. Sensus: Propterea numquam cuiquam eveniunt quae non vult, nisi fictor malus sit. Pall. *malus siet.*

91. Ergo sapiens est cibus, aetas

Ágedum, eloquere, quíd dare illi núnc vis. *Ly.* Nil quidquám, pater;
Tú modo ne me próhibeas accípere, si quid dét mihi.
Ph. Án eo egestatem eí tolerabis, si quid ab illo accéperis?
Ly. Éo, pater. *Ph.* Pol ego ístam volo me rátionem edoceás. *Ly.* Licet.
Scín' tu illunc, quo génere gnatus sít? *Ph.* Scio, apprimé probo.
Ly. Sóror illi est adúlta virgo grándis: eam cupió, pater,
Dúcere uxorém. *Ph.* Sine dote? *Ly.* Síne dote. *Ph.* Uxorémne? *Ly.* Ita;
Túa re salva. Hoc pácto ab illo inibis summam grátiam,
Néque commodius úllo pacto ei póteris auxiliárier.
Ph. Égo indotatam téd uxorem ut pátiar....? *Ly.* Patiundúm est, pater;
Ét eo pacto addíderis nostrae lépidam famam fámiliae.
Ph. Múlta ego possum dócta dícta et quámvis facundé loqui:
Hístoriam veterem átque antiquam haec méa senectus sústinet;
Vérum ego quando te ét amicitiam et grátiam in nostrám domum
Vídeo adlicere, etsi ádvorsatus tíbi fui, istac iúdico:
Tíbi permitto; pósce; duce. *Ly.* Dí te servassínt mihi!
Séd adde ad istam grátiam unum. *Ph.* Quíd id est autem unum? *Ly.* Éloquar,
Tú ad eum adeas; tú concilies; túte poscas. *Ph.* Éccere!
Ly. Nímio citius tránsiges; firmum ómne erit, quod tu égeris.
Grávius tuom erit únum verbum ad eám rem, quam centúm mea.
Ph. Écce autem in benígnitate hoc réperi negótium! —
Dábitur opera. *Ly.* Lépidus vivis. Haéc sunt aedes; híc habet;
Lésbonico est nómen: age, rem cúra. Ego te opperiár domi.

ACTUS II. SCENA III.

PHILTO.

Non óptuma haec sunt, néque ut ego aequom cénseo;
Verúm meliora súnt, quam quae detérruma.
Sed hoc únum consolátur me atque animúm meum,
Quia, quí nil aliud, nísi, quod sibi solí placet,
Consúlit advorsum fílium, nugás agit:
Miser éx animo fit, fáctius nihiló facit.
Suaé senectuti is ácriorem hiemém parat,
Quum illanc ímportunam témpestatem cónciet.

autem condimentum cibi. Id quod hec sibi vult: ab sapientia regi vitam et pendere, uti condimentum nonnisi additamentum est cibi.

98. Vulg. *uxorem?*

105. Mens Philtonis haec est: Possim facile te verbis refutare. Sed quoniam te video adlicere gratiam et amicitiam in nostram domum, tibi rem permitto.

107. *duce*, sc. illam uxorem.

Act. II. Sc. III.

6. *factius nihilo facit*, h. e. nec tamen multum efficit; nec tamen facit quidquam, quod dici queat vere factum. Ad *nihilo* supplendum *magis*.

Sed áperiuntur aédes, quo ibam: cómmode
Ipse éxit Lesbonícus cum servó foras.

ACTUS II. SCENA IV.

LESBONICUS. STASIMUS. PHILTO.

Le. Minus quíndecim diés sunt, quum pro hisce aédibus
Minás quadraginta áccepisti a Cállicle.
Estne hóc, quod dico, Stásime? *St.* Quom consídero,
Meminísse videor fíeri. *Le.* Quid factúm est eo?
St. Comésum, expotum, exúnctum, elotum in bálineis;
Piscátor, pistor ábstulit, lanií, coqui,
Olitóres, myropolae, aúcupes. Confít cito,
Quasi tú obiicias fórmicis papáverem.
Le. Minus hércle in istis rébus sumtum est séx minis.
St. Quid, quód dedisti scórtis? *Le.* Ibidem uná traho.
[*St.* Quid, quod ego defrudavi? *Le.* Hem, ista ratio maxuma est!]
St. Non tíbi illud apparére, si sumás, potest:
Nisi tu ímmortale rére esse argentúm tibi.
Sero átque stulte, príus quod cautum opórtuit,
Postquám comedit rém, post rationém putat.
Le. Nequáquam argenti rátio comparét tamen.
St. Ratió quidem hercle appáret; argentum οἴχεται.
Minás quadraginta áccepisti a Cállicle,
Et ille aédis abs te accépit mancupio. *Le.* Ádmodum.
Ph. Pol, opíno, adfinis nóster aedis véndidit.
Patér quom peregre véniet, in porta ést locus.

Act. II. Sc. IV. Ab initio expostulat Lesbonicus cum servo suo de nimiis quos fecerint sumtibus. — 31. Agreditur eos Philto, Lesbonicumque sororem poscit filio in matrimonium. Suadet servus. Non aequam censet conditionem Lesbonicus propter illius divitias et suam paupertatem. — 95. Denique sine dote Philto puellam poscit. — 104. Lesbonicus tamen agrum suburbanum dare vult dotem sorori. — 110. Dehortatur Stasimus, quia iam hic ager solus sibi restet, quo nutriantur. Deinde adversus Philtonem fingit istum agrum quam maxime esse insalubrem et periculosum possessori. — 160. Denique concedit Lesbonicus se dare sororem indotatam. Mittit Stasimum ad hanc, ei rem nunciatum. Lesbonicus cum Philtone abit ad filium. Introit Stasimus ad Calliclem.

3. *Estne hoc?* i. estne ita?

4. *eo* sc. argento. Quid de eo argento factum est?

5. *exunctum.* Vulg. Pall. et vett. *exutum.* Nostr. primus dedit Guilielmus.

7. Sic hunc versum citat Charisius pag. 64 ed. Putsch. ubi animadvertit *papaverem* hic masculino genere dici, quum alias neutro. Atque eandem lectionem etiam praebent cdd. Pall. — Vulg. *quam si.* Al. *Quasi si*, ut Goell. *Papaver* masc. v. et Poen. 1, 2, 116.

9. *in istis.* Sic Pall. — Vulg. *in hisce.*

10. *Ibidem* sc. in istis sex minis. *una traho*, una computo. Cf. I, 2, 166.

11. Ineptum hunc versum non a vero poeta profectum arbitrer.

12. *Non adparere tibi illud*, sc. *argentum*, *potest*, h. e. non potest fieri ut praesens sit tibi argentum, postquam illud absumsisti. Nam *sumere* pro *absumere*, *impensam facere*, saepius Noster, uti statim supra versu 9. Cf. Mil. 3, 1, 78 et Indicem. Secus tamen interpretati sunt Lindem. et Goellerus, de ratione subducenda et summa facienda, adducto loco Rud. 4, 8, 9.

20. Edd. *opinor.* — *adfinis noster* sc. *futurus*, sc. Lesbonicus ipse. Nondum enim noverat rem Philto.

21. *locus*, sc. ubi habitet.

Nisi fórte in ventrem filio corrépserit.
St. Trapézitae mille dráchumarum Olýmpicum,
Quas dé ratione débuisti, rédditae.
Le. Nempe quás spopondi. *St*. Imó quas dependi, inquito,
[Quas spónsione prónuper tu exáctus es]
Pro illo ádulescente, quém tu esse aibas dívitem.
Le. Factum. *St*. Út quidem illud périerit. *Le*. Factum id quoque est.
Nam núnc eum vidi míserum, et me eius míseritum est.
St. Miserét te aliorum, túi nec miseret, néc pudet.
Ph. Tempús adeundi est. *Le*. Éstne hic Philto, qui ádvenit?
Is hércle est ipsus. *St*. Édepol nae ego istúnc velim
Meum fieri servom cúm suo pecúlio.
Ph. Herum átque servom plúrimum Philtó iubet
Salvére, Lesboníсum et Stasimum. *Le*. Dí duint
Tibi, Phílto, quaecunque óptes. Quid agit filius?
Ph. Bene vólt tibi. *Le*. Edepol mútuom mecúm facit.
St. Nequam íllud verbum est „Béne volt," nisi qui béne facit.
Ego quóque volo esse líber; nequidquám volo.
Hic póstulet frugi ésse; nugas póstulet.
Ph. Meus gnátus me ad te mísit, inter se átque vos
Adfinitatem ut cónciliarem et grátiam.
Tuam vólt sororem dúcere uxorem; ét mihi
Senténtia eadem est, ét volo. *Le*. Hau, noscó tuom!

23. Sic vulg. atque forma *drachumarum* legitur apud Terentium Heaut. 3, 3, 40 hoc versu: *Hic: huic drachumárum argenti haec mille dederat mútuum*. sine dubio producta prima. Quare et hic syllaba *dra* habere arsin debebit. *trapezitae* autem quo iure et Goellerus et Lindemannus pro Ionico a minori habuerint, nescio. Certe nusquam non est Epitritus. Igitur apparet *mille* hic quasi monosyllabum esse pronunciandum, uti centies *esse*, *ille*, alia. *Olympicum* esse dictum potis est pro *Olympicarum*, quemadmodum sane aliquot locis primae genitivus contrahi videtur. Potest tamen et ad *mille* referri, ut in Terentii l. l. *mutuum*.

25. *Imo quas dependi*, h. e. praesenti pecunia solvi, neque spopondi tantum. Multi enim spondent, nec tamen solvunt.

26. Vulg. *Quas sp. pronuper tu exactus es*. — Vett. *Qua sponsione*, ut Pall. — Herm. et Goell. *Quas sponsione nuper tu illa exactus es*. Both. *Quas sponsione pro tu exactus nuper es*. Etenim v. *nuper* primam habet longam, et v. *pronuper* nihili vox videtur. Lindemannus: *Quas sponsione nuper tu exactus es*. Atque *exactus es* foret Gr. εἰσεπράχθης, pro: quae exactae sunt a te. Sed omnis versus mihi suspectus videtur, idque ideo quia praecedens v. 24 ab eodem relativo *Quas* orditur; quod fecisse bonum poetam non est credibile. Ceterum proclivis est emendatio: *Quas sponsione nuper tute exactus es*. Mihi tamen emittendus videtur totus versus. Non enim opus fuit exactione et vs. 25 et 27 optime inter sese cohaerent.

27. Edd. *quem tu aiebas esse divitem*.

28. *ut quidem illud per*. constructione referendum ad praecedens *factum est*.

29. *Nam nunc* h. e. paullo ante, modo, dudum eum vidi et animadverti miserum esse; unde sequitur, illud argentum vere periisse, quia nunquam ab illo recipere potero.

30. *tui te nec m. nec p*. Sic vulg. et vett. At B. omittit *te* alterum.

33. *cum suo peculio*. Videlicet peculio servorum saepe utebantur heri in negotiis suis, ita ut illis foenus redderent. Cf. Rud. 1, 1, 24. Most. 4, 1, 11. 25.

34. Mirum sane, quod servum quoque tam magnifice salutat.

40. *Hic* sc. Lesbonicus, *postulet*, h. e. optaverit, *frugi esse* sc. se.

44. Vulg. *Hau, nosco tuum!* Pall. *Haut nosco tuum*. Lamb. et recc.

Boní̇s tuis rebus méas res irridés malas.
Ph. Homo égo sum, homo tu es: íta me amabit Iúpiter,
Neque té derisum véni, neque dignúm puto;
Verum hóc, ut dixi, méus me oravit fílius,
Ut túam sororem póscerem uxorém sibi.
Le. Meárum rerum mé novisse aequom est órdinem.
Cum vóstris nostra nón est aequa fáctio:
Adfínitatem vóbis aliam quaérite.
St. Satín' tu sanus méntis aut animí tui,
Qui cónditionem hanc répudies? nam illúnc tibi
Ferentárium esse amícum inventum intéllego.
Le. Abin' hínc dierecte? *St.* Si hércle ire occípiám, vetes.
Le. Nisi quíd me aliud vis, Phílto: respondí tibi.
Ph. Benígniorem, Lésbonice, té mihi,
Quam núnc experior ésse, confidó fore.
Nam, et stúlte facere et stúlte fabulárier,
Utrúmque, Lesboníce, in aetate haúd bonum est.
St. Verum hércle hic dicit. *Le.* Óculum ego effodiám tibi,
Si vérbum addideris! *St.* Hércle quin dicám tamen:
Nam sí sic non licébit, luscus díxero.
Ph. Ita tú nunc dicis, nón esse aequiparábiles
Vostrás cum nostris fáctiones átque opes?
Le. Dicó. *Ph.* Quid nunc? si in aédem ad coenam véneris,
Atque íbi, opulentus tíbi par forte ut vénerit,
Appósita sit coená, popularem quám vocant,
Si illí congestae sínt epulae a cliéntibus,
Si quíd tibi placeat, quód illi congestúm siet,
Edísne, an incoenátus cum opulento áccubes?
Le. Edím, nisi ille vetet. *St.* Át pol ego, etiamsí vetet,
Edim átque ambabus mális expletús vorem;
Et, quód illi placeat, praéripiam potíssumum,
Neque illí concedam quídquam de vitá mea.
Verécundari néminem apud mensám decet:

Haud nosco tuum, sc. ingenium. Cf. Ter. Eun. 5, 8, 36. *Non cognosco tuum tam superbum.* Andr. 4, 5, 22. *O optime hospes, pol, Crito, antiquum obtines.* Hec. 5, 4, 20. *At tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines.* Plaut. Amph. 2, 1, 4. *iam tuatim facis.* Mihi vero vulgata lectio verosimilior h. l. videtur, eam ob causam, quia, quoniam satis serio veroque Philto mentem suam elocutus fuerat, abruptior iusto existeret oratio, nisi diffidentia illa Lesbonici statim ab initio insigniori aliquo modo significaretur. *Hau* autem dolentis est. Cf. Mil. 4, 8, 48.

47. *dignum puto* sc. te, qui derideatur.

50. *ordinem*, *Rang*, *Stand*. *novisse* contrahatur.

51. *cum vostris* sc. *rebus*. *factio*, i. q. ordo, *Stand*, *Rang*. Cf. Aul. II, 2, 50.

55. *ferentarium*, h. e. qui tibi suppetias ferat, uti expl. Festus. Ferentarii milites levis armaturae.

57. Sic accurate vulg.

61. *in aetate*, in vita sc. agunda, s. ad vitam agundam.

68. Cogitanda est coena popularis, h. e. communis apud opulentum aliquem coena, ad quam eius clientes congesserint epulas, et in qua Lesbonicus prope ipsum illum opulentum accubet. *aedem* intellige sacram. *tibi par venerit*, tibi contigerit vicinus ad mensam.

70. *illi* i. q. illic, ut et vs. seq.

73. *ille* monosyllabum.

76. *de vita mea*, de cibo, quoniam is ad vitam pertinet.

Nam ibi dé divinis átque humanis cérnitur.
Ph. Rem fábulare. *St.* Nón tibi dicám dolo:
Decédam ego illi dé via, de sémita,
De honóre populi; vérum quod ad ventrem áttinet,
Non hércle hoc longe, nísi me pugnis vícerit.
Coena hác annona est síne sacris heréditas.
Ph. Semper tu hoc facito, Lésbonice, cógites,
Id óptumum esse, túte uti sis óptumus;
Si id néqueas, saltem ut óptumis sis próxumus.
Nunc cónditionem hanc, quam égo fero, et quam abs té peto,
Dare átque accipere, Lésbonice, té volo.
Dei dívites sunt: dées decent opuléntiae
Et fáctiones; vérum nos homúnculi;
Salíllum animai quí quum extemplo amísimus,
Aequó mendicus átque ille opulentíssumus
Censétur censu ad Ácheruntem mórtuus.
St. Mirúm, ni tu illuc técum divitiás feras!
Ubi mórtuos sis, íta sis, ut nomén cluet.
Ph. Nunc út scias, hic fáctiones átque opes
Non ésse, neque nos túam neglegere grátiam:
Sine dóte posco túam sororem fílio.
Quae rés bene vortat! Hábeon' pactam? Quíd taces?
St. Proh di ímmortales, cónditionem quoíusmodi!
Ph. Quin fábulare „Dí bene vortant! spóndeo?"
St. Eheú, ubi usus níl erat dicto: „Spóndeo"
Dicébat; nunc hic, quom ópus est, non quit dícere.
Ls. Quom adfinitate véstra me arbitrámini
Dignum, hábeo vobis, Phílto, magnam grátiam;
Sed, etsi hércle graviter cécidit stultitiá mea,
Philto, ést ager sub úrbe hic nobis; éum dabo
Dotém sorori; nam ís de stultitiá mea
Solús superfit praéter vitam réliquum.

78. *cernitur* i. e. decertatur. *de divinis et hum.*, h. e. de summis rebus omnibus. Divina enim et humana poetae sunt i. [illegible]la. Cf. ad Amph. 2, 2, 48. As. [illegible] 2, 4. Poen. II, 20.

80. *Decedam*, h. e. potiorem esse statuam opulentum. *de via*, h. e. quod ad viam, ad semitam attinet, et quod ad populi honorem. De *via* ac *semita* cf. Curc. 2, 3, 8.

82. *longe* sc. cedam. *hoc* δεικτικῶς accipiendum, ut gestu mensura aliqua significetur. Recurrit dictio Most. 2, 1, 46. Quare non opus est mutatione Lipsiana: *hoc ungue*.

83. *hac annona*, h. e. hac aetate, hodie. *est* sc. quasi *hereditas sine sacris*, h. e. in qua heres non obstringitur ad sacra familiaria mortui in se recipienda. Cf. Cic. de Leg. II, 19. Cf. Capt. IV, 1, 8 ubi vide not. Sensus: hereditas sine omni onere.

85. *optimus*, h. e. locuples, unus inter optumates.

89. *Dei* sc. soli.

90. *homunculi* sc. sumus. Qui extemplo, ubi mortui sumus, etc. — *salillum animae*, *das Bifschen Odem*.

92. Vulg. *aequo*. Vett. *aeque*.

93. *ad Acheruntem*, i. e. apud Acheruntem.

94. *Mirum ni est*: *Es fehlte noch, dafs du auch dahin deine Schätze mitnähmest!* Cf. Bacch. 3, 3, 46. et indicem. Apparet autem, haec seorsim loqui Stasimum.

95. *ita sis*, *ut nomen cluet*, h. e. mortuus, nihil amplius; cf. III, 1, 19. Pseud. I, 3, 75.

106. *etsi graviter cecidit*, etsi in maximam inopiam redactus sum.

Ph. Profécto dotem níhil moror. *Le*. Certúm est dare.
St. Nostrámne vis nutrícem, here, quae nos éducat,
Abálienare a nóbis? Cave, sis, féceris.
Quid edémus nosmet póstea? *Le*. Etiam tú taces?
Tibi egó rationem réddam? *St*. Plane périimus,
Nisi quíd ego comminíscor! — Philto, té volo.
Ph. Si quíd vis, Stasime. *St*. Huc cóncede aliquantúm. *Ph*. Licet.
St. Arcáno tibi ego hoc díco: ne ille ex té sciat,
Neve álius quisquam. *Ph*. Créde audacter quídlubet.
St. Per deós atque homines díco, ne tu illúnc agrum
Tuom síris unquam fíeri, neque gnatí tui.
Ei rei árgumentum dícam. *Ph*. Audíre edepól lubet.
St. Primum ómnium, olim térra quom proscínditur,
In quínto quoque súlco moriuntúr boves.
Ph. Apage! *St*. Ácheruntis óstium in nostró est agro.
Tum vínum, priusquam cóctum est, pendet pútidum.
Le. Consuádet homini, crédo. Etsi sceléstus est:
At mi ínfidelis nón est. *St*. Audi cétera.
Post íd, frumenti quom álibi messis máxuma est:
Tribus tántis illi mínus redit, quam obséveris.
Ph. Hem, istíc oportet óbseri morés malos,
Si in óbserendo póssint interfíeri.
St. Neque únquam quisquam est, quóius ille agér fuit,
Quin péssume ei res vórterit, quoiúm fuit.
Alii éxulatum abiérunt; alii emórtui;
Alií se suspendére. Hem, nunc hic, quóius est,
Ut ad íncitas redáctus! *Ph*. Apage a me ístum agrum!
St. Magis Ápage dicas, si ómnia a me audíveris:
Nam fúlguritae súnt hic alternae árbores;
Sués moriuntur ángina acérrume;
Ovés scabrae sunt, tám glabrae, hem! quam haec ést manus;
Tum autém Syrorum, génus quod patientíssumum est

113. *Etiam tu taces?*: etiam atque etiam tibi dico ut taceas. Pergisne loqui? Nam *etiam* continuationem significat, hic non tacendi, sed iubendi tacere.

115. *te volo*. *Si quid vis* vide et As. 3, 3, 49.

122. *olim*, h. e. si quando scinditur. Cf. Mil. I, 1, 2 *olim quum sudum est*. Hor. Sat. 1, 1, 25. Virg. Aen. 4, 448.

125. *coctum est*, sc. a sole. Edd. *coactum est*. Nostr. Hermannus.

129. *illi* i. e. illic, in agro illo.

131. *Si*, i. e. quo experiaris, an forte in obs. p. interfieri, i. e. absumi. Cf. Amph. 2, 2, 49. Aul. 3, 6, 22.

133. Vulg. *Quin pessume ei res vorterit, quoium fuit.* puncto post *fuit* posito. Atque sic V. C.; at Decurt. *ciuium* pro *cuium*. Quam tautologiam quoniam non potuere ferre Lind. Goell. que, dedero quod Bothius praeiverat: *Quorum fuit*, *Alii exul.* etc. puncto post *vorterit* posito. Ego primum facile patior, neutro hic significari agrum, quia alia quoque saepe neutrum genus complecti video, quum proprie non sint neutrius. Dein prius illud: *quoius ille ager fuit*, pertinere aio in universum ad omnes possessores, alterum autem, *quoium*, ad illum peculiarem, cui res male vorterit; ut igitur stricto sensu ne dici quidem tautologia possit. Quare vulgatam equidem servandam censeo.

135. *nunc hic*, sc. Lesbonicus. *cuius est* sc. iste ager.

136. *ut ad incitas r.* h. e. quam ille redactus est ad incitas h. e. ad extremum, ad terminos extremos.

139. Vett. post *angina* addunt *hic*. Deest in Pall.

Hominúm, nemo extat, qui sibi sex menses vixerit:
Ita cúncti solstitiáli morbo décidunt.
Ph. Credo égo istuc, Stasime, ita ésse; sed Campás genus
Multó Syrorum iam ántidit patiéntia.
Sed iste ést ager profécto, ut te audiví loqui,
Malós in quem omnes públice mittí decet.
Sicút Fortunatórum memorant ínsulas,
Quo cúncti, qui aetatem égerunt casté suam,
Convéniant: contra istóc detrudi máleficos
Aequóm videtur, quí quidem istius sít modi.
St. Hospítium est calamitátis. Quid verbís opust?
Quamvís malam rem quaérens, illic réperias.
Ph. At tu hércle et illi et álibi. *St.* Cave, sis, díxeris,
Me tíbi dixisse hoc. *Ph.* Díxisti arcanó satis.
St. Quin híc quidem cupit illum áb se abalienárier,
Si quidém reperire póssit, cui os súblinat.
Ph. Meus quídem hercle nunquam fíet. *St.* Si sapiés quidem. —
Lepide hércle de agro ego húnc senem detérrui:
Nam, quí vivamus, níhil est, si illum amíserit.
Ph. Redeo ád te, Lesboníce. *Le.* Dic sodés mihi,
Quid híc locutus técum? *Ph.* Quid censés? Homo est:
Volt fíeri liber; vérum, quod det, nón habet.
Le. Et ego ésse locuples; vérum nequidquám volo.
St. Licitúm, si velles: núnc, quom nihil est, nón licet.
Le. Quid técum, Stasime? *St.* De ístoc, quod dixtí modo:
Si anté voluisses, ésses; nunc seró cupis.
Ph. De dóte mecum cónvenire níhil potes;
Quod tíbi lubet, tute ágito cum nató meo;
Nunc túam sororem filio poscó meo;
Quae rés bene vortat! — Quíd nunc? etiam cónsulis?
Le. Quid istúc? Quando ita vis: dí bene vortant! spóndeo.
Ph. Nunquam édepol quoiquam tam éxspectatus fílius
Natús, quam est illud Spóndeo natúm mihi.
St. Di fórtunabunt vóstra consilia. *Ph.* Íta volo.

143. Qualis fuerit ille morbus solstitialis, non apparet ex ullo scriptore. Cf. ad Pseud. I, 1, 36. Quidam *siriasin* intellexere.

144. *Campas genus*, Campani.

145. *Syrorum* sc. generi, quod libidinosissimum. Nam patientia hic de libidine est capienda.

153. *illic reperias.* Subest his tecta apprecatio iocularis malorum. Hinc regerit eam Philto vs. 154. Stasimo: *At tu hercle illic et alibi*, sc. malum reperias. Id ille avertit: *Cave, sis, dixeris*, simul autem applicat ad rem ipsam, quam illi crediderit tamquam arcanum.

155. *arcano*, adverb. ut v. 117.

157. *cui* Both. et vett. — Vulg. *cuius*. Pall. *cuius sublinat*, omisso v. *os*.

165. Sensus: liceret tibi, si velles, diviti esse. Sed quoniam non vis, non licet. Sic enim *Nihil est*. V. Ind.

166. *tecum* sc. loqueris?

167. *ante*, h. e. si paullo ante voluisses istam conditionem accipere, *esses* sc. locuples.

171. *etiam consulis*, an pergis apud te adhuc rem expendere; an adhuc perges morari?

172. Vulg. *Quid istic?* Vett. *Quid istuc?* Ego *istic* tum putem esse: *iste hic*, ut idem sit quod *tu*, quasi dicat: Quare consulam, o Philto? Sed fateor tamen faciliorem esse vett. lectionem, ut *quid istuc* idem sit quod *quare istud* sc. *faciam*, h. e. quare consulam?

I hac, Lésbonice, mécum: ut coram núptiis
Dies cónstituatur. Eádem haec confirmábimus.
Le. Sed, Stásime, abi huc ad méam sororem ad Cálliclem:
Dic, hóc negoti quómodo actum est .... *St.* Ibitur.
Le. Et grátulator méae sorori. *St.* Scilicet.
Le. Dic Cállicli, me ut cónveniat; .... *St.* Quin tu í modo!
Le. de dóte ut videat, quíd opus sit facto. *St.* Í modo!
Le. Nam cértum est, me sine dóte haud dare .... *St.* Quin tu í modo!
Le. Neque enim ílli damno unquam ésse patiar .... *St.* Ábi modo!
Le. meam néglegentiam .... *St.* Í modo! i modo! *Le.* Ó pater,
Aequóm videtur, quín, quod peccarim .... *St.* Í modo!
Le. potíssumum mihi id óbsit. *St.* I modo! *Le.* Ó pater,
En únquam adspiciam te? *St.* Í modo! i modo! í modo!
Le. Tu ístuc cura, quód iussi. Ego iam híc ero.
St. Tandem ímpetravi, abíret. Di, vostrám fidem,
Edepól re gesta péssume gestám probe.
Siquídem ager nobis sálvos est! Etsi ádmodum
In ámbiguo est etiám nunc, quid de hac ré fuat.
Sed si álienatur, áctum est de colló meo:
Gestándus peregre clýpeus, galea, sárcina!
Effúgiet ex urbe, úbi erunt factae núptiae;
Ibit ístac aliquo in máximam malám crucem
Latrócinatum, aut ín Asiam, aut in Cíliciam.
Íbo húc, quo mi imperátum est, etsi odi hánc domum,
Postquam éxturbavit híc nos nostris aédibus.

ACTUS III. SCENA I.

CALLICLES. STASIMUS.

Ca. Quómodo tu istuc, Stásime, dixti? vóstrum herilem filium

176. 177. Hi duo versus in edd. leguntur post v. 180. et post illos versus 189.

177. *Eádem* sc. opera, h. e. simul autem. Cf. Bacch. 1, 1, 15 et Ind.

178. *ad Calliclem* i. apud Calliclem quae habitat. Nam *ad* saepe pro *apud*. Cf. Ind.

184. *illi*, sc. sorori.

186. *quin* pro *ut*. ut mihi potissimum obsit, quod peccaverim.

189. *Iam hic ero*, i. e. brevi redibo.

191. *gestam probe*. Sic vulg. — Vett. *gestum probe*. Ait: postquam paene nos privasset Lesbonicus illo agro, ego effeci, ut nobis restaret.

196. *Effugiet* sc. Lesbonicus.

198. *Latrocinatum*, i. e. mercede militatum. Latrones enim Plauto sunt milites conducticii. Cf. Mil. 1, 1, 74. et quae ibi notantur.

200. *hic*, Callicles. Ceterum vulg. et vett. *nos ex nostr. aed.* et fortasse *exturbavit* contracte legendum, quasi *exturbát*, quemadmodum interdum perfecta contrahuntur in antiquis, ut et Lucretio.

Act. III. Sc. I. Egreditur a se Callicles cum Stasimo et ad Megaronidem se confert, ut eius consilium sibi expetat, de dote quid sibi sit faciendum. Stasimus recedit paullo, exeuntibus Lysitele et Lesbonico.

1. Vulg. et edd. *nostrum*, item sub Calliclis persona. Cuius quia non potest dici filius herilis Lesbonicus, Rothius

Lésbonicum súam sororem déspondisse? *St*. Hóc modo.
Ca. Quoí homini despóndit? *St*. Lysitelí, Philtonis fílio,
Síne dote. *Ca*. Sine dóte ille illam in tántas divitiás dabit?
Nón credibile dícis. *St*. At tu édepol nullus créduas.
Si hóc non credis, égo credidero .... *Ca*. Quíd? *St*. Me nihili péndere.
Ca. Quámdudum istuc, aút ubi actum est? *St*. Íllico hic ante óstium;
Tám modo, inquit Praénestinus. *Ca*. Tánton' in re pérdita,
Quam ín re salva, Lésbonicus fáctus est frugálior?
St. Átque equidem ipsus últro venit Phílto oratum fílio.
Ca. Flágitium quidem hércle fiet, nísi dos dabitur vírgini.
Póstremo edepol égo istam rem ad med áttinere intéllego.
Íbo ad meum castígatorem atque áb eo consiliúm petam.
St. Própemodum, quid illíc festinet, séntio et subolét mihi:
Út agro evortat Lésbonicum, quándo evortit aédibus.
O hére Charmide, quám te absente hic túa res distrahitúr tibi!
Útinam te redísse salvom vídeam: ut inimicós tuos
Úlciscare! ut mihi, út erga te fui ét sum, referas grátiam!
Nímium difficile ést reperiri amícum, ita ut nomén cluet,
Quói tuam quum rém credideris, síne omni cura dórmias.
Séd generum nostrum íre eccillum vídeo cum adfiní suo.
Néscio quid non sátis inter eos cónvenit: celerí gradu
Éunt uterque; ílle reprehendit húnc priorem pállio.
Haúd illi euscheme ádstiterunt! Húc aliquantum abscéssero.
Ést lubido orátionem audíre duorum adfínium.

ACTUS III. SCENA II.

LYSITELES. LESBONICUS. STASIMUS.

Ly. Sta ílico! noli ávorsari, néque te occultassís mihi!
Le. Pótin', ut me ire, quó profectus súm, sinas? *Ly*. Si in rém tuam,

Stasimi nomen interposuit. Et sane aut ita faciendum, aut legendum *vostrum*, ut voluit Lambinus. Quamquam cf. vs. 21.

2. Antiquae et Pall. *despondisse*. Vulg. et vett. *despopondisse*. v. seq. *despondit* versu 3.

6. *me nihili pendere* sc. utrum tu credas, an non credas.

8. *Tam modo*. Maluit Lamb. *Iam modo*, ut esset i. q. *iamdudum modo*, h. e. paullo ante, Amph. II, 2, 69. Illa autem dictio fortasse in usu fuerit civibus Praenestinis, ut esset i. q. modo, teste etiam Festo.

9. *frugalior*, magis frugi homo, parcior.

12. Postremo nostrum est: *kurz und gut*. Vid. Ind. et Cist. 4, 2, 41. Most. 4, 1, 36. Aul. 4, 4, 30.

16. Vulg. et vett. *absente te*. V. C. *quom abs. te*. Dec. *quoniam abs te*.

19. *ut nomen cluet*. Cf. II, 4, 96.

22. *Nescio* etc. Disceptant inter se de re nescio qua.

23. *reprehendit pallio*. Cf. Epid. I, 1, 1.

24. Sic edd. — Pal. *Haud ineusce mea*. Hinc Both. *Haud ineuscheme adst*. Fortasse: *Hau, illi eusch*. Cf. 2, 4, 44.

Act. III. Sc. II. Lysiteles adigere tentat Lesbonicum, ut patiatur sororem suam sine dote ab se duci, simulque commonet eum suae vitae. Denique quoniam ille non vult concedere, uterque

Lésbonice, ésse videatur, glóriae aut famaé, sinam.
Le. Quód est facillumúm, facis. *Ly*. Quid id ést? *Le*. Amico iniúriam.
Ly. Néque meum est, neque fácere didici. *Le*. Indóctus quam docté facis!
Quíd faceres, si quís docuisset te, út sic odio essés mihi?
Béne cum simulas fácere mihi te, mále facis, male cónsulis.
Ly. Égone? *Le*. Tu nael *Ly*. Quíd male facio? *Le*. Quód ego nolo, id quóm facis.
Ly. Túae rei bene consúlere cupio. *Le*. Tú mi es melior, quam égo mihi?
Sát sapio; satis, ín rem quae sint méam, ego conspició mihi.
Ly. Án id est sapere, ut quí beneficium a bénevolente répudíes?
Le. Núllum beneficium ésse duco id, quód, quoi facias, nón placet.
Scío ego et sentio ípse, quid agam; néque a med officiúm migrat;
Néc tuis depéllor dictis, quín rumori sérviam.
Ly. Quíd ais? nam retinéri nequeo, quín dicam ea, quae prómeres.
Ítane tandem tíbi maiores fámam tradiderúnt tui,
Út virtute eorum ánteparta pér flagitium pérderes,
Átque honori pósterorum tuórum ut vindex fíeris?
Tíbi paterque avóseque facilem fécit et planám viam
Ád quaerundum honórem; tu fecísti, ut difficilís foret,
Cúlpa maxuma ét desidia tuísque stultis móribus.
Praeóptavisti, amórem tuum uti vírtuti praepóneres;
Núnc te hoc pacto crédis posse obtégere errata? *Le*. Ah, nón ita est!
Ly. Cápe, sis, virtutem ánimo, et corde expélle desidiám tuo.
Ín foro operam amícis da; haud in lécto amicae, ut sólitus es.
Átque ego istum agrum tíbi relinqui ób eam rem enixe éxpeto,
Út tibi sit, qui té corrigere póssis: ne omnino ínopiam

ad se discedunt domum suam. Stasimus ad forum abit.

3. *gloriae aut famae*, est asyndeton, quasi dixerit: *videlicet in rem gloriae aut famae.*

7. Edd. *Qui bene cum.* Nostr. Herm. Lind. Goell. — Both. omisit *cum*.

9. Vulg. et cdd. *quam egomet mihi.* Both. *quam égomet mi?* Herm. Goell. Lind. *Melior tu es, quam egomet mihi?*

11. Acidal. Lamb. Herm. Goell. *a benevolente.* Omittunt praepositionem Pall. vulg. vett. Atque possit esse abl. conseq. suppl. *me*.

13. *Neque a med o. m.*, neque depellor ab officio.

14. *rumori*, i. e. bonae famae, quae requirit, ut sorori dotem procurem.

15. *ea quae promeres*, h. e. ea quae meres ut tibi dicam, ut carpam te et vituperem.

16. In edd. *tibi* in fine legitur ante *tui*. Perf. *tradiderunt* corripe, ut saepe faciendum. Most. 1, 3, 124. Sed recc. *Ita tandem mai. f. tr. tibi tui.*

18. Sic vulg. et vett. atque sensus possit esse: ut bona tua in tuum usum perderes, quae bono et honori debebant esse posteris tuis; velut illo ager suburbanus. Hinc non puto mutandum. Both. *Atque honoris p. t. ut vendax fieres.* Lamb. *vibex.* Dativus *honori* positus est loco genitivi. Cf. ind. v. Dativus. *Vindex* autem malo sensu dictum sign. eum, qui iniuste sibi vindicat, quae aliorum sunt. Sic Cic. pro Milone, 27. *iniustis vindiciis alienos fundos petere.*

21. Vulg. et vett. *maxime.*

23. Sic recte vett. personas distribuunt. Nam in vulg. haec omnia Ly-

Cives obiectáre possint tibi, quos tu inimicós habes.
Ls. Ómnia ego istaec, quaé dixisti, scío, (vel exsignávero,)
Út rem patriam ét maiorum glóriam foedarím meùm.
Scibam, ut esse mé deceret; fácere non quibám miser:
Íta vi Veneris vínctus, captus ótio, in fraudem íncidi;
Ét tibi nunc, proinde ác merere, súmmas habeo grátias.
Ly. Át operam períre meam sic ét te haec dicta spérnere,
Pérpeti nequeó; simul me píget, parum pudére te;
Ét postremo, nísi me auscultas, átque hoc, ut dicó, facis:
Túte pone té latebis fácile, ne inveniát te honor;
Ín occulto iacébis, quom te máxume clarúm voles.
Pérnovi equidem, Lésbonice, imperítum tuom ingenium ádmodum;
Scío, te sponte nón tuapte errásse, sed amorém tibi
Péctus obscurásse. Atque ipse amóris teneo omnís vias.
Íta est amor, balísta ut iacitur: níl sic celere est néque volat;
Átque is mores hóminum moros ét morosos éfficit:
Mínus placet, magis quód suadetur; quód dissuadetúr, placet.
Quom ínopia est, cupiás; quando eius cópia est, tum nón velis;
Ílle, qui aspellit, ís compellit; ílle, qui consuadét, vetat.
Ínsanum est malúm, in hospitium dévorti ad Cupídinem.
Séd te moneo, hoc étiam atque etiam ut réputes, quid facere éxpetas.
Sí istuc, ut conári facis indícium, tuum incendés genus:
Tum ígitur tibi aqua erít cupido, génus qui restinguás tuum.
Átque si eris náctus, proinde ut córde amantes súnt cati,

sitelli tribuuntur. Ad *oblegere* conf. Most. 1, 3, 8. et I, 2, 57.

29. Edd. *istic.* — Vett. *quae tu dixisti.* — *Vel exsignavero*, sigillo confirmem, si opus sit. Atque futurum exactum habet vim futuri ind. — *vel* autem est. i. q. *adeo*, *imo.* Hinc parenthesi includenda. Nam seqq. *ut rem*, i. e. *quomodo rem* etc. ab *scio* pendent, nequaquam ab *exsignavero.* Nemo tamen inclusit. At parenthesis apud Plautum frequens.

30. *gloriam* duabus syllabis legendum hoc loco, ut litera *i* elidatur, quemadmodum saepius faciendum et in *gloria* et *filia* et *gratia* etc. Non elidendum autem *patriam.* Ceterum Herm. et recc. ex lectione vett. edd. Prisciani: *Ut rem patriam et gloriam maiorum foedarim meum.*

32. Libri *ocio captus*, et fortasse contractim pronunciandum v. *otio*, ut et infra. Pro vulg. *vinctus* vett. *victus.* Nostr. V. C.

34. Sic vett. — Vulg. *dicta corde sp.* ut Pall.

37. *pone te latebis*, tute tibi ipsi impedimento eris.

39. Satis bene staret versus, si abesset *Lesbonice*, in postremis elisione omissa. Verum et *per* media interdum omittit vocalem, ut in *prospere*, *impera;* et pronomen *tuum* integrum potest elidi.

45. *Quum inopia est*, cum deest aut abest, quod cupis, adesse velis.

46. *qui aspellit*, h. e. depellit amantem ab amica, h. e. si quis dissuadet amorem, contrarium efficitur. Qui suadet, nihil efficit suadendo.

47. Vett. *Insanum est et malum in h.* Vox *insanum* auget v. *malum*, quod est substantivum.

49. *Si istuc sc. facies.* — *ut conari f. i.*, ut apparet te velle. — *tuum incendes genus*, quasi rogo combures gloriam tui generis, amisso agro, quo sustenteris pro dignitate generis.

50. Sic vulg. et vett. — Both. *aquae.* Fortasse l. *aquam*, ut regatur accus. a v. *cupido.* Sed et nominativus stare poterit tamquam appositio ad v. *cupido.* Sub aqua autem pecunia intelligenda, qua opus fuerat Lesbonico ad satisfaciendum creditoribus, quamque nactus est aedibus vendendis. — *restinguas genus*, h. e. incendium generis restinguas, gloriae tuae subvenias.

51. *Atque erit, si nactus, pr. ut* etc. Sic vulg. et vett. Al. *eris si n.* Her-

Né scintillam quídem relinques, génus qui congliscát tuom.
Le. Fácile est inventú: datur ignis, támetsi ab inimicís petas.
Séd tu, obiurgans me á peccatis, rápis deteriorem in viam:
Méam sororem tíbi dem suades síne dote: hoc non cónvenit,
Mé, qui abusus súm tantam rem pátriam, porro in dívitiis
Ésse, agrumque habére, egere illam aútem: ut me merito óderit.
Núnquam erit aliénis gravis, qui súis se concinnát levem.
Sícut dixi, fáciam. Nolo, té iactari díutius.
Ly. Tánte meliust, té sororis caúsa egestatem éxsequi,
Átque eum agrum me habére, quam te, túa qui toleres moénia?
Le. Nólo ego, mihi te tám prospicere, quí meam egestatém leves,
Séd, ut inops infámis ne sim: né mi hanc famam dífferant,
Mé germanam méam sororem in cóncubinatúm tibi
Síc sine dote dédidisse mágis, quam in matrimónium.
Quís me improbior pérhibeatur ésse? Haec famigerátio
Té honestet, me autém conlutulet, sí sine dote dúxeris.
Tíbi sit emoluméntum honoris; míhi, quod obiectént, siet.
Ly. Quíd? te dictatórem censes fóre, si abs te agrum accéperim?
Le. Néque volo, neque póstulo, neque cénseo: verúm tamen
Ís honos est hominí pudico, méminisse officiúm suom.
Ly. Scío équidem te, animátus ut sis: vídeo, subolet, séntio:
Íd agis, ut, ubi affínitatem intér nos nostram adstrínxeris
Átque eum agrum dederís, nec quidquam hic tíbi sit, qui vitám colas,
Éffugias ex úrbe inanis, prófugus, patriam déseras,
Cógnatos, adfínitatem, amícos, factis núptiis.
Méa opera hinc protérritum te meáque avaritia aútument.
Íd me commissúrum ut patiar fíeri, ne animum indúxeris.
St. Nón enim possum, quín exclamem: Euge! Eúge, Lysitelés, *πάλιν!*

mannus: *Atque si eris nactus*, quod praeplacet. Intelligendum autem eiusmedi quid, quale venditio aedium, etc.

52. Nimirum ubi omnia tua vendideris.

53. Haud facile inventu est, quem sensum dicas huic loco subesse, quove animo dicat Lesbonicus, ignem, h. e. rem, pecuniam, ab inimicis dari, qua suae rei familiari suoque generi possit succurrere, quosve intelligat inimicos, an Calliclem, qui emerat aedes, an ipsum Lysitelem, qui quasi inimico eum reprehenderat. Atque illud quasi proverbium fuisse liquet, vel inimicum inimico dare ignem aut aquam, imo hostem hosti, ut est Rud. 2, 4, 21. — Ego censeo, claudicare in his quodammodo allegoriam, quemadmodum omne simile plerumque claudicare solet. Nam certe hic ignis, qui debet hoc loco intelligi, non facilis est inventu, si ab inimicis petas.

55. Edd. omnes: *Meam vis sor.*

56. *abusus sum*, consumpsi. Cf. Asin. 1, 3, 44.

58. *alienis gravis*, ab aliis aestimatus. *qui suis* etc. qui erga suos se levem gerit.

60. *Tanto meliust*, i. e. An tu hoc laudabile esse censes, te etc. — *egestatem exequi*, h. e. in egestate vivere.

61. *eum agrum me*, supple: *potius.* — *tua qui toleres moenia*, cuius ope tu sustentes munia tua, i. e. officiis tuis satisfacere possis.

62. Post *tam* in seq. versu proprie *quam* ponendum fuerit; pro quo mutata constructione *Sed* dedit.

65. *dedidisse.* Hic Hermannus. Vulg. et vett. *dedisse.*

69. *te dictatorem.* Hoc eo pertinet, quod dixerat Lesbonicus, sibi dedecori fore, si indotatam dederit sororem. Quaerit igitur Lysiteles: Quid? si dotatam dederis, an ideo existimas te magnum ideo honorem esse nacturum?

71. *pudico*, pudenti, quem pudet adhuc, suis officiis non recte stetisse.

Fácile palmam habés; hic victus. Vícit tua comoédia. —
Híc agit magis ex árgumento, et vérsus meliorés facit.
Étiam ob stultitiám tuam te tuéris? Multam abómina.
Le. Quíd tibi interpellátio aut in cónsilium huc accéssio est?
St. Eódem pacto, quo húc accessi, abscéssero. *Le.* I hac mecúm domum,
Lýsiteles: ibi de ístis rebus plúra fabulábimur.
Ly. Níhil ego in occulto ágere soleo. Méus ut ánimust, éloquar:
Sí mihi tua sorór, ut ego aequom cénseo, ita nuptúm datur
Sine dote, neque tu hínc abiturus: quód meum erit, id erít tuom;
Sín aliter animátus es: bene, quód agas, eveniát tibi:
Égo amicus nunquám tibi ero alío pácto. Sic senténtia est.
St. Ábiit hercle ille quídem. Ecquid audis, Lýsiteles? Ego té volo.
Híc quoque hinc abiit. Stásime, restas sólus. Quid ego núnc agam,
Nísi uti sarcinám constringam et clýpeum ad dorsum accómmodem,
Fúlmentas iubeám suppingi sóccis? non sistí potest.
Vídeo, caculam mílitarem mé futurum haud lóngius,
Út aliquem ad regem ín saginam hérus se coniexít meus.
Crédo ad summos béllatores ácrem — fugitorém fore,
Ét capturum spólia ibi — illum, qui méo hero advorsus vénerit;
Égomet autem, quom éxtemplo arcum et pháretram et sagittas súmpsero,
Cássidem in capút, — dormibo plácide in tábernáculo.
Ád forum ibo: núdius sextus quoí talentum mútuom
Dédi, reposcam: ut hábeam, mecum quód feram, viáticum.

---

81. Haec iam ad ipsum Lesbonicum.

82. *Etiam*, ut saepe, continuationem denotat: An tu pergis tuum propositum tueri, ad quod per stultitiam tuam adactus es, h. e. eo quod bona patria dilapidasti? — *Multam abomina*, fugias poenam; fuge poenitere; cave te olim poeniteat.

83. Sic vett. — Vulg. *in concilium*, uti Pall. De constructione v. Amph. 1, 3, 21.

94. *non sisti potest.* Haec vulgata, ut nos, interpunctione ad praecedentia magis refert, ut *sisti* sit: consisti, nisi fulmentae addantur soccis. Sed pariter tamen simul et alius sensus subesse cogitandus est, ut significet etiam: non posse iam amplius, quin cacula fiat Stasimus. Qualia ambigue dicta frequentia sunt in Plauto. — *Fulmenta* sunt fulcimenta, quae subsuuntur soccis, quo sint firmiores. H. l. autem foemin. genere usurpatum.

95. *haud longius ut* etc. h. e. simulatque. Sic emendavit Gruterus. Nam vulg. et vett. *Aut aliq.* — *coniecit.* Vett. *coniecerit.*

96. *ad regem*, h. e. apud regem.

97. *ad summos bell.* h. e. apud s. inter summos bellatores herum meum acrem fugitorem fore.

98. *illum* monosyllabum, ut saepe.

99. Editt. *mihi* addunt post *arcum.* — V. *sagittas* contractim pronuncianda, ut et alibi. V. supra II, 1, 20.

100. *tabernaculo.* Sic edd. et cdd. et producenda est syllaba *ta*, ut et alibi corripienda producuntur, uti et ab Homero *ἀπονέεσθαι*, et alia. Sic Curc. 2, 3, 16 productum legitur *polentarium.* Tabernaculum v. Amph. 1, 1, 273 et 275.

ACTUS III. SCENA III.

MEGARONIDES. CALLICLES.

Me. Ut míhi rem narras, Cállicles, nulló modo
Potest fíeri prorsus, quín dos detur vírgini.
Ca. Namque hércle honeste fíeri ferme nón potest,
Ut eám perpetiar íre in matrimónium
Sine dóte, quom eius rém penes me habeám domi.
Me. Paráta dos domi ést; nisi exspectáre vis,
Ut eám sine dote fráter nuptum cóllocet,
Post ádeas tute Phíltonem et dotém dare
Te ei dícas: facere id éius ob amicitiám patris.
Verum hóc ego vereor, ne ístaec pollicitátio
Te in crímen populo pónat atque infámiam.
Non témere dicant té benignum vírgini:
Datám tibi dotem, ei quám dares, eius á patre;
Ex eá te largitári, neque ita, ut sít data,
Incólumem sistere ílli, et detraxe aútument.
Nunc si ópperiri vís adventum Chármidis,
Perlóngum est; huic ducéndi interea abscésserit
Lubído; atque ea condítio hic vel primária est.
Ca. Eadem ómnia istaec véniunt in mentém mihi.
Me. Vide, si hóc utibile mágis atque in rem députas,
Ut ádeam Lesbonícum, edoceam, ut rés se habet.
Ca. Ut égo nunc adulescénti thesaurum índicem
Indómito, pleno amóris ac lascíviae?

Act. III. Sc. III. Constituunt inter se Megaronides et Callicles, ut Callicles de thesauro sumat, quantum ad dotem opus sit puellae, idque per sycophantam, quasi a patre Lesbonici absente missum, ad hunc afferri curet. Discedunt.

1. *Ut rem narras*, i. e. Prout te audio fabulari.

9. *eius* ut monosyllabum legito. Et *amicitiam* rectius fortasse quadrisyllabum scanderis: *amitiam*. Cf. n. ad Amph. 3, 2, 49.

14. Sic vulg. nisi quod: *largitari te*. Pall. *largitate illi* et in sqq. *columen* omissa *in*. — Vett. *Ex ea largitari te illi*, *neque ita*, *ut sit data*, *Columen te sistere illi et detraxe autument*. Criminatio igitur est, quod non omnem dotem sibi commissam exhibuerit Callicles, sed partem tantum, partem autem suum in usum detraxerit. Videlicet ad *largitari* suppl. *partem*. — *incolumem* divisim exhibet vulgata, et legendum censet Lambinus, siquidem *columen* non sit latinum. Ego, ut omnino in Trinumo, ita praecipue hac et praecedenti scena vel a sententiis vel versu quaedam non optime habere arbitror, eamque ob rem iudico ferri posse istanc tmesin, ut *in* trahatur ad versum 14. Simul tamen faciliorem medelam non possum non ferre, ut *incolumem* integrum ab initio ponatur versu 15, omisso pronomine *te*, quod libri habent ante *sistere*, quodque iam affuit versu 14. Adiectivum *incolumis* eodem sensu v. Pers. 2, 5, 23.

18. Hic versus deest in edd. vulg. et vett., repertus in cod. Ambrosiano ab Ang. Maio. Legitur tamen ibi *huic*. Sensus: at haec cum Lysitele matrimonium praecipuae plane dignitatis hac in urbe est. Cf. Aul. 3, 5, 2. Stich. 1, 1, 52.

19. Vulg. *Nam hercle omnia*, quod retinuit Bothius. Nostr. praebuit idem ille cd. Ambrosianus, qui praecedentem praestitit versum.

20. *Vide*, *si* idem est, quod: *contemplare*, *an*. Cf. ind. v. *Si*.

21. Vulg. et vett. *Ut adeam Lesbonicum*, *edoceam ut res se habet*. Vett. *sese habet*. Correxit Acidalius: *adeas — edoctum*. Non opus.

Minumé, minume hercle véro! nam certó scio:
Locúm quoque illum omnem, úbi situst, comóderit;
Quem fódere metuo, sónitum ne ille exaúdiat;
Ne ipsám rem indaget, dótem dare si díxerim.
Me. Quo pácto ergo igitur? *Ca.* Clám dos depromí potest.
Dum occásio ei rei réperiatur, ínterim
Ab amíco aliquo alicunde árgentum in dotém rogem.
Me. Potin' ést ab amico alicúnde exorarí? *Ca.* Potest.
Me. Gerraé! nae tu illud vérbum actutum invéneris:
„Mihí quidem hercle nón est, quod dem mútuom.“
Ca. Malim hércle — ut verum dícas, quam ut des mútuom.
Me. Sed víde consilium, sí placet. *Ca.* Quid cónsili est?
Me. Scitum, út ego opinor, cónsilium inveni. *Ca.* Quid est?
Me. Homo cónducatur áliquis iam, quantúm potest,
Ignóta facie, quaé non visitáta sit,
Quasi sít peregrinus. *Ca.* Quíd is scit facere póstea?
Me. Is homo éxornetur gráphice in peregrinúm modum,
Falsídicum, confidéntem. *Ca.* Quid tum póstea?
Me. Quasi ad ádulescentem á patre ex Seleúcia
Veniát; salutem ei núntiet verbís patris:
Illúm bene gerere rem ét valere et vívere,
Et eúm rediturum actútum. Ferat epístolas
Duas; éas nos consignémus, quasi sint á patre.
Det álteram illi, dícat alterám tibi
Dare sése velle ... *Ca.* Pérge porro dícere.
Me. Seque aúrum ferre vírgini dotem á patre
Dicát; patremque id iússisse aurum tíbi dare.
Tenés iam? *Ca.* Propemodo, átque ausculto pérlubens.
Me. Tum tu ígitur demum id ádulescenti aurúm dabis,
Ubi érit locata vírgo in matrimónium.
Ca. Scite hércle sane! *Me.* Hoc, úbi thesaurum effóderis,
Suspícionem ab áduleseente amóveris:
Censébit, aurum esse á patre adlatúm tibi;
Tu dé thesauro súmes. *Ca.* Satis scite ét probe;

25. *comederit*, dilapidaverit.

30. Pall. et vulg. *Ab amico alicunde argentum roges.* Vett. *Ab amico aliquo alicunde argentum in dotem roges.* Recentt. *Ab amico alicunde mi argentum in dotem rogem.* Mihi totus locus a vs. 29 ad vs. 34 aut suppositicius aut male factus videtur ad exemplar Pseud. I, 3, 66. 75. et Epid. III, 1, 12—17.

34. Haec quasi responsio sunt ad eum, qui ita se excusaverit. Velle se ait Callicles, at illi, qui ita loquatur, vere nihil sit, quod commodare possit alteri. Non enim sunt ad Megaronidem dicta.

35. *vide, si placet* iterum est i. q. considera, an forte tibi probetur. Cf. vs. 20.

37. *quantum potest*, quam citissime.

38. Hic versus in edd. post 40 legitur. Ordinavit Hermannus.

39. *quid is scit facere postea?* Sic vulg. et libri. Et cf. Pers. 4, 6, 2 et ib. V, 2, 76. Curc. V, 2, 22. Sensus: quid istius hominis erit facere? quid faciet ille?

41. Lambinus mallt: *Falsidicus confidensque.*

51. Sic vulg. — Vett. *propemodum.* Nostr. et Pall.

52. *adulescenti*, Lysiteli.

54. *Hoc*, i. e. hac re, hoc modo. *ubi*, i. e. quo ex loco.

55. *Susp. amoveris*, i. e. non ille poterit suspicari.

Quamquam hóc me aetatis sýcophantarí pudet.
Sed epístolas quando óbsignatas ádferet,
Si quidem óbsignatas áttulerit epistolas:
Nonne árbitraris, éum adulescentem ánuli
Patérni signum nóvisse? *Me.* Etiam tú taces?
Sexcéntae ad eam rem caúsae possunt cólligi:
Illum quem hábuit, perdidit; álium post fecít novom.
Iam si óbsignatas nón feret: dici hóc potest,
Apud pórtitorem éas resignatás sibi
Inspéctasque esse. In húiusmodi negótio
Diém sermone térere, segnitiés mera est:
Quamvís sermones póssunt longi téxier.
Abi ád thesaurum iám confestim clánculum;
Servós, ancillas ámove; atque audín'? *Ca.* Quid est?
Me. Uxórem quoque ipsam hánc rem uti celés face:
Nam pól tacere núnquam quidquam est quód queat.
Quid núnc stas? quin te hinc ámoves et té moves?
Aperí; deprome inde, aúri ad hanc rem quód sat est;
Contínuo operito dénuo; sed clánculum,
Sicút praecepi; cúnctos exturba aédibus.
Ca. Ita fáciam. *Me.* At enim nimis lóngo sermone útimur:
Diém conficimus, quód iam properató est opus.
Nihil ést, de signo quód vereare. Mé vide.
Lepida ést illa causa, ut cómmemoravi, dícere,
Apud pórtitores ésse inspectas. Dénique
Diéi tempus nón vides? Quid illúnc putas
Natúra illa atque ingénio? Iamdudum ébriust:
Quidvís probari póterit. Tum, quod máxumum est,
Adférre, non petere híc se dicet. *Ca.* Iám sat est.
Me. Ego sýcophantam iám conduco dé foro,
Epístolasque iám consignabó duas,
Eumque húc ad adulescéntem meditatúm probe
Mittám. *Ca.* Eo ego igitur íntro ad officiúm meum.
Tu istúc age. *Me.* Actum réddam nugacíssume.

58. *sycophantari* est: sub simulata aliqua persona imponere alicui, aliquem decipere. Hinc *sycophantae*, qui alienam induunt personam. Amph. 1, 3, 8. Men. 2, 1, 35.

60. Cf. v. 65. et IV, 2, 11. Rud. 4, 3, 44.

64. Vett. *Eum quem habuit.*

67. *In huiusmodi — longi texier.* Otiosa haec et minime huic loco apta esse, quivis facile animadvertet.

79. *quod iam* etc. i. e. diem conficimus fabulando de eo quod iam propere exsequendum nobis esset.

80. *Me vide*, i. e. Mihi crede.

83. *Quid illunc — ebriust*, h. e. Nonne tu existimas illum iamdudum ebrium esse, ita ut facile quidvis illi probari possit?

87. *sycophantam.* Cf. ad v. 58.

91. Manuscripti: *nugaces sunt nisi.* In vulg. et vett. post *reddam* lacuna. Nostrum Hermannus. Bensus: quam-maxime comice. Cf. IV, 2, 2. Both. *nugax sum, nisi!*

ACTUS IV. SCENA I.

CHARMIDES,

Sálsipotenti et múltipotenti Ióvis fratri, et Nereí Neptuni
Laétus, lubens, laudés ago et grates grátiasque habeo, et flúctibus salsis,
Quós penes mei fuít potestas, bónis meis quid foret, ét meae vitae,
Quóm suis me ex locís in patriam urbísque moenia réducem faciunt.
Átque ego, Neptuné, tibi ante alios deós gratias ago atque hábeo summas:

Act. IV. Sc. I. Advenit ex portu Charmides redux ex itinere. Gratulatur sibi, quod salvus evaserit mare. Videt sycophantam accedentem. Recedit paullo, spectatum, quid hic sibi velit.

1. Pall. vulg. vett. *Iovis fratri, et Nerei Neptuni*, id quod sic interpretantur: *et Nereo, Neptuni fratri*, ut ad praecedentia supplendum sit *Neptuno*, et *Nerei* sit positum pro *Nereo*, tamquam Graeca dativi forma: Νηρεῖ. Quae lectio quoniam non consentanea visa est, siquidem Nereus neque frater neque filius Neptuni vocitari recte posset, variae loci emendationes a viris doctis sunt in medium allatae. Atque Lambinus, aliquantum, ut ait, a libris suis adiutus, fecerat: *Iovis fratri, Neptuno et Nereo*, quam I. Hermannus in textum recepit. Contra eam autem Lindemannus monet: nullum omnino hic Nerei locum esse posse, utpote qui tranquillus potius et otiosus deus marinus clueat. Contra quam Lindemanni obiectionem hoc afferri potest, quod ipse Charmides versu 8 disertis testatur, se placido et clementi et quasi optaverit usum esse Neptuno. Ast, inquies, idem Charmides in seqq. a vs. 15 ait, circumstetisse navem suam turbines, quasi canes, magnoque se in periculo esse iactatum. At ego contra animadverto, facile apparere posse ex hac ipsa repugnantia, locum omnem a v. 10 ad v. 20 esse insititium, praesertim quum et versus pessime currant, et alia a rebus atque sententiis argumenta accedant. Nam quo iure se mendicum dicat Charmides, non intelligitur, quum et v. 20 de divitiis loquatur, et IV, 4, 14 iubeat efferri merces, et V, 3, 7 dicat se re bene gesta redire. Dein v. 19 postquam laudavit pacem Neptuni, quam insipide statim addantur: *Apage a me, sis* etc. quivis videt. Et sic plura. — Mihi, quin reciperem Lambinianam emendationem, dubitationem iniecit non tam sensus, quam quod ab codicum lectione nimium eam videbam recedere. Ad quam sane propius accedit emendatio Bothiana: *Iovis fratri aetherei, Neptuno*, siquidem quidam legunt *et Nereo Neptuno*. Quam et Lindemannus et Goellerus in textum suum recepere, et Goellerus quidem allatis locis Virg. Georg. II, 325. Stat. Sylv. III, 1, 186. Ovid. Ib. 476. quibus addi potest Lucian. Philopatr. c. 4. Νὴ τὸν Δία τὸν αἰθέριον etc. Ego item reciperem, nisi viderem, epitheton *aetherei* epico magis convenire carmini, quam comicae poesi et moribus aut personae Charmidis. Itaque omissa omni emendatione huius loci, quasi Ritschelianam hic sectam secutus, Palatinos tueor, praesertim quum tamen aliquo modo, si minus genealogice, at tamen philosophico, Neptuni vel frater vel consanguineus Nereus dici queat.

2. *gratias* tamquam disyllabum legendum, elisa *i* media. Atque sic saepe faciendum in *filius*, *gloria*, aliis. Habent autem nostram Palatini et optimi edd. — *Grates gratiaeque* utut habeant tautologiam, similiter alias iunctim leguntur *antiquum et vetus* etc. Versus vero in Trinummo omnino licentiores sunt conditi. Cf. v. 5 et 9.

3. In vulg. et Pall. deest *fuit*, quod addidi. Sensus: *Quorum ab arbitrio pependit, quid foret de vita mea et de bonis meis.* Vett. *Quos penes mei potestas boni misque foret, et meae vitae.* Decurt. *bonis mis quid foret et meae vitae.*

4. *Quum* i. e. q. *Quod*, referturque ad *grates ago*. Dictio *quum* in formulis solennibus, ut gratulationibus etc. more adhiberi solita. Cf. ind. v. *Gratulationis formula*. — *suis ex locis*. Cf. Rud. 4, 2, 2. *Qui salsis locis incolit pisculentis.* et Mil. 2, 5, 3. *Quae me in locis Neptuniis templisque turbulentis Servavit.*

5. *atque* correptim legendum et hic et versu 9.

Nám te omnes saevómque severumque átque avidis moríbus commemorant,
Spúrcificum, immanem, íntolerandum, vésanum; contra ópera expertus:
Nám pol placido te ét clementi méo usque modo usús sum in alto.
Átque hanc tuam gloriam iam ánte auribus accéperam nobilém apud homines:
Paúperibus te párcere solitum, dívites damnare átque domare.
Ábi, laudo: scis órdine, ut aequom est, tráctare homines. Hóc dis dignum est:
Sémper méndicís modestí sint.
Fídus fuisti; infídum esse iterant: nam ábsque foret te, sát scio in alto
Dístraxissent dísque tulissent satéllites tui me míserum foede,
Bónaque omnia item úna mecum pássim caeruleós per campos:
Íta iam quasi canés, haud secus, circúmstabant navem túrbines venti,
Ímbres fluctusque átque procellae infénsae *** frángere malum,
Rúere antennas, scíndere vela, ni túa pax propitiá foret praesto.
— Ápage a me, sis! deínde hinc certum est ótio me dare. Sátis partum habeo.
Quíbus aerumnis déluctavi, fílio dum divítias quaero!
Séd quis hic est, quí in pláteam ingreditur cúm novo ornatú specieque
Símitu? Pol, quamquám domum cupio, ópperiar hic, quám gerat rem.

ACTUS IV. SCENA II.

SYCOPHANTA. CHARMIDES.

Sy. Huíc ego diei nomén Trinummo fáciam: nam ego operám meam

7. *contra opera expertus*, h. e. expertus opera tua (h. e. opem) contra atque illi experti sunt. *Expertus* autem participium est ad vs. 5 *gratias habeo*, ita ut verba *Nam* — *vesanum* parenthetico accipiantur dicta.

8. Verba ut volui scholion existimo ad *meo modo*. Pro *in alto* vett. *haud alio* i. e. modo. Dscurt. *in alio*.

9. Vulg. et vett. *et nobiles apud homines*. — *Nobilem* (quod habet Pareus) i. e. q. notam, inclutam. Scansio ita instituenda est, ut *Atque hanc tuam* unum pedem efficiant.

11. *abi: laudo:* quasi nostrum: *Geh' nur hin, ich tadele dich nicht, ich lobe dich*. Cf. Ter. Ad. IV, 2, 25 et V, 1, 8. Horat. Epist. II, 2, 211.

12. modesti, moderati, non impotentes.

14. *disque tulissent* per tmesin, pro: et distulissent, h. e. discerpsissent. *satellites* sunt venti, turbines, fluctus maris. Cf. v. 17. navem monosyllabum. Cf. Bacch. 4, 5, 27 n.

17. Vulg. *Imbres*. Vett. *Imber*. Addi possit *que*. Ceterum aegre ita versus expletur, ad quem deest etiam tum aliquid. Igitur existimo excidisse aliquid post *infensae*, quale: *cupidae*.

18. *ruere*, verbum neutrum, active hic usurpatum, ut et Ter. Adelph. 3, 2, 21. Virg. Georg. II, 308, Aen. XII, 454. Ovid. Met. XII, 134. Ceterum versus claudicat.

22. Vulg. et vett. *Simul*. — *domum* sc. *ire*.

Act. IV. Sc. II. Advenit sycophanta, (de quo cf. n. ad III, 3, 58.) tamquam a Charmide missus. Charmides eum alloquitur, de nomine quaerit. — Ille men-

Tríbus numis hodié locavi ad ártes nugatórias.
Ádvenio ex Seleúcia, Macedónia, Asia atque Árabia,
Quás ego neque oculís nec pedibus únquam usurpaví meis.
Víden', egestas quíd negoti dát homini miseró mali!
Qui égo nunc subigor, tríum numorum caúsa ut has epístolas
Dícam ab eo homine me áccepisse, quem égo, qui sit homo, nescio
Néque novi neque, nátus necne is fúerit, id solidé scio.
Ch. Pól hic quidem fungíno genere est: cápite se totúm tegit.
Íllurica faciés videtur hóminis; eo ornatu ádvenit.
Sy. Ílle, qui me condúxit, ubi condúxit, abduxít domum;
Quaé voluit, mihi díxit; docuit, ét praemonstravít prius,
Quómodo quidque agerém. Nunc adeo, sí quid ego addidero ámplius,
Eó conductor mélius de me núgas conciliáverit.
Út ille me exornávit, ita sum ornátus. Árgentum hóc facit.
Ípse ornamenta á chorago haec súmsit suo perículo;
Núnc ego, si potero órnamentis hóminem circumdúcere,
Dábo operam: ut me esse ípsum plane sýcophantam séntiat.
Ch. Quám magis specto, mínus placet mihi hóminis facies. Míra sunt,
Ni íllic homo est aut dórmitator, aút sector zonárius.
Lóca contemplat, círcumspectat sése, atque aedis nóscitat:
Crédo edepol, quo móx furatum véniat, speculatúr loca.
Mágis lubido est óbservare, quíd agat; ei rei operám dabo.
Sy. Hás regiones démonstravit míhi ille conductór meus;
Ápud illas aedís sistendae míhi sunt sycophántiae.
Fóres pultabo. *Ch.* Ad nóstras aedes híc quidem habet rectám viam:
Hércle opinor mi ádvenienti hac nóctu agitandum est vígilias.
Sy. Áperíte hoc, aperíte! Heus, ecquis his fóribus tutelám gerit?
Ch. Quíd, adulescens, quaéris? quid vis? quíd istas pultas? *Sy.* Heú, senex,
Cénsus quum sum, iúratori récte rationém dedi.
Lésbonicum hic ádulescentem quaéro, in his regiónibus
Úbi habitet, et item álterum ad istanc cápitis albitúdinem;

dacia sua edit. Ergo Charmides pariter cum eo negatur, ac de se ipso quaerit, qualis sit. — 85. Deinde quos locos adierit ille. — 117. Deinde se ipsum praedicat esse Charmidem. — 156. Ille vero non credit, et mala illi apprecatus, abit ad illum, qui sibi dederit argentum et epistolas, Calliclem. — 165. Charmides restat dubius quid rei esse dicat. Advenit Stasimus.

8. *neque natus necne is fuerit*, h. e. an revera existat talis homo.

9. *tegit*, sc. petaso magno.

11. *Ille*, sc. Megaronides.

14. *conciliaverit*, i. e. emerit. Cf. Epid. 3, 4, 40 not.

17. *si potero* i. e. q. an possim.

19. *Mira sunt, nisi.* Vide supra ad II, 4, 94.

20. *Dormitator*, qui interdiu dormit, noctu vigilat ad grassandum latrocinandumque. Gr. ἡμερόκοιτος. Hesiod. Op. et D. vs. 603, (al. 605.).

21. *circumspectat sese*, h. e. circum sese spectat.

27. Sic vulg. et Pall. At vett. *agitandae sunt vigiliae.*

29. *Heus* vett. — Vulg. *Heu*, uti et Pall.

30. Vulg. et Pall. *Census cum iuratori r. r. d.* Vett. *Census coniuratori si recte r. d.* Nostr. Acidal. — *iurator* quis fuerit, non satis liquet. V. Poen. prol. 56.

Cálliclem aiebát vocari, qui hás mihi dedit epístolas.
Ch. Méum gnatum hic quidem Lésbonicum quaérit, et amicúm meum,
Quoí ego liberósque bonaque cómmendavi, Cálliclem.
Sy. Fác me, si scis, cértiorem, hice hómines ubi habitént, pater.
Ch. Quíd eos quaeris? aút quis es? aut únde es? aut unde ádvenis?
Sy. Múlta simul rogitás: nescio, quid éxpediam potíssumum.
Si únumquidquid síngillatim et plácide percontábere:
Ét meum nomen, ét mea facta, et ítinera ego faxó scias.
Ch. Fáciam ita, ut vis. Ágedum, nomen túom primum memorá mihi.
Sy. Mágnum facinus íncipissis pétere. *Ch.* Quid ita? *Sy.* Quía, pater,
Si ánte lucem íre occipias á meo primo nómine,
Cóncubium sit nóctis, priusquam ad póstremum pervéneris.
Ch. Ópus face est et viático ad tuom nómen, ut tu praédicas.
Sy. Ést minusculum álterum, quasi vásculum vinárium.
Ch. Híc homo solide sýcophanta est. Quíd ais tu, adulescéns? *Sy.* Quid est?
Ch. Éloquere, isti tíbi quid homines débent, quos tu quaéritas?
Sy. Páter istius ádulescentis dédit has duas mihi epístolas
Lésbonici. Mihi ést amicus. *Ch.* Téneo hunc manufestárium!
Mé sibi epistolás dedisse dícit! Ludam hominém probe!
Sy. Íta ut occepi, si ánimum advortas, dícam. *Ch.* Dabo operám tibi.
Sy. Hánc me iussit Lésbonico, súo gnato, dare epístolam;
Ét item hanc alterám suo amico Cállicli iussít dare.
Ch. Míhi quoque edepol, quom híc nugatur, cóntra nugarí lubet. —
Úbi ipse erat? *Sy.* Bene rém gerebat. *Ch.* Érgo ubi? *Sy.* In Seleúcia.
Ch. Áb ipson' istas áccepisti? *Sy.* E mánibus dedit mi ipse ín manus.
Ch. Quá facie est homó? *Sy.* Sesquipede quídem est quam tu lóngior.
Ch. Haéret haec res; sí quidem ego absens súm, quam praesens, lóngior.
Nóvistin' hominém? *Sy.* Ridicule rógitas, quocum uná cibum

32. *ad istanc capitis albitudinem*, sc. quali tu es.

36. Vett. et Pall. *hisce*.

39. Edd. *Sin unumquidq.*

43. Ergo permagnum sibi fingit esse nomen, fortasse quale Sagaristio Pers. IV, 6, 20—23. Simul tamen versu 46 aliud etiam sibi innuit esse nomen minusculum, quod eloquitur demum v. 104, nimirum *Pax*, quodque quasi quotidianum sibi sit.

45. Vett. et Pall. *Opus facto est, et.* Lamb. *farcto*. *Face* emendavit Lipsius. Habet vulg.

47. *Quid ais?* Vide indicem sub hac ipsa voce. Nostrum: *Hör' einmal, Freund!* seu: *Noch Eins!* et *Quid est?* verte: *Und?* V. vs. 85.

59. Hic versus in Decurt. et vett. deest. Legitur in V. C. — *haeret haec res*. Locutio proverbialis, alibi etiam in Plauto obvia, cf. Amph. 2, 2, 191. Pseud. 4, 2, 28. Sensus: scilicet ita se res habet. Neque de dubitatione ast incongrue cogitandum. Cf. not. ad Amph. l. l.

Cápere soleo. *Ch.* Quíd est ei nomen? *Sy.* Quód edepol hominí probo.
Ch. Lúbet audire! *Sy.* Illi édepol — illi — illi — Vae miseró mihi!
Ch. Quíd est negoti? *Sy.* Dévoravi nómen imprudéns modo.
Ch. Nón placet, qui amícos intra déntis conclusós habet.
Sy. Átque etiam modo vórsabatur mi ín labris primóribus.
Ch. Témperi huic hodie ánteveni. *Sy.* Téneor manufestó miser!
Ch. Iámne commentátus's nomen? *Sy.* Deûm hércle me atque hominúm pudet!
Ch. Víde, homo, ut hominem nóveris. *Sy.* Tamquám me. Fieri istúc solet:
Quód in manu teneás atque oculis vídeas, id desíderes.
Lítteris recómminiscar. C ést principium nómini.
Ch. Cállias? *Sy.* Non ést. *Ch.* Callippus? *Sy.* Nón est. *Ch.* Callidémides?
Sy. Nón est. *Ch.* Callinícus? *Sy.* Non est. *Ch.* Cállimarchus? *Sy.* Níhil agis;
Néque adeo edepol flóccifacio; quándo egomet meminí mihi.
Ch. Át enim multi Lésbonici súnt hic: nisi nomén patris
Díces, non monstráre possum istos hómines, quos tu quaéritas.
Quód ad exemplum est? cóniectura sí reperire póssumus.
Sy. Ád hoc exemplum est: Chár. *Ch.* An Chares? an Cháridemus? num Chármides?
Sy. Hém, istic erit! Quí istúm di perdant! *Ch.* Díxi ego iamdudúm tibi:
Té potius bene dícere aequom est hómini amico, quám male.
Sy. Sátin' intra labra átque dentis látuit vir minumí preti?
Ch. Né male loquere abseénti amico. *Sy.* Quíd ergo ille ignavíssumus
Mihi latitabat? *Ch.* Si áppellasses, réspondisset, nómine.
Séd ipse ubi est? *Sy.* Pol íllum reliqui ad Rhádamam in Cecropia ínsula.
Ch. Quí homo est me insipiéntior, qui, ípse égomet ubi sim, quaéritem?
Séd nil discondúcit huic rei. — Quíd ais? *Sy.* Quid? *Ch.* Hoc, quod té rogo.

61. Sic Pall. — Al. *Quod est ei n.*
63. *devoravi*, supple: et ideo eloqui aut reddere illud nequeo.
68. *Vide, ut noveris.* Dubium non esse debet, *ut* in hac dictione esse i. q. quomodo; ut igitur sensus sit: vide, quam parum tu noveris hominem. Similiter Capt. 2, 2, 42.
70. *Litteris*, h. e. *Buchstabenweise.*
71. Sic Hermannus. Vulg. *Calliclas.*
73. Vulg. et vett. *memini mei.* Nostr. Both.
78. *Qui istum di perdant*, h. e. *utinam i. d. p.* Cf. Cas. 2, 4, 1. Men. 3, 1, 6. Pers. 5, 2, 6. Rud. 4, 4, 121. — *iamdudum*, paullo ante.
77. Sic vulg. ex emendatione Palmerii. Vett. omnia Charmidae tribuunt, sic: *Ad hoc exemplum? an Chares? an Charmides? num Charmides?*
80. *Satin'* i. e. q. *Nonne.* Cf. Mil. 4, 2, 9. Amph. 2, 2, 1.
83. Vulg. et vett. *Rhadamantem.* Nostr. de coni. — Ceterum locorum nomina quae narrat, ficta sunt.
85. *nil disconducit*, nihil nocet, non superfluum est, quo ego comperiam, quid rei sit.

Quós locos adísti? *Sy.* Nimium míris modis mirábiles.
Ch. Lúbet audire, nísi molestum est. *Sy.* Quín discupio dicere.
Ómnium primum in Póntum advecti ad Árabiam terrám sumus.
Ch. Eho, án etiam Arabia ést in Ponto? *Sy.* Est. Nón illaec, ubi thus gignitur;
Séd ubi absinthiúm fit atque cúnila gallinácea.
Ch. Nímium graphicum hunc nugatorem! Séd ego sum insipiéntior,
Qui égomet, unde rédeam, hunc rogitem, quae égo sciam atque hic nésciat;
Nísi quia lubet éxperiri, quo évasurust dénique.
Quíd tibi nomen ést, adulescens? *Sy.* Páx, id est nomén mihi;
Hóc cotidiánum est. *Ch.* Edepol nómen nugatórium!
Quási dicas, si quíd crediderim tibi: pax! periisse íllico.
Séd quid ais? quo inde iisti porro? *Sy.* Si ánimum advortas: éloquar.
Ád caput amnis, quód de coelo exóritur sub solió Iovis.
Ch. Súb solio Iovis? *Sy.* Ita dico. *Ch.* E coélo? *Sy.* Atque e medió quidem.
Ch. Eho, án etiam in coelum éscendisti? *Sy.* Imo hóriola advectí sumus
Úsque aqua advorsá per amnem. *Ch.* Eho, an étiam vidistí Iovem?
Sy. Eum álii dii isse ad víllam aiebant, sérvis depromtúm cibum.
Deínde porro .... *Ch.* Deínde porro nólo quidquam praédices.
Sy. Ego quidem hercle, si és molestus. *Ch.* Nám pudicum néminem
Ésse oportet, quí abs terra ád coelum pervénerit.
Sy. Dímittam, ut te vélle video. Séd monstra hosce hominés mihi,
Quós ego quaero, quíbus me oportet hás deferre epístolas.
Ch. Quíd ais tu nunc? sí forte eum ipsum Chármidem conspéxeris,
Íllum, quem tibi istás dedisse cómmemoras epistolas,
Nórisne hominem? *Sy.* Naé tu me edepol árbitrare béluam,
Quí quidem non novísse possim, quícum aetatem exégerim.
Án ille tam esset stúltus, qui mihi mílle numum créderet
Philíppeum, quod me aurúm deferre iússit ad gnatúm suom
Átque ad amicum Cállicles, quoi rem aíbat mandasse hic suam?
Mihi concrederét, nisi med ille ét ego illum nossem ápprobe?
Ch. Énimvero ego nunc sýcophantae huic sýcophantarí volo,
Si húnc possum illo mílle numum Philíppeo circumdúcere,

90. *cunila*, id quod *origanum* vocat Plinius. Q. v.

94. Vulg. *Quid est tibi nomen*, *ad.*

96. *Quasi dicas* etc. h. e. hoc tuum nomen fortasse significat, si tibi aliquid, v. c. argentum, crediderim, id statim periisse. *Pax* enim interiectio Graeca nihil habet commune cum Romanorum Pace, sed est sonitus quidam, significans momentum punctumque temporis. Cf. Stich. V, 5, 31. Ter. Heaut. 4, 3, 39.

102. Vett. *Callicli isse ad villam aiebant.* V. C. *Callicli se ad.* Decurt. *Callicli ad.* Vulg. *Alii dii isse ad v. a.* ex Acidalio. Nostr. Herm.

104. Edd. omittunt *quidem.* Pall. *O hercle si,* Nostr. Herm. Suppl. *porro nugabor.* — Vett. *si eris mol.* — *Nam pudicum*, Sensus: Nam impudentis hominis est, dicere se ad coelum pervenisse abs terra.

106. *Dimittam* sc. te. Non nugabor amplius.

110. Edd. *Noverisne.*

117. Sic vulg. — Vett. *Si hunc pos-*

Quód sibi me dedísse dixit. Quem égo, qui sit homo, néscio:
Néque oculis ante húnc diem unquam vídi: eine aurum créderem?
Quoí, si capitis rés sit, numum númquam credam plúmbeum.
Ággrediundust hío homo mi astu. — Heus, Páx, te tribus verbís volo.
Sy. Vél trecentis. *Ch.* Háben' tu id aurum, quód accepisti a Chármide?
Sy. Átque etiam Philippeúm, numeratum íllius in mensá manu,
Míle numum. *Ch.* Némpe ab ipso id áccepisti Chármide?
Sy. Mírum, quin ab avo éius aut proavo accíperem, qui sunt mórtui.
Ch. Ádulescens, cedodum ístuc aurum míhi. *Sy.* Quod ego aurum dém tibi?
Ch. Quód a me te accepísse fassus. *Sy.* Ábs te accepisse? *Ch.* Íta loquor.
Sy. Quís tu homo es? *Ch.* Qui míle numum tíbi dedi, ego sum Chármides.
Sy. Néque edepol tu is és, neque hodie is únquam eris, auro huic quidem.
Ábi, sis, nugatór: nugari núgatori póstulas.
Ch. Chármides ego súm. *Sy.* Nequidquam hercle és: nam nihil aurí fero.
Nímis argute óbrepsisti in eápse occasiúncula:
Póstquam ego me aurum férre dixi, póst tu factus Chármides;
Príus tu non eras, quam aúri feci méntionem. Níhil agis.
Proín' tu te itidem, ut Chármidatus és, rursum rechármida.
Ch. Quís ego sum igitur, sí quidem is non sum, quí sum? *Sy.* Quid id ad me áttinet?
Dum ílle ne sis, quem ego ésse nolo, sís mea causa quí lubet.
Príus non is eras, quí eras; nunc is fáctus, qui tum nón eras.
Ch. Áge, si quid agis. *Sy.* Quíd ego agam? *Ch.* Aurum rédde. *Sy.* Dormitás, senex.
Ch. Fássus, Charmidém dedisse aurúm tibi? *Sy.* Scriptúm quidem.
Ch. Próperas, an non próperas, abire actútum ab his regiónibus,
Dórmitator, priúsquam ego hic te iúbeo mulcarí male?

sim illis mille numis Philippeis circumducere, Quos s. m. d.

123. *in mensa*, sc. apud trapezitam. *illius* referto ad *manu*.

124. Vett. *Mille numos*.

130. *nugari nugatori postulas*. Falso interpretatur Lindemannus, cuius haec verba sunt: „Non hoc dicit, se esse nugatorem, sed hoc: Quod tu ante dixisti, me esse nugatorem, id tibi iam regero. Postulas enim, ut ego nuger cum nugatore, h. e. tecum.“ Aperte locus est parallelus cum illo, qui supra legitur v. 116 *sycophantae huic sycophantari volo*. Atque *postulare*, uti centies, ita et hic, i. e. q. velle, existimare posse aut debere fieri ut etc. Cf. Amph. 2, 2, 166. As. 3, 1, 4. Cas. 1, 1, 39. 53. Ep. 3, 4, 9. Most. 3, 1, 81. Poen. 1, 2, 188. Pseud. 1, 1, 99. Sensus igitur: *tu nugari vis cum nugatore*. Aut enim hic aperte fatetur se nugatorem, aut supplendum *quasi*, ut sit: tu enim videris nugari velle mecum, tamquam cum nugatore.

139. *Age, si quid agis: Nun, mache nicht lange!* V. indic. sub ea v.

141. *abire*. Sic edd.; atque pariter infinitivus poterit duabus syllabis legi, atque imperativus *abi* una. V. C. *abere*. Both. *propere abire*. Herm. Lind. Geell. *properas ire*.

Sy. Quámobrem? *Ch.* Quia illum, quem émentitus es, égo sum ipsus Chármides,
Quém tibi epistolás dedisse aiébas. *Sy.* Eho, quaeso, án tu is es?
Ch. Ís enimvero sum. *Sy.* Áin tu tandem? is ípsusn' es? *Ch.* Aio.
Sy. Ípsus es?
Ch. Ípsus, inquam, Chármides sum. *Sy.* Ergo ípsus es?
Ch. Ipsíssumus.
Ábin' hinc ab oculís? *Sy.* Enimvero sério quoniam ádvenis, —
Vápulabis meo árbitratu ét novorum aedílium.
Ch. Át etiam maledícis? *Sy.* Imo, sálvos quandoquidem ádvenis,
Dí te perdant, sí te floccifácio, an periissés prius!
Égo ob hanc operam argéntum accepi; té macto infortúnio.
Sédenim, tu qui sís, qui non sis, flóccum non intérduim.
Íbo ad illum; renúntiabo, quí mihi tris numós dedit:
Út sciat, se pérdidisse. Ego ábeo. Male vive ét vale.
Quód di te omnes ádvenientem péregre perdant, Chármides!
Ćh. Postquam ílle hinc abiit, póst loquendi líbere
Vidétur tempus vénisse atque occásio.
Iamdúdum meum ille péctus pungit áculeus,
Quid illí negoti fúerit ante aedís meas:
Nam epístola illa míhi concenturiát metum
In córde et, illud mílle numum quám rem agat.
Nunquam édepol temere tínnit tintinnábulum;
Nisi quí illud tractat aút movet, mutum ést, tacet.
Sed quís hic est, qui huc in pláteam cursuram íncipit?
Lubet óbservare, quíd agat. Hũc concéssero.

ACTUS IV. SCENA III.

STASIMUS. CHARMIDES.

St. Stásime, fac te própere celerem! récipe te ad dominúm domum:

142. *dormitator.* Cf. vs. 20.

143. *illum quem* pro *ille quem*, solita attractione, uti Amph. 4, 1, 1. Epid. 3, 4, 12 al.

144. Vett. *Eho, qu., tu is es?*

147. Sic Pall. vett. et Both. — Vulg. *sero.* Recc. *sero quoniam huc advenis.* — locus est, similis ei, qui paullo post sequitur v. 150, ubi post verba *salvos quandoquidem advenis*, adduntur: *di te perdant, si* etc. Similiter hic post verba: *serio* (i. e. non ioco) *quoniam advenis*, quum sequi deberet: *tibi exhibebo argentum*, aut *coena detur*, nugatorie adduntur: *vapulabis* etc. Nihil cogitandum hic de histrionum poenis, uti vult cum Lindemanno Goellerus. Nihil enim deliquerat histrio.

149. Vett. *An etiam m.* Nostr. Pall.

150. *si te.* Sic vett. et Pall. — Vulg. *etsi.* — Est autem per attractionem i. q. si floccifacio, an tu perllsses.

152. Vett. *Sed enim tu qui sis*, q. n. Vulg. *Ceterum qui sis.* Pall. *Sederum.*

154. *se perdidisse*, sc. numos.

155. *Quod di tc* etc. Nemo nou videt, sensum esse debere: Utlnam te peregre redeuntem omnes di perdant! Similiter *qui* pro *utinam* legitur Cas. 2, 4, 1. Men. 3, 1, 6. Pers. 5, 2, 6. Rud. 4, 4, 121. Nostrum autem *quod* Most. 3, 1, 122.

160. *concenturiat*, quasi *concinnat* alibi. Tractum autem ab re militari, i. e. q. colligit, sicuti centurio congregare solet milites. Idem obvium Pseud. 1, 5, 159.

163. *Nisi qui*, h. e. nisi aliquis.

Act. IV. Sc. III. Stasimus, post-

Né subito metus éxoriatur scápulis stultitiá tua!
Ádde gradum! approperá! iamdudum fáctum est, quum abistí domo.
Cáve, sis, tibi, ne búbuli in te cóttabi crebrí crepent,
Si áberis ab heri quaéstione. Né destiteris cúrrere! —
Écce hominem te, Stásime, nihili! sátin' in thermopólio
Cóndalium es oblítus, postquam thérmopotas gútturem?
Récipe te, et recúrre, petere ré recenti! *Ch.* Huic, quísquis est,
Cúrculio est exércitor; is hunc hóminem cursurám docet.
St. Quíd, homo nihili? nón pudet te? tríbusne te potériis
Mémoriae esse oblítum? An vero, quía cum frugid hóminibus
Íbi bibisti, qui áb alieno fácile cohiberént manus?
Théruchus fuit, Cérconicus, Crínus, Cercobolus, Cóllabus,
Óculicrepidae, crúricrepidae, férriteri, mastígiae:
Ínter eosne hominés condalium té redipisci póstulas,
Quórum eorum unus súbripuit curréntí cursorí solum?
Ch. Ita me di ament, gráphicum furem! *St.* Quíd ego, quod periít, petam,
Nisi etiam labórem ad damnum appónam epithecam ínsuper?

quam frustra illud argentum repetierit, (III, 2, 101), sese ad herum ait properare, ne ille, nisi adsit, iratus sit sibi. Philosophatur de malis seculi moribus. —52. Alloquitur eum Charmides. Agnoscitur rediisse. Comperit de aedibus venditis. Ergo lamentatur.

3. *iamdudum.* Mirum videri debet, adv. *iamdudum* hic usurpari significatu proprie non Plautino. Nam *iamdudum* apud Plautum est i. q. paullo ante, modo. Cf. Amph. 2, 2, 69 sq. et indicem. Ex quo solo paene conlici posse dicas, Trinumum non esse Plauti, sed serioris aetatis.

5. *Si aberis ab heri quaestione*, h. e. si aberis, ubi te herus quaeret.

6. *Satin'*, i. e. nonne.

7. *Condalium*, annulum, qualem servi gestare solebant. *postquam* i. e. q. dum. *thermopotas* pro perfecto, quod ipsum habent edd. Cf. indic. s. v. Praesens pro perfecto.

8. *Recipe te*, h. e. redi in thermopolium. *petere re recenti*, ut repetas condalium statim, *auf frischer That.* V. ind. s. v. Infinitivus cum verbis eundi.

9. *curculio*, vermiculi genus; cuius appellatio quoniam a currendo descendere videri possit, curculio hic quasi exercitor currendi athleticus dicitur cursuram docere Stasimum, eumque in currendo exercere. Cf. Most. 4, 1, 7. *exercent sese ad cursuram.*

10. *homo nihili*, seipsum alloquitur.

11. *Memoriae.* Sic emend. Gull. — Edd. *Memoria.* Carpit autem seipsum, quod condalium oblitus sit, tribus poteriis (sc. Samiis, e quibus servi biberi solebant. Cf. Stich. 5, 4, 11) quasi memoria obscurata. — *an vero* sc. ideo illic reliquisti condalium tuum, quia existimabas te ibi bibere cum frugi hominibus? ironice.

14. *Oculicrepidae*, quorum oculi h. e. capita contunduntur pugnis, ubi puniuntur ab heris suis. — *cruricrepidae*, quorum crura crepunt, flagellis caesa.

15. *postulas*, i. e. speras.

16. *Quorum eorum.* Sic edd. et edd. Quod quoniam ferri vix posse videretur, (quamquam cf. Liv. VIII, 37, ad f. ubi ed. Drakenb. *quorum eorum ope ac consilio Veliterni* etc.) emendavit Hermannus: *Quorum unus subripuerit.* Bothius: *Quorum heri unus subripuit.* Possit et: *Quom eorum unus s.* Possit: *Quorum unus subripuit*, omissa elisione. Nos abstinemus emendatione, et explicamus *solum*, quod facere omnes omisere. Est autem solum non terra, qua currit cursor, verum aut solea calceamenti, aut infima pars pedis qua humum tangimus euntes. Atque priore significatione legitur Martial. 9, 74. *Mordere luto putre vetusque solum.* Altera Cic. Tusc. 5, 32. *Mihi calceamentum solorum callum, cubile terra.* et Lucret. *Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo.* Apparet, hic soleas intelligi debere.

17. *graphicum furem*, nimirum eum, qui cursori solum subripuerit. — *Quid ego* etc. Mutat igitur iam mentem, et condalium suum repetere omittit.

18. *laborem*, videlicet currendi. *da-*

Quín tu, quod periít, periisse dúcis? Cape vorsóriam!
Récipe te ad herum! *Ch*. Nón fugitivost híc homo: commeminít domi.
St. Átque utinam véteres mores, véteres parsimóniae,
Máiori hic honóri potius éssent, quam morés mali!
Ch. Di ímmortales, básilica hic quidem fácinora inceptát loqui!
Vétera quaerit! Vétera amare hunc, móre maiorúm, scias.
St. Nám nunc mores níhili faciunt, quód licet, nisi quód lubet;
Ámbitio iam móre sancta est, líbera est a légibus;
Scúta iacere, fúgereque hostis, móre habent licéntiam;
Pétere honorem pró flagitio, móre fit. *Ch*. Morem ímprobum!
St. Strénuos praetérbitare, móre fit. *Ch*. Nequám quidem!
St. Móres leges pérduxerunt iam ín potestatém suam,
Mágis quis sunt obnóxiosae, quám parentes líberis.
Eaé miserae etiam ad párietem sunt fíxae clavis férreis,
Úbi malos morés affigi nímio fuerat aéquius.
Ch. Lúbet adire atque áppellare hunc; vérum ausculto pérlubens;
Ét metuo, si cómpellabo, ne áliam rem occipiát loqui.
St. Néque istis quidquam lége sanctum est. Léges mori sérviunt;
Móres autem rápere properant, quá sacrum, qua públicum.
Ch. Hércle istis malám rem magnam móribus dignúm est dari!

mnum, i. e. condalii iacturam. *epithecam*, i. e. tamquam corollarium. Cdd. *apothecam*.

19. *cape vorsoriam*, muta cursum tuum et revertere. Vorsoriae enim nomen tractum a vertendo, ut cursura a currendo, et est translatio artis aut instrumenti artis alicuius ad praesentem quam instituit Stasimus actionem, solita fieri in comoediis interdum. Eadem dictio obvia Merc. 5, 2, 34. *Huc secundus ventus nunc est; cape modo vorsoriam*. Vorsoriam autem aiunt interpretes fuisse funem velo vertendo. Quod quo iure ita contendant, equidem ignoro. Ac fortasse suppl. *rudens*, quod est femininum apud Plautum.

21. Hunc versum sic habent Pall. *Utinam veteres homines veteres parsimoniae*. Vulgatae sic: *Utinam veteres mores, veteres parsimoniae*. Vett. et Lamb. *Atque utinam veteres mores, veteresque parsimoniae*. Gruterus mallt: *Utinam veteres homines, utinam veteres parsimoniae*. Hermannus: *Utinam veteres mores, utinam veteres parsimoniae*. Quem sequuntur Goellerus et Lindemannus. Bothius autem: *Utinam veteres mores omnes, veteres parsimoniae*. Mihi praeplacet vett. *Atque*, omissa elisione; in reliquis sequor vulg.

22. Edd. *Potius maiori honori hic essent*.

24. *Basilica*, i. e. magnifica. Cf. Capt. 4, 2, 32. — Cdd. et edd. *morem maiorum*.

25. Edd. *nihil*, quod saepe numero mendose pro *nihilo* in libris scriptum legitur. Ergo *nihili* cum Hermanno reposui. — *nisi* puto esse: *hoc unum curant, quod lubeat*. — Goell. *Nam nunc more nihili f.* Cf. vs. sq.

27. Vett. *habet*. vulg. *habent*, uti Pall.

28. *pro flagitio*, tamquam in praemium pro flagitio commisso.

29. Edd. *praeterire*. Nostr. Both.

31. Vulg. *obnoxiosi*, vett. *obnoxii*. — Sensus: leges moribus magis etiam sunt obnoxiae, quam parentes liberis. Confirmatur haec emendatio, quam et Hermannus recepit, sequentibus, ubi eaedem leges sunt subiectum. Cf. et v. 36. — *parentes liberis*, vitiparentes nimirum, qui sunt liberis obnoxii.

32. *fixae sunt*, sc. ut commovere se non possint; simul autem quasi ad cruciatum. Morem ergo communem affigendi leges quasi ad supplicium trahit, quod illae patiantur.

37. *qua sacrum, qua publicum*, sive sacrum sit, sive publicum. Sic Asin. 1, 1, 82. *Qua me, qua uxorem, qua tu servum Sauream Potes, circumduce*. Mil. 4, 3, 20. *Qui consectare qua mares, qua feminas*. et ibid. 4, 9, 15. *cum odere, qua viri, qua mulieres*. Cf. Bentleium ad Ter. Andr. 1, 3, 9.

St. Nónne hoc publice ánimum advorti? Nam íd genus hominum hóminibus
Úniversis ést advorsum, atque ómni pop'ulo mále facit:
Mále fidem servándo illis quoque ábrogant etiám fidem,
Quí nil meriti: quíppe ex eorum ingénio ingenium horúm probant.
Sí quis mutuóm quid dederit, fít pro proprio pérditum.
Quóm repetas, inimícum amicum béneficio inveniás tuo.
Si mage exigere cúpias, duarum rérum exoritur óptio:
Vél illud, quod credíderis, perdas, vél illum amicum amíseris.
Hóc qui in mentem vénerit mihi, re ípsa modo commónitus sum.
Ch. Méus est hic quidem Stásimus servos. *St.* Nam égo talentum mútuom
Quód dederam, talénto inimicum mi émi, amicum véndidi.
Séd ego sum insipiéntior, qui rébus curem públicis
Pótius, quam, id quod próxumum est, meo térgo tutelám geram.
Éo domum. *Ch.* Heus tu, adsta íllico! audi, heus tú! *St.* Non sto. *Ch.* At ego té [stare] volo.
St. Quíd, si egomet te vélle nolo? *Ch.* Ah, nímium, Stasime, saéviter!
St. Émere meliust, quoi ímperes. *Ch.* Pol ego émi atque argentúm dedi;
Séd si non dicto aúdiens est, quíd ago? *St.* Da magnúm malum.
Ch. Béne mones: ita fácere certumst. *St.* Nísi quidem es obnóxius.
Ch. Sí bonus est, obnóxius sum; sín secus est, faciam, úti iubes.
St. Quíd id ad me attinét, bonisne sérvis tu utare, án malis?
Ch. Quía boni malíque in ea re párs tibi est. *St.* Partem álteram
Tibi permitto; illam álteram ad me, quód boni est, appónito.
Ch. Sí eris meritus: fíet. Sed respíce ad me huc: ego sum Chármides.
St. Hém, quis est, qui méntionem fácit, homo, hominis óptumi?

42. *probant.* Videntur, mutato subiecto, suppiendi *esse homines.* Nam in proxime praecedentibus subiectum erant male morati. *Probare* autem i. e. q. aestimare, ut Pers. 2, 2, 30. *Tuo ex ingenio mores alienos probas*, h. e. quoniam tu mala es, alios quoque esse malos existimas.

43. Haec et quae sequuntur pertinent adhuc ad male moratorum hominum mores depingendos, neque ad abrogatam fidem, quam queritur in proxime praecedentibus. — *perditum*, h. e. plane perit, numquam redditur.

44. *beneficio* choriambus est, et contracte legendum. Bentl. ad Ter. Eun. 1, 2, 69. — *invenias* habent Pall.; at *invenis* vulg. et vett.

47. Edd. h. vs. habent post v. 42.

48. Bothius et verba: *Nam — vendidi* eidem Charmidi tribuit. Verum cf. 3, 2, 101.

50. *curare* cum dat. pluries in Plauto obviam. Sic Truc. 1, 2, 41. *Quia tuo vestimento et cibo alienis rebus curas.*

54. *Emere melius*, Tu bene ages, si tibi emas servum.

55. *Da magnum malum.* Sic ex emend. Guil. — Vulg. et vett. *Damnum malum.*

56. *obnoxius*, h. e. quasi subiectus servo tuo. Cf. v. 31.

57. Vett. *Si bonus es — sin secus es*, Nostr. vulg. — *obnoxius sum*, mitem me ei praestabo, tamquam si obnoxius ei sim, beneficiis devinctus.

60. *quod boni est;* videlicet mutatione generis facta, positoque neutro *quod* pro fem. *quae.*

Ch. Ípse homo optumús. *St.* Mare, terra, coélum, di, vostrím fidem,
Sátin' ego oculis pláne video? estne ípsus, an non ést? Is est!
Cérte is est! is ést profecto! O mí here exoptatíssume,
Sálve! *Ch.* Salve, Stásime. *St.* Salvom té.... *Ch.* Scio et credó tibi.
Séd omitte alia; hoc míhi responde. Líberi quid agúnt mei,
Quós reliqui hic, fílium atque fíliam? *St.* Vivúnt, valent.
Ch. Némpe uterque? *St.* Utérque. *Ch.* Di me sálvom et servatúm volunt.
Cétera intus ótiose pércunctabor, quaé volo.
Eámus intro; séquere. *St.* Quo tu té agis? *Ch.* Quonam, nísi domum?
St. Híccine nos habitáre censes? *Ch.* Úbinam ego alibi cénseam?
St. Iám.... *Ch.* Quid iam? *St.* non súnt nostrae aedes ístae. *Ch.* Quid ego ex te aúdio?
St. Véndidit tuus nátus aedis.... *Ch.* Périi! *St.* praesentáriis
Árgenti minís numeratis. *Ch.* Quót? *St.* Quadraginta. *Ch.* Óccidi!
Quis eas emit? *St.* Cállicles, quoi túam rem commendáveras,
Ís habitatum huc cómmigravit nósque exturbavít foras.
Ch. Úbi nunc filiús meus habitat? *St.* Híc, in hoc postículo.
Ch. Mále disperii! *St.* Crédidi, aegre tíbi id, ubi audissés, fore.
Ch. Égo miser meís periclis súm per maria máxuma
Véctus; capitalí periclo pér praedones plúrimos
Mé servavi; sálvos redii; núnc hic disperií miser
Própter eosdem, quórum causa fui hác aetate exércitus!
Ádimit animam mi aégritudo: Stásime, tene me! *St.* Vísne aquam
Tíbi petam? *Ch.* Res quom ánimam agebat, tum ésse obfusam oportuit.

---

66. *Salvum te* sc. venisse gaudeo.

67. Edd. *omitto*, uti Pall.

72. Pro *ego* Lamb. maluerit *ergo*. Illud Pall. et Herm. et Lind. — Goell. *ergo*.

76. Edd. *Qui eas emit?* Nostr. Hermannus.

80. *Ego miser meis per*. etc. Sic cdd. et edd. et Herm. et Goell. nisi quod Goellerus comma post *vectus* posuit, quod vulg. post *periclo* habet. Ceterum quilibet facile sentit, versu 80 *meis* vix iudicari posse satis grave ad versum rite explendum; paene ut augurere, scriptum fuisse *multis periclis;* nisi malis: *Ego miser, qui meis periclis* etc. ut sequentia: *capitali — servavi* aut apodosin contineant; aut sint asyndeton, apodosin autem faciant: *nunc hic disp. miser.* Equidem quid Bothius cum *minumis* suis *vehiclis*, quae recepit et Lindemannus, sibi voluerit, non assequor. Pall. habent *miserum meis.*

83. *fui* totum elidendum. Pro *hac aetate* Nonius legisse videtur *hoc aetate*. Animadvertit enim, *aetatem* et mascul. gen. dici.

85. *res* sc. familiaris mea cum peribat hic, tum oportuit me mari perire. Sive: tum oportuit vos hic succurrere.

ACTUS IV. SCENA IV.

CALLICLES. CHARMIDES. STASIMUS.

Ca. Quid hoc híc clamoris aúdio ante aedís meas?
Ch. O Cállicles, o Cállicles, o Cállicles,
Qualíne amico méa commendaví bona!
Ca. Probo ét fideli, et fído, et cum magná fide.
Et sálve, et salvom te ádvenisse gaúdeo.
Ch. Credo ómnia istaec tíbi, si ita est, ut praédicas.
Sed quís iste est tuus ornátus? *Ca.* Ego dicám tibi.
Thesaúrum effodiebam íntus, dotem, fíliae
Tuae quaé daretur. Séd intus narrabó tibi
Et hóc et alia: séquere. *Ch.* Stasime! *St.* Hem! *Ch.* Strénue
Curre ín Piraeum, atque únum curriculúm face.
Vidébis iam illic návem, qua advectí sumus.
Iubéto Sangariónem, quae imperáverim,
Curáre ut efferántur; et tu itó simul.
Solútum est portitóri iam portórium.
St. Nihil ést morae. *Ch.* I, i, ámbula! actutúm redi!
St. Illíc sum atque hic sum. *Ca.* Séquere tu hac me intró.
Ch. Sequor. —
[*St.* Hic méo hero amicus sólus firmus réstitit,
Neque démutavit ánimum de firmá fide;
Quanquám labores múltos ***
Hic únus, ut ego súspicor, servát fidem.
Ob rém laborem eum égo cepisse censeo.]

ACTUS V. SCENA I.

LYSITELES.

Hic homo ést hominum ómnium praécipuus,
Voluptátibus gaudiisque ántepotens:
Ita cómmoda, quae cupio, éveniunt;

Act. IV. Sc. IV. Ad Charmidae clamorem prodit Callicles, seque fidum paucis sane verbis probat. Ergo introeunt senes. Charmides autem Stasimum ad portum mittit.

6. *tibi* addunt vett., omittit vulg.

7. *ornatus.* Intelligendum instrumentum aliquod, quo effodiebat. Sic Rud. II, 4, 15. *ornatus* est urna, quam gerit Ampelisca.

9. *intus* prima correpta, ut Mil. 3, 1, 17.

11. *unum* pleonastice, ut saepius. Cf. Amph. 2, 2, 73. Cist. 4, 2, 70. Aul. 1, 2, 11. Epid. 3, 4, 17. Most. 3, 2, 148. IV, 4, 9. Stich. IV, 1, 32.

14. *et tu ito* i. e. *redito*, *simul* sc. cum illo, ubi huc adveniet.

18. Postremos quinque versus valde ego spurios iudico et ineptos. Vs. 20 sic mutilus legebatur in V. C. et in Lambini libro. Primum autem non debet restare aut morari Stasimus. Deinde nuspiam in fabula legimus, amicos omnes reliquos ab Charmide descivisse. Denique repetitio et tautologia inest taediosa. Ut non dubitem includere locum, et spurium iudicare.

Act. V. Sc I. Laetus adventu Charmidae, quem adesse ex Stasimo audierat, Lysiteles advenit, visum ipsum Charmidem, ut matrimonium suum cum filia confirmet.

1. Vett. *praecipuis.* — *Hic homo*, h. e. ego, Lysiteles.

2. V. C. *antepotens.* Dec. *antcponens.* Vett. *anteponendus.*

Quod ago, ádsequitur, subit, súbsequitur:
Ita gaúdiis gaudium súppeditat.
Módo me Stasimus, Lésbonici sérvos, convénit; ís mihi dixit
Súom herum peregre huc ádvenisse. Núnc mi is propere cónveniundus est:
Út, quae cum eius fílio egi, eí rei fundus páter sit potior.
[Eo!] Séd fores hae sonitú suo mihí moram óbiciunt incómmode.

ACTUS V. SCENA II.

CHARMIDES. CALLICLES. LYSITELES.

Ch. Néque fuit, neque erít, neque esse quemquam hóminum in terra dum árbitror,
Quoí fides fidélitasque amícum erga aequiparét suum:
Nam éxaedificavísset me ex his aédibus, absque té foret.
Ca. Sí quid amícum ergá bene feci, aut cónsului fidéliter:
Nón videor meruísse laudem; cúlpa caruisse árbitror.
Nám beneficium hómini proprium quód datur, proprium súmpserit;
Quód datum utendum est, íd repetundi cópia est, quandó velis.
Ch. Ést ita, ut tu dícis. Sed ego hoc néqueo mirarí satis,
Éum sororem déspondisse súam in tam fortem fámiliam,
Lýsiteli quidém, Philtonis fílio. *Ly.* Enim me nóminat.
Ch. Fámiliam optumam óccupavit. *Ly.* Quíd ego cesso hos cólloqui?
Séd maneam etiam, opínor: namque hoc cómmodum orditúr loqui.
Ch. Váh! *Ca.* Quid est? *Ch.* Oblítus intus dúdum tibi sum dícere:
Módo mi advenientí nugator quídam occessit óbviam,
Nímis pergraphicus sýcophanta; is míile numum se aúreùm
Méo datu tibi férre et gnato Lésbonico aibát meo;

5. Sensus: gaudium gaudio cumulatur.

6. *convenit* necessario producendum. *Servus* contra contractim pronunciandum, tamquam una syllaba, uti et Mil. 3, 1, 148 saltem ex lectione vulgata. Nam τό *is* hic in omnibus legitur. Recc. nulla quod sciam auctoritate codicum dedere: *Ac me St.* — *convenit modo.* Iidem in sqq. legunt *Eo iam.*

7. Post *advenisse* edd. addunt *Charmidem.*

8. *fundus sit potior* sc. quam filius aut quisquam alius. *fundus sit* i. e. q. percipiat. Pro *fundus* vett. *funditus.*

9. *Eo*, quod in omnibus legitur, eliciendum.

Act. V. Sc. II. Laeti senes egrediuntur, Lysitelisque mentionem faciunt. Deinde Callicles Charmidae aperit de sycophanta illo. Tum Lysiteles Charmidem salutat. Confirmatur sponsio. Denique Callicles Lesbonico veniam impetrat, huncque evocat.

2. *aequiparet*, h. e. cui par sit fides cum tua.

6. Vulg. et vett. *Nam b., h. pr. quod datur, proprium sumpserit.* A qua nihil demutandum existimo. *Sumpserit* est i. q. *absumserit*, simplex pro composito. Ait Callicles, sibi aedes non proprias commissas, sed tantum fidei traditas esse. Id minus clare aut proprie *beneficium* vocat. — Pall. *quod datur, prosumserit.* Bothius: *pro suo sumpserit.* e coni. perperam. De v. *proprius* cf. Corn. Nep. Thras. 4, 2 Hor. Sat. II, 6, 5. ubi i. e. q. perpetuus.

9. *fortem*, locupletem, uti Non. expl.

12. *etiam*, i. e. adhuc, porro. *commodum*, so *eben*, *nur erst.*

13. *dūdum*, paulle ante.

14. *occessit* ex emend. Guil. — Vulg. vett. *accessit.*

Quem égo nec, qui esset, nóram, neque eum ante úsquam conspexí prius.
Séd quid rides? *CA.* Meo állegatu vénit, quasi qui aurúm mihi
Férret abs te, quód darem tuae gnátae dotem: ut filius
Túus, quando illi a mé darem, esse adlátum id abs te créderet,
Neú qui rem ipsam pósset intellégere, thesaurúm tuum
Me ésse penes, et eum á me lege populí patrium pósceret.
CH. Scíte edepol! *CA.* Megarónides commúnis hoc meus ét tuus
Bénevolens comméntust. *CH.* Quin collaúdo consilium ét probo.
LY. Quíd ego ineptus, dúm sermonem véreor interrúmpere,
Sólus sto; nec, quód conatus sum ágere, ago? Homines alloquar.
CH. Quís hic est, qui huc ad nós incedit? *LY.* Chármidem socerúm suum
Lýsiteles salútat. *CH.* Di dent tíbi, Lysiteles, quaé velis.
CA. Nón ego sum salúte dignus? *LY.* Ímo salve, Cállicles.
Húnc priorem aequóm est me habere. Túnica propior pállio est.
CH. Deós volo consília vobis vóstra recte vórtere.
Fíliam meam tibi désponsatam esse aúdio. *LY.* Nisi tú nevis.
CH. Ímo haud nolo. *LY.* Spónden' ergo tuám gnatam uxorém mihi?
CH. Spóndeo, et mille aúri Philippum dótis. *LY.* Dotem níhil moror.
CH. Si ílla tibi placét, placenda dós quoque est, quam dát tibi.
Póstremo, quod vís, non duces, nísi illud, quod non vís, feres.
CA. Iús hic orat. *LY.* Ímpetrabit te ádvocato atque árbitro.
Ístac lege filiam tuam spónden' mi uxorém dari?
CH. Spóndeo. *CA.* Et ego spóndeo idem hoc. *LY.* Oh, sálvete, adfinés mei!
CH. Átque edepol sunt rés, quas propter tíbi tamen succénsui.
CA. Quíd ego feci? *CH.* Méum corrumpi quía perpessus filium.
CA. Sí id mea voluntáte factum est, ést, quod mihi succénseas.
Séd sine, me hoc abs te ímpetrare, quód volo. *CH.* Quid id ést? *CA.* Scies:
Sí quid stulte fécit, ut ea míssa facias ómnia.
Quíd quassas capút? *CH.* Cruciatur cór mi et metuo. *CA.* Quídnam id est?
CH. Quóm ille ita est, ut ésse nolo, id crúcior; metuo, sí tibi
Dénegem, quod me óras, ne te léviorem erga mé putes.

21. Vulg. et vett. *et thesaurum tuum.*

29. Vulg. et Nonius: *salutis.* Vett. *salute*, uti et edd. Pall.

31. *vobis* non legitur in edd. et Pall. Addidit versus explendi causa Herm.

32. *Filiam* duabus syllabis proferendum, ut saepius idem, et item *gloriam*, *otium*.

45. *quassas caput, warum schüttelst du den Kopf?* Vel negantis, vel indignantis gestus. Cf. Asin. II, 3, 23.

46. *Quum* i. e. q. *quod.* Cf. Curc. V, 3, 21 et indicem.

47. *ne te leviorem erga me putes.* Sic constanter libri; atque *erga* saepenumero obiectum quod regit ante se habet praemissum. Cf. Capt. 2, 1, 55 et II, 3, 56. Asin. 1, 1, 5. Epid. 3, 3, 9. Ergo constructio: Ne forte existimes, me leviorem esse erga te, h. e. levioris fidei.

Nón gravabor: fáciam ita, ut vis. *Ca.* Próbus es. Eo, ut illum évocem. —
Ch. Miserum est, male promérita, ut merita, sí mi ulcisci nón licet.
Ca. Áperite hoc, aperíte propere, et Lésbonicum, sí domi est,
Évocate: ita súbitum est, propere quód eum conventúm volo.

ACTUS V. SCENA III.

LESBONICUS. CHARMIDES. CALLICLES.

Le. Quís homo tam tumúltuose sónitu me excivít [subito] foras?
Ca. Bénevolens tuus átque amicus. *Le.* Sátine salve? díc mihi.
Ca. Récte. Tuum patrém rediisse sálvom peregre, gaúdeo.
Le. Quís id ait? *Ca.* Ego. *Le.* Tún' vidisti? *Ca.* Et túte idem videás licet.
Le. Ó pater, patér mi, salve! *Ch.* Sálve multum, gnáte mi.
Le. Sí quid tibi, patér, laboris.... *Ch.* Níhil evenit, né time;
Béne re gesta sálvos redeo. Sí tu modo frugi ésse vis:
Haéc tibi pacta est Cálliclaï filia.... *Le.* Ego ducám, pater,
Étiam si quam aliám iubebis. *Ch.* Quámquam tibi succénsui.
Ca. Míseria una uní quidem homini est ádfatim. *Ch.* Imo huíc parum est:
Nám si pro peccátis centum dúcat uxorés, parum est.
Le. Át iam posthac témperabo. *Ch.* Dicis; si faciás modo.

49. Sensus: miserum est, si mihi non licet et filium punire, et amicum remunerare aut gratias referre ei. Sed et haec sententia aliquanto plus iusto perplexa est, ut illa v. 7 de beneficio, et ut saepe sententiae eiusmodi in Plauto. Ceterum Bothius hunc versum post 47 collocatum habet.

51. Omnes *foras Evocate*.

Act. V. Sc. III. In edd. haec eâdem scena superioribus iunguntur.

1. Omnes *subito* ante *foras* adiiciunt.

2. *Satine salve?* h. e. Anne res tuae se salve habent? An recte vales? Nam *Satine* i. e. q. nonne? Cf. Amph. 2, 2, 1. Mil. 2, 4, 40. II, 6, 1. Non igitur urgenda dictio *satis*. Illud autem *Salve?* multis locis et apud Plautum et Terentium legitur, et fuit quasi proverbialis dictio, ut advenientes aut de aliis nunciantes interrogarentur: *Salven'*, *amabo?* h. e. an omnia se recte habent? Cf. Stich. 1, 1, 12. Atque sic scribendum et censuit Donatus ad Ter. Eun. 5, 5, 8 loco ipso nostro citato, et loco ex Historiis Salustii. Alii tamen *salvae* scribendum iudicant, secundum Liv. 1, 58.

3. *recte*, sc. valeo; recte se habent res meae. Cf. 1, 2, 12.

8. Vulg. et vett. *Callicli*. Vide *Charmidai* II, 2, 82.

9. *Etiam si quam aliam*, sic vett., quum vulg. *Etiam etsi qu.* scil. praeter hanc Calliclis filiam, ducere me iubebis, eam quoque ducere paratus sum, neque solum illam. Ut igitur plures una ducere se paratum praebeat patri. Sed Both. et cum eo Goell. *Et eam et si qu.* eleganti coniectura. — *Quanquam tibi succensui.* Protasin haec faciunt, ut supplenda sit apodosis: tamen nolim te gravius puniri, plures ducendo. Sed intercipit orationem Callicles, aitque satis esse unam uxorem cuique homini. Ergo iocanter convertit Charmides apodosin, et quoniam lenius iam elocutus est Callicles, ipse durius eloquitur, aitque, non satis illum puniri, si vel centum ducat.

10. *affatim* non est elidendum.

Ly. Númquid causae est, quín uxorem crás domum ducam?
Ca. Óptumum est.
Tu in perendinúm paratus sís, ut ducas. Plaúdite.

14. *Tu*, quisnam? Sine dubio Lysiteles. Nam in fine *fortasse* reliqui etiam histriones egrediebantur omnes, uti in Prologo adstabant. *Cf.* Capt. prol. 1. Atque sic v. 8 illa Calliclai filia ipsa quoque coram spectatoribus comparuerit oportet.

METRORUM IN TRINUMMO

DESCRIPTIO.

Prol. et Act. I. Sc. I. et II. senar. iamb.
Act. II. Sc. I. v. 1—10 bacchiaci.
v. 11, 12 tetr. iamb. catal.
v. 14—19 tetr. troch. acatal.
v. 20—28 cretici.
v. 29 tetr. troch. acatal.
v. 30 troch. tetr. catal.
v. 31, 32 dimetri iamb.
v. 33 dipodia iamb. hyperm.
v. 34—41 anapaestici.
v. 42, 43 troch. tetr. acatal.
v. 44 dimetri cretici partim catal., partim vel in fine vel principio imminuti; ut v. 45, ubi *tuas res* est pro cretico; item 46.
Act. II. Sc. II. v. 1, 2 tetr. troch. acatal.
v. 3—8 cretici.
v. 9, 10 tetr. iamb. acatal.
v. 11, 12 anapaestici.
v. 13—16 tetr. troch. acatal.
v. 17—22 cretici, partim imminuti; ut adeo in medio versu *tibi prae* videatur esse loco cretici, uti simile II, 1, 45. 46.
v. 23 tetr. troch. acat.
v. 24—114 tetr. troch. catal.
Act. II. Sc. III. IV. senarii iamb.
Act. III. Sc. I. II. tetr. troch. catal.
Act. III. Sc. III. senarii iamb.
Act. IV. Sc. I. tetr. troch. acatal. praeter 12, qui est dimeter troch.
Act. IV. Sc. II. III. tetr. troch. catal.
Act. IV. Sc. IV. senarii iamb.
Act. V. Sc. I. v. 1—5 anapaestici.
v. 6—8 tetr. troch. acatal.
v. 9 tetr. troch. catal.
Act. V. Sc. II. tetr. troch. catal.

COROLLARIUM.

Trinummum non esse Plauti, sed serioris aetatis, haud paucis argumentis colligi potest. Primum desideratur paene in omni fabula ingenium Plautinum et vis vere comica; multa insunt ieiuna, quaedam et inepta, de quibus suis locis partim in adnotationibus monuimus; inter haec, quod II, I. quum quilibet debeat exspectare Lesbonicum prodíturum, Lysiteles prodit, quem quivis spectator necessario illic pro Lesbonico habere debet. Porro non conveniunt in Plauti aetatem exprobrationes istae aevi sui hominum, quales leguntur I, 1, 6. sqq., ubi imprimis v. 12. *pauciorum gratia* notanda, longe seriorum querela temporum. Itidem II, 2, 5. sqq. et imprimis IV, 3, 25—46. in quibus verba v. 27. *Scuta iacere, fugereque hostis, more habent licentiam* scribi a Plauto plane non potuere, tempore gloriosissimo rei Romanae. Praeterea male conditi versus et quales seriorum, multi intercurrunt. Inprimis vero adv. *iamdudum* aliquot locis seriori significatu legitur, velut IV, 3, 3 et III, 3, 84. quum in Plauto sit i. q. paullo ante, modo. Denique *familia* nomen, quod in Plauto servos tantum complectitur, tribus in Trinummo locis, II, 2, 102 et V, 2, 9 et 11. de gente herili ipsa usurpatur. Quae omnia quanti debeant esse in critica Plautina momenti, scient, qui paullo interius scriptorem cognorint. Ego diu iam est quod Trinummum Plautinis eximo; quam potius Scaurorum Metellorumque aevo, quam Scipionum temporibus, accensendam esse, paene certo persuasum habeo. Alii quid argutati sint nuperrimi de eadem, nihil moror. Ipse rationes quas supra adnotavi, sequendas duco.

TRUCULENTUS.

DRAMATIS PERSONAE.

DINARCHUS, adolescens.
PHRONESIUM, meretrix.
GETA, servus Dinarchi.
CALLICLES, senex.
ASTAPHIUM, ancilla Phronesii.
STRATILAX, servus Strabacis.
STRATOPHANES, miles.
STRABAX, adolescens.
ANCILLA.
TONSTRIX.

SUMMARIUM.

Phronesium meretrix tres habet amatores: Dinarchum iuvenem urbanum, Strabacem rusticum, et militem Stratophanem, cuius decipiendi causa puerum sibi supponit. Primum redit a peregrinatione Dinarchus et ab ancilla Astaphio intromittitur. Dein Astaphium accedit ad aedes Strabacis; unde tamen propellitur ab eius servo truculento Stratilace. Exit Dinarchus a Phronesio non admissus ob lavationem. Prodit demum Phronesium, fateturque Dinarcho, se gravidam sese adsimulasse a milite Stratophane, quo illum sibi devinciret, puerumque supposuisse sibi aliunde allatum. Petit simul a Dinarcho munus; quo ille promisso abit. Deinde se illa fingit et componit ut puerperam. Accedit miles, donaque affert; quibus acceptis ablatisque Phronesium eum contemtu habet. Accedit Geta, servus Dinarchi, cum huiusce donis. Inde rixa oritur inter militem et Getam, qui aufugit. Introit Phronesium. Venit Strabax rure cum argento, et introit ad Phronesium. Eum quaerens Stratilax truculentus, ipse quoque amore correptus introducitur ab Astaphio ancilla. Venit Dinarchus, ut pro donis suis fruatur Phronesio; sed repudiatur. Denique adest Callicles senex, ex duabus ancillis quaesitum, quid factum sit puero, quem filia pepererit. Eae fatentur, detulisse ad Phronesium, eum puerum autem esse filium Dinarchi. Igitur Dinarchus ipse aggreditur Phronesium, puerum suum repetitum. Ea tamen rogat, ut sibi illum per aliquod adhuc tempus commodet, quo defraudare possit militem. Quo concesso, illa ab Stratophane nova dona aufert, oblectata simul rixa inter hunc et praesentem amasium, Strabacem; quos demum utrumque intromittit, et quidem priore loco militi concesso; consolata tamen Strabacem, et utrique amorem suum operamque pollicita.

(Scena est Athenis.)

ARGUMENTUM.

Tres únam pereunt ádolescentes múlierem,
Rure únus, alter úrbe, peregre tertius;
Utque ista ingenti militem tangát bolo,
Clam súpposivit sibi clandestino éditum.
Vi mágna servos ést ac trucibus móribus:
Lupaé ne rapiant dómini parsimóniam;
Et is tamen mollitur. Miles ádvenit,
Natique causa dát propensa múnera.
Tandém compressae páter cognoscit ómnia;
Utque illam ducat, qui vitiarat, cónvenit;
Suúmque is repetit á meretrice súbditum.

PROLOGUS.

Perpárvam partem póstulat Plautús loci
De véstris magnis átque amoenis moénibus,
Athénas quo sine árchitectis cónferat.
Quid núnc? daturin' éstis, an non? — Ádnuunt.
[Meditór quidem, vobis me áblaturum síne mora.]
Quid, sí de vostro quídpiam orem? — Ábnuunt.
En mehércle in vobis résident mores prístini,
Ad dénegandum ut céleri lingua utámini.
Sed hóc agamus, quá huc ventum est grátia.

Argum. 4. Pro *supposivit* Pall. *supposuit*. Illud Lamb. Both. Goell. — *clandestino editum*, quem peperit Callicleis filia. Cf. IV, 3.

6. *parsimoniam*, i. e. rem familiarem parsimonia adauctam. Cf. 2, 2, 54—56.

9. *pater*, ipse Callicles. *compressae* sc. filiae puerperae.

10. *qui vitiarat*, sc. Dinarchus.

Prologus. 2. *moenibus* sc. urbis Romanae. — Pro *De vestris* alii perperam maluerunt *De moeris*, i. e. muris, quia in edd. legeretur *deum eris*, uti sane habet Decurtatus. At V. C. *deũ eris*, h. e. *de uestris*, quemadmodum locus noster citatur a Prisciano de metr. Com. et Apuleio in Floridis l. IV.

3. Mss. *sine arcus pletis*. Edd. antt. *sine arcus peltis*. Nostram vett. vulg. Goell. et Priscianus Apuleiusque locis supra laudatis. Both. *sine arcis pletis*. Sensus in aprico.

5. Versus suppositilius. Optime enim concinit oratio, eo omisso. Male Goellerus v. *Mora* ad sequentem trahit, secutus Lambinum, qui ita legit: *Meditor equidem a vobis me ablaturum sine Mora*. At v. *quidem*, uti saepius, monosyllabum; in seqq. autem *orem* ne elidatur. — Ad *meditor* cf. Terent. Adelph. V, 6, 8. *Meditor esse adfabilis*, h. e. id ago ut sim adf.

7. Haud absimile vero est, quod dedit Bothius: *Enim hercle*, siquidem cdd. habent: *Eum hercle*. At nostra vulg. et Lamb.

9. *qua huc*. Sic Mptl. — Vett. *huc*

Athénae istae sunto, íta ut hoc est proscénium,
Tantísper dum transígimus hanc comoédiam.
Hic hábitat mulier, nómen cui est Phronésium;
Haec húius secli móres in se póssidet:
Nunquam áb amatore [suo] póstulat id, quód datum est;
Sed réliqüum dat óperam ne sit réliqüum
Poscéndo atque auferéndo, ut mos est múlierum:
Nam omnés id faciunt, quúm se amari intéllegunt.
Ea sé peperisse púerum simulat míliti,
Quo cítius rem ab eo avérrat cum pulvísculo.
Quid múlta? aetas huíc si superét múlieri,
Is cúm anima ad eam habéntias evérrerit.
* * * * * * * * * *

---

qua. Lege: *quad hue*, vetere more et ratione. De dictione *hoc agamus* v. Asin. prol. et ind. v. *Hoc age.*

10. Cdd. *Athenis tracto, ita ut* etc. Unde Bothius et cum eo Goellerus: *Athenis tracto, ita ut hoc est proscenium, Tantisper dum transigimus, hanc comoediam*, ut una sit constructio: *Athenis tracto hanc comoediam.* Verum ubinam gentium dicitur comoedia *tractari?* Certe nusquam in Plauto. Deinde haudquaquam concesserim, obiectum *hanc comoediam* ad aliud verbum trahi, quam *transigimus.* Similiter Men. prol. 70. *Haec urbs Epidamnus est, dum haec agitur fabula: Quando alia agetur, aliud fiet oppidum.* Similis autem loci declaratio legitur Capt. 1, 1, 26. *Nam Aetolia haec est.* et Mil. 2, 1, 10. *Hoc oppidum Ephesust.* et Rud. prol. 32. *Primumdum huic esse nomen urbi Diphilus Cyrenas voluit.* Itaque vulgatam probo, quam et Lambinus habet. Potuisse autem facile ex *Athenae istaec sunto* per scribendi compendia fieri *Athenas tracto*, facile cuique apparere posse puto. — *ita ut hoc est prosc.* i. e. q. quemadmodum a nobis adornatum est hoc prosceniuum.

12. Vulg. *nomine quae est Phronesium*, insolita fere dictione incommodoque numero. Pall. videntur habuisse *nomine cui est Phr.*, et vett. Pareusque: *nomen quoi* (vett. *cui*) *est Phronesium.* Id quod mihi praeferendum esse videtur. *Cui* enim monosyllabum, ut notissimum.

14. *suo omnes ante postulat.* At Both. et Goell. postposuere. Verum *postulat* per se produci in fine potest; et *suo* sive prae sive post ponatur, semper incommoditatem habebit, propterea quia aegro integrum poterit elidi, creticus autem: *lat su id* vix erit ferendus. Quare includendum loco suo arbitror.

15. Pro priore *reliquum* cdd. habent *reliquam.* Sensus: operam dat Phronesium, ut, quod superest rei familiaris amatori, non supersit amplius, sed ipsum quoque pereat.

19. Vulg. *rem ab eo auferat c. p.* Al. *Quo citius rem auferat ab eo c. p.* uti Goell. — Both. *Quo c. rem ab eo aufert c. p.* Lamb. *rem auferat ab eo* in textu quidem; at in nota *auferet rem ab eo*, item futuro interpretatus. Addita *cum pulvisculo*, et v. 21, et II, 7, 8, et Rud. 3, 6, 6. *Converret hic me totum cum pulvisculo*, facilem videntur praebere loci emendationem, quam dedimus.

20, 21. Locus mutilus in mptis, quemadmodum et omnis prologus imperfectus esse videtur. V. C. *Quid multa **** stuic superet muliere Hiscum anima ad eum habenti erceteritur.* Decurt. *Quid multa superet mulierem Hiscum anima ad cum habenti erteteritur.* Hinc Bothius: *Quid multa? vita sid huic superet mulieri, Hisce anima etiam ad suam habentiam exterebrabitur.* quo sensu, non assequor. Goellerus: *Quid múlta? * huíc si superet múlieri, Is cúm anima ad eam habéntiam omnem evérrerit.* Lamb. *Quid multa? aetas huic si superet mulieri, Ad se cum anima eius habentiam averrerit.* Ego vulgatam dedi, nisi quod *habentias* scripsi pro singulari. Hoc unum adiicio, primarium in apodosi terminum, quod sensum attinet, animam esse debere, non habentias. Nam de habentiis agit v. 19. Quod autem non habentias solum, verum cum habentiis et animam sit eversurus, hoc erat, quod cummaxime debebat declarari.

ACTUS I. SCENA I.

DINARCHUS.

Non ómnis aetas ád perdiscendúm sat est
Amánti, dum id perdíscat, quot pereát modis;
Neque eám rationem eápse unquam edocét Venus,
Quam pénes amantum súmma summarúm redit,
Quot amáns exemplis lúdificetur, quót modis
Pereát, quotque exorétur exorábulis.
Quot illíc blanditiae, quót illic iracúndiae,
Quot súnt pericla amánda! Di vostrám fidem! hui,
Quid périurandum est étiam, praeter múnera!
Primúmdum merces ánnua; is prímús bolust.
Ob eám tres noctes dántur. Intereá loci
Aut aéra, aut vinum, aút olivom, aut tríticum
Tentát, benignusne án bonae frugí sies.
Quasi ín piscinam réte qui iaculúm parat:
Quando ábiit rete péssum, tum adducít sinum;
Sin iécit rete, píscis ne effugiant, cavet:

Act. I. Sc. I. Dinarchus, adolescens urbanus, ex itinere redux, Phronesium, amores suos, salutaturus, de meretricibus disserit. — Nomen Dinarchi plerique libri scribunt *Pinarchus*, ut in Sticho pro *Dinacium* habent *Pinacium*. At V. C. *Dimarcus*.

1. *Non omnis aetas.* Integra vita non sufficit ad perdiscendum amanti, quot modis ei res familiaris perire possit. Hoc est: innumeri sunt modi quibus amanti perire possit res famil.

3. *eapse*, h. e. ipsa Venus, quae praeest rei amatoriae, numquam satis edocere queat, quot illud modis fiat. *edocere* autem est: exhaurire docendo.

4. *summa summarum* est summa alias summas continens. Apud Lucretium immensitas mundi.

6. *exorabulis.* Similiter factum nomen, atque a conciliando conciliabulum, tintinnando tintinnabulum, latendo latibulum, stando stabulum etc.

7. *illic*, videlicet in amore.

8. Vulg. *Sunt! quot sui pericla* etc. Vett. *Sunt*, *quotque perclamanda.* Camerar. *pericla avianda.* Lamb. *Sunt, quotque pericla vianda.* Goellerus: *quot illic iracundiae, Quot sunt pericla! amando Di, vostram fidem hui Quid periur.* Mss. *quot* (V. C. *quod*) *sui perclamanda.* Apparet legendum esse, uti dedimus: *Quot sunt pericla amanda*, h. e. lubenti animo amplectenda. Nam aperte amare hic i. e. q. Graecorum *ἀγαπᾶν*.

9. *periurandum*, h. e. iureiurando confirmandum spondendumque, scil. te daturum. *Periurandum* autem ait pro *iurandum*, quia plerumque fieri solet, ut talia periurentur.

10. V. C. *Primum dum miros annua is primos e bolust.* Decurt. *Primum dum miror annuus primus ebolust.* Lambinus: *Promendum numina annua*, interpretatus: „etiam praeter munera annua nummi promendi sunt." Vett. et Pareus: *Primum dum moeret animus.* Vulg. *Primumdum miros annua.* Gronovius: *Primodum merces annua;* id quod videtur recte habere. *bolus* est i. q. tentatio, captatio. V. Poen. prol. 101. Curc. 5, 2, 13. Rud. 2, 3, 30. Usurpatur autem *bolus* cummaxime de aleatoribus.

11. *Ob eam.* Al. *Ob eum.* — *dantur.* Sic Both. — V. C. *dutor.* Decurt. *tutor.* Al. *utor*, quod Goell. sc. muliere. Dictionem *nox datur* v. vs. 21 et Trin. 2, 1, 20.

12. *aera*, i. e. vasa aliqua. — Both. *olivum.* Cdd. *oleum*, quod retinuit Goell. qui in fine addit *meret* ex ed. Basil. apud Palmer. Spicil. p. 619.

13. *tentat*, postulat, quasi quo tentet, an sis benignus, an *bonae frugi*, h. e. parcus et prudens. Cf. v. 20.

14. Genus erat retis, quod vocabatur *rete iaculum*, a iaciendo, quod et, quamquam perperam, legitur in vulg. Asin. 1, 1, 86 ubi vide notam.

15. *sinum*, i. e. arcum retis. Nam sinus et curvaturam denotat, uti Virg. Georg. 3, 424. Cf. Martial. 13, 100.

Tum húc tum illuc írretitos ímpedit
Piscés usque adeo, dónicum eduxít foras:
Itidem ést amator. Si íd, quod oratúr, dedit,
Atque ést benignus pótius, quam frugí bonae:
Addúntur noctes. Ínterim ille hamúm vorat.
Si sémel amoris póculum accepít mere,
Eaque íntra pectus sé penetravit pótio:
Extémplo et ipsus périit, et res, ét fides.
Si irátum est scortum fórte amatorí suo:
Bis périt amator, áb re atque animó simul;
Sin álter alteri pótior est, itidém perit:
Si ráras noctes dúcit, ab animó perit;
Sin íncrebravit, ípsus gaudet, rés perit.
..... ita est in aédibus lenóniis:
Priusquam únum dederis, céntum, quae poscát, parat:
Aut aúrum periit, aút conscissa pálliola est,
Aut émta ancilla; aut áliquod vasum argénteum,
Aut áliquod vasum ahénum, aut lectus dápsilis,
Aut ármariola Graéca, aut aliquid sémper est,
Quod péreat, debeátque amans scortó suo.
Atque haéc celamus nós damna una indústria,

16. Sic vulg. ex Pall. qui tamen *effugiat* habent. Verum versus habet tautologiam cum praecedenti, facile ut augurere, esse suppositum. Both. et Goell. *Si irretit rete pisces.*

17. Mss. *Dum huc, dum illuc reteor impedit.* Vulg. et vett. *Dum huc dum illuc reti eos impedit.* Emendavit Scaliger: *Tum huc, tum illuc irretitos impedit.* Both. *Tumque hic tumque illic irretitos impedit.* Ego Scaligerum sequor, omissis illis copulis, quibus facile caremus, quoniam non opus est *tum* elidi.

19. *est amator*, h. e. cum amatore agitur.

20. *benignus*, i. e. prodigus.

22. Pro *mere* Both. et Goell. *meri.*

26. *perit.* Sic Hermannus em. de Metr. Vulg. *periit.*

27. Pall. *Sin alter alteri potius est, idem perit.* Vulg. *Sin alter alteri potior est, itidem p.* Both. *Sin potius alterum altero est*, relatu ad ea quae sequuntur, sensuque: si alterutrum locum habebit, quae dicam, non potest quin pereat amator; videlicet, si raras noctes duxerit, aeger erit animo; sin increbrarit, res peribit. Vett. *potitus est.* Goellerus: *Sin alteri alter potior est, idem perit:* ita ut *alteri* sit pro *altero*, ut in dictione: *die crastini.* Videturque sic cepisse: sin alter altero potitur, h. e. fruitur. Quem sensum firmat citato loco ex Cas. 1, 1, 24 lectione vulgata, ubi tamen *potior* cum genitivo construitur; et Hor. Epod. 15, 13. ubi tamen *potior* est: praelatus rivalis. Ego vulgatam tueor, ita tamen ut *alteri* existimem dictum pro *alterius*, disyllabumque habeam. Sensum itidem esse duco: contra, si se invicem potiuntur, i. e. fruuntur.

30. V. C. *Iteca in aedibus lenosis.* Dec. *Ita et in aedibus lenosis.* Ut appareat lacunam esse in mptis. — Vulg. *Ita disciplina in aedibus est lenoniis.* Vett. *Ita est disciplina in aed. l.*

32. Deest in libris alterum *aut.*

34. Edd. et cdd. *Aut vasum ahenum aliquod.*

35. *Tò est* non agnoscunt cdd. Pall.

36. *Quod pereat* scil. amator, h. e. propter quod iacturam aliquam faciat. Sic Asin. 2, 1, 80. *Non omnino iam perivi: est reliquum, quod peream magis.* Et apud nos infra IV, 1, 9. — Pro *pereat* Pall. *petra.*

37. In cdd. deest *una*, quod habent edd.; e quibus vulg. comma habet post *damna*, et vv. *una industria* ad sequentia trahit. Both. *Atque haec celamus damna nos industria*, h. e. Atque nos stulti etiam magna industria damna illa celamus. Et recte mihi v. *industria* ad *celamus* videtur referri; *una* autem saepenumero pleonastice adiectum legitur, uti Aul. 1, 2, 11. ubi v. n.

Quom rém fidemque nósque nosmet pérdimus,
Ne quíd parentes neú cognati séntiant;
Quos, quúm celamus, sí faximus cónscios,
Qui nóstrae aetati témpestive témperent,
Unde ánteparta démus postpartóribus:
Faxím lenonum et scórtorum, ut plus ést, minus
Et minus damnosorum hóminum, quam nunc súnt, siet.
[Nam núnc lenonum et scórtorum plus est fere,
Quam olím muscarum est, quúm caletur máxume.
Nam, núsquam alibi si súnt, circum argentárias
Scortí lenones quási sedent quotídie.
Ea nimia est ratio: quippe qui certó scio,
Aerí plus scortorum ésse iam, quam pónderum.
Quos quídem quam ad rem dícam in argentáriis
Reférre habere, nísi pro tabulis, néscio,
Ubi aéra perscribántur usurária,
(Accépta dico: expénsa ne qui cénseat).

40. Pro *quum celamus*, quod omnes libri habent, Goellerus e conl. dedit: *Quos ut celamus*. Bene habet *quum*, sensusque: si tam eos faceremus conscios, quam celamus; sive: quos si, pro eo ac facimus ut celemus, potius conscios faceremus.

41. *Qui* i. e. q. ut. — *temperint* Vulg. et Pall. — Vett. *temperent*. — *aetati* i. e. q. adolescentiae. Sensus: ut illi tempestive moderentur adolescentiae nostrae.

42. *Unde* etc. h. e. ita ut nos meliori adsuescamus vitae generi, parciusque et contentius vivamus, bonaque a maioribus parta relinquamus liberis nostris heredibus, quo hi ipsi quoque sua industria atque parsimonia illa adaugere possint.

43. *Faxim ut*, h. e. tum futurum puto ut. Cf. Trin. 1, 2, 184. — In sqq. cdd. Pall. omittunt *ut* et *minus*, quae edd. vett. repraesentant.

44. Damnosi sunt, qui sua prodigunt, qui damna rei fam. patiuntur aut sibi inferunt. Pseud. 1, 5, 1. Curc. 4, 1, 24. Non igitur intelligendi sunt lenones aut scorta, sed ii, qui illos frequentant.

46. *olim*, i. e. interdum. Poen. 1, 2, 146. Mil. 1, 1, 2. Hor. Sat. 1, 1, 15. — *cum caletur;* eadem dictio legitur Capt. 1, 1, 12. *Quasi*, *cum caletur*, *cochleae in occulto latent*. — Sed ut dicam, quod sentio: mihi omnis locus a v. 45 ad 57 suppositilius esse videtur. Primum enim illam ad argentarios translationem ineptam esse et affectatam quilibet videt. Deinde non esse iustas dictiones: *Scorti lenones* et: *Ea nimia est ratio*, apparet. Denique stulta sunt, quae v. 55 — 57 adiiciuntur, et contradicunt iis quae supra leguntur, v. 37 — 44.

47. *circum argentarias* sc. mensas aut tabernas.

48. Pall. vulg. vett. *Scorti lenones*. Both. *Scorta et lenones*. Goell. *Scortis lenones quasi scatunt quotidie*. Quia videlicet opinati, vera scorta verosque lenones intelligi. Verum enimvero *scortum* ambigue h. l. dictum de moneta adulterina, ita ut sub illis scorti lenonibus ipsi argentarii intelligantur, qui adulterinam pro iusta numerabant.

49. *Ea nimia est ratio*. Sensum dico esse: Atque hoc verissimum est, propter rationem, quam statim allaturus sum. Nam inter aera illa, quae versantur apud argentarios, plus est adulterinorum numorum, quam eorum, qui iusta habent pondera. Ceterum dictio inepta, uti supra diximus ad vs. 46.

50. Pall. pro *Aeri* habent *Eri*, et *eam* pro *iam*. Lamb. et al. *Triplo plus scort*. uti et habet Goell.

51. *Quos*, sc. scorti lenones illos. Constructio: non video, quam ad rem referat, eos inter argentarios habere. — Pro *habere* Both. *haberi*.

52. *nisi pro tabulis*. Non enim veri sunt argentarii, quippe qui non vera utantur iustaque moneta. Vult igitur, eos pro tabulis haberi, in quibus aera usuraria perscribantur.

54. Vett. et Pall. *Accipiat dico expensa*, *neque censeat*. Vulg. et Lamb. *Accipiat illico expensa*, *neque censeat*. Nostr. Bothius et Goell. ex Acidalio. Nimirum *accepta* sunt, quae tamquam ab aliis accepta aut credita in rationibus nostris perscribimus, *was Anderen gut*

Postrémo in magno pópulo, in multis hóminibus,
Re plácida atque otiósa, victis hóstibus,
Amáre oportet ómnes, qui, quod dént, habent.]
Nam míhi haec meretrix, quae híc habet, Phronésium
Suum nómen omne ex péctore exmovít meo.
[Phronésium, nam Phronésis est sapiéntia.]
Nam mé fuisse huic fáteor summum atque íntumum;
Quod amántis multo péssumum est pecúniae.
Eadém, postquam alium réperit, qui plús daret,
Damnósiorem, me éxinde amovít loco,
Quem inféstum ac odiosúm sibi esse memerabát mala,
Babylóniensem mílitem. Is nunc dícitur
Ventúrus peregre. Éo nunc commenta ést dolum:
Peperísse simulat sése. Ut me extrudát foras,
Atque út cum solo pérgraecetur mílite:
Eum ésse simulat mílitem pueró patrem;
Eo istí suppositum púerum est opus péssumae.
Mihi vérba retur dáre sese! An me cénsuit
Celáre se potésse, gravida sí foret?
Nam ego Lémno advenio Athénas nudius tértius,
Legátus quo hinc cum público imperió fui.
Sed haéc quis mulier? Ástaphium est ancíllula.
Cum eá quoque etiam míhi fuit commércium.

---

geschrieben wird, (Haben). expensa, quae nos aliis credidimus aut numeravimus, *was wir bei Anderen gut haben, (Soll)*. Cf. Most. 1, 3, 146. Pseud. 2, 2, 32. Atque Ulpianus: *Expensum ferre, est scribere se pecuniam dedisse.* — Argentarii igitur et hic, uti et aliis locis, dicuntur accipere quidem, non autem reddere. Cf. Curc. 3, 1, 7—9. V, 3, 1. Pers. 3, 3, 29—32 et 38. Cas. prol. 28. — *ne qui censeat*, i. e. ne quis existimet me dicere expensa.

55. *Postremo* adhibetur in fine dissertationis, ubi, omissa omni reliqua demonstratione, quae sit sententia nostra, breviter eloquimur. V. ind.

57. *qui, quod dent, habent*. Ergo sequitur, qui non habeant, non debere amare.

58. *quae hic habet*, i. hic habitat. Aul. pr. 5. *eius, qui nunc hic habet.*

59. *suum nomen*, hoc est, φρόνησιν, a qua illa nomen duxit. *exmovit* habent Pall. et vulg. et vett.

60. Hic versus legitur in Pall. Non legitur in vett. Inclusit Bothius, et itidem Goellerus.

62. Sensus: id quod detrimento maximo est pecuniae amantis.

64. *damnosiorem*. Vide n. ad v. 44.

65. *quem*, sc. militem. Supple autem *tamen*. Verba *sibi esse* ita sunt enunciande, ut *sibi* integrum elidatur praeter consonam *s*, verbum autem *esse* una syllaba proferatur: *s' ess'*. Cf. Amph. 1, 1, 131. Asin. V, 2, 5. — Pall. *Quem manifesta ac odiosum*. Al. *Quem infestum ac odium*, uti Goell. — Both. *Quem manufesto odium.*

57. *eo* i. q. idcirco, eam ob rem.

71. V. C. *Eum isti suppositum puerum opus pessume*. Vulg. *Quid isti suppositum puerum opus pessumae?* Vett. *Cum isti* et caet. ut vulg. — Bothius: *Et isti opus suppositum puerum pessumae*. Quem nos ex parte secuti sumus. Videtur tamen versus omnino ipse esse suppositus.

75. Edd. *hinc quo.*

76. Edd. *mulier est?*

ACTUS I. SCENA II.

ASTAPHIUM. DINARCHUS.

A. Ád foris auscúltate átque adservate aédis:
Né qui adventor grávior ábeat, quamd advéniat,
Neú, qui manus attúlerit stériles introd ád nos,
Grávidas foras expórtet. Nóvi ego hominum móres:
Íta nunc adulescéntes súnt morati. Quíppe
Út semel advéniunt ad scórta congerrónes:
Consúlta sunt consília. Quándo intro advenérunt:
Únus eorum áliquis ósculum amicae úsque
Óggerit. Dum ílli agunt, súnt ceteri cléptae.
Sin vident quémpiam se ádservare: oblúdunt,
Quí custodem obléctent pér ioculum et lúdum.
Dé nostro saépe edunt, quód fartores fáciunt.
Fít pol hoc, ét pars spéctatorum scítis
Pol haéc vos me haud mentíri.
Íbi est ibus pugnae ét virtuti, dé praedonibus praédam capere.

Act. I. Sc. II. Astaphium dum prodit arcessitum Strabacem, intus adhuc loquitur cum aliis ancillis. Dein ad eam egredientem accedit Dinarchus, deque meretricibus longum cum illa sermonem facit. Denique Dinarchus ab ea intromittitur ad Phronesium.

1. A versu 1 usque ad 13 Saturnios existimo, huiusce metri: —′ ◡ — ◡ —′ — | —′ ◡ — ◡ —′ —, ut 1 — 5; aut huius: —′ ◡ — ◡ —′ — | ◡ —′ ◡ — ◡ —′ —, uti 6; aut: —′ ◡ — —′ ◡ — | —′ — ◡′ —′ — uti 9; aut: —′ ◡ — ◡ —′ — | —′ — ◡ —′ — ut 11 etc. — Vulg. *adque serva has aedes.* Vett. *auscultate atque asservate h. aed.* Both. ex antt. *Ad f. auscultato, atque adserva has aedes.* — V. C. *Aut foras auscultate adque adservas aedis.* At Decurt. videtur habere *auscultato*, uti vulgata. Priscianus de metr. com. (qui quidem perperam de metro disserit,) eam lectionem habet, quam nos optimam esse rati, recepimus.

2. *gravior*, i. e. praeda onustus quam fortasse a nobis fecerit. Vulg. Decurt. et vett. *Ne quis adventor gr. abeat quam adveniat.* At V. C. *gravior abeatat qua adveniat.* Inde fieri possit: *abbitat*, *quam.* Recc. *abeat*, *atque.* V. Hermann. de metr. Scribendum aut legendum: *abeat*, *quamd adveniat*, *d* paragogico adsumpto, uti mos solennis in Plauto. V. vs. sq.

3. Edd. *intro ad nos.* Apparet legendum *introd.*

5. Edd. *morati sunt. Quippe Ut simitu adv.*

7. *Consulta* etc. h. e. nihil aliud quam falaciam inter se composuerunt.

8. Edd. *amicae usque.* Nimirum non elidendum. — *Dum illi agunt*, *sunt ceteri cleptae.* Vett. *dum illi agant*, *ceteri cleptae.*

9. *dum illi agunt.* Pall. *d. i. agant*, quia videlicet falso interpretatus fuerat scriptor illud *dum*, ratus esse i. q. *wenn nur*, quum sit: *indem*, *während.* — *sunt ceteri cleptae.* Nimirum v. *ceteri* disyllabum, ut elidatur media *e.* Sic autem ordinanda sunt verba ex V. C. in quo quum antea fuerit lacuna, locus lacunae deinde expletus est his literis maiusculis miniatisque: *SS. ceteri cleptae*, dubio procul ex alio codice post inspecto.

10. *vident.* Sic Pall. — Vulg. *videant.*

11. Vett. *Dum custodem obl.* Nostr. vulg. — *Qui* i. q. ut. *oblectare* est: *Jemanden hinhalten.* Cf. Ind.

12. *De nostro s. e.* Sic edd. et cdd. Al. *Saepe edunt de nostro.* — *Quod fartores faciunt*, h. e. pariter atque fartores faciunt, qui solent de carnibus ad sese delatis, quibus farcimina farciant, passim, imo saepe gustare aliquid, quo farcimina melius condiant.

14. Patet, *vos* pleonastice adiectum esse ad *pars spectatorum* et ad v. *scitis.*

15. *de praedonibus*, h. e. de meretricibus, quae eos antea fraudarant. *ibus* pro *iis*, corripitur hic et Rud. prol. 73 et Capt. argum. 5; producitur Curc. 4, 2, 20 et Mil. 1, 1, 74.

Át nos rursum lépide gratiám referimus fúribus nostris:
Nam ípsi vidént, quum eorum ádgerimus bóna;
Quín etiam ultro ípsi ádgerunt ád nos.
Di. Me illis quídem haec verbis vérberat: nám ego húc dona accongéssi.
A. Comméminí. Iam pol égo eum ipsum, si dómi erit, mecum addúcam.
Di. Heus, mánedum, Astaphium, priúsquam abis!
A. Qui révocat? *Di*. [Scies:] respice húc. *A*. Quis est?
Di. Vobís qui multa bona ésse volt.
A. Dato, si ésse vis. *Di*. [Faxo erunt.] Respice húc modo.
A. Io, tu énicas me [miseram], quísquis es!
Di. Pessumá, mane! *A*. I, optume: odiósus es. —
Dinárchusne illic est? Átque is est.
Di. It ad vós; et tu manum fér contra. [et pariter grádere.]
A. Tibi sérvio, atque aúdiens
Impérii sum. *Di*. Tuté quid agis?
A. Valeo ét validum teneó. Peregre quoniam ádvenis, coena détur.
Di. Benígne dicis. *A*. Énim, amabo, sine íre me, quo iússit.
Di. Eás. Sed quid aís? *A*. Quid vis? *Di*. Ístic, quo incéptas
Itér, qui est, quem arcéssis? *A*. Achívam obstetrícem.
Di. Mala fémina es. *A*. Soléns sum: ea ést disciplína.
Di. Manuféstam mendací, mala, te téneo. *A*. Quid iam, amábo?
Di. Quia te ádducturam huc díxeras eum ípsum, non eámpse.
Nunc múlier facta est éx viro. Mala és. *A*. Praestigiátor!
Di. Sed tándem loquere, quís is homo est, Astáphium! novus amátor?
A. Nimis ótiosum te árbitror hominem ésse. *Di*. Quianam arbitráre?
A. Quia tuó vestimento ét cibo aliénis rebus cúras.
Di. Vos me ótiosum réddidistis. *A*. Quíd iam? *Di*. Ego expedíbo.

16. Cdd. et edd *referimus gratiam*.

17. *ipsi vident*, h. e. praesentibus illis et spectantibus.

18. Pro *Quin* Pall. *loqui*.

19. *huc*. Sic Pall. — Vulg. *huic*.

20. *Commemini*. Loquitur ad Phronesium intus, quae eam iusserat accersere Strabacem.

22. *Scies* in omnibus legitur. Idem tamen superfluum esse, facile apparet.

24. Item eiicienda *Faxo erunt*. monosyllabum autem *esse*.

25. et item *miseram*.

28. Vulg. et volt. *it ad nos*. *Di*. *Et tu fer contra manum*, *et pariter gradere*. Libri: *is aduas lissi ittuli fert contra m. et p. g*.

29. Edd. *audiens sum imperii*. At Pall. *audies sum imperis*. — Non elidendum in *servio*.

31. Dec. *quoniam*. Edd. *quum*.

32. Edd. *At enim*, — *me ire*.

33. Edd. *quo iter inceptas*.

34. Edd. *Archivam*. Pall. *Archinam*. Both. *Achivam*. Idem tamen mallt *Argivam*.

35. *disciplina*, is mos, ea consuetudo.

37. *dixeras*, i. e. dicebas supra, v. 20. — Edd. et cdd. *eum ipsum*; dein cdd. *non ea asae*.

40. Edd. *Nimis otiosum arbitror h. esse te*. — *esse* monosyllabum. *Quianam* i. q. curnam?

41. *curare* cum dat. vide Trin. 4, 3, 50. Similem autem sensum v. Mil. 4, 2, 5. *Numquis hic prope adest*, *qui rem alienam potius curet*, *quam suam*, *Qui aucupet me*, *quid agam*, *qui de vesperi vivat suo?* h. e. quum tamen de suo sumtu vivat.

42. Edd. *Vos me reddidistis otiosum*. *A*. *Quid iam amabo? Di*. *Expedibo*. Pareus: *Ego expedibo*, uti habet V. C.

Rem pérdidi: cum ré meum negótium abstulístis.
Si rém servassem, fúit, ubi negótiosus éssem.
A. An túte bene rem públicam aut amóris alia lége
Habére posse póstulas, quin tu ótiosus fías?
Di. Illa, haúd ego, habuit públicum; pervórse interpretáris.
Nam advórsus legem a me ob meam scriptúram pecudem accépit.
A. Pleríque idem, quod tú facis, faciúnt rem male geréntes:
Ubi nón est, scripturam únde dent, incúsant publicános.
Di. Male vórtit res pecuária mihi apúd vos; nunc vicíssim
Volo habére aratiúnculam pro cópia hic apúd vos.
A. Non árnus hic, sed páscuust agér. Si aratiónes
Habitúris: qui ararí solent, ad púeros íre méliust.
Hunc nós habemus públicum; illi alií sunt publicáni.

Legendum: *Vos me otiosum reddidistis. A. Quid iam? Di. Ego expedibo.* Goellerus: *Vos mihi dedistis otium. A. Quid iam, amabo? Di. Ego expedibo.* Item Both. omisso *Ego.* Interrogandi formulam *Quid iam?* ut sit i. q. *Wie meinest du das?* vide in Indice. — Post hunc versum Goellerus adiecit versum ex Prisciani 3. p. 609. Putsch. *Bona perdidi, mala reperi: factus extimus sum a vobis.* Non suo loco fortasse; siquidem melius habere videtur oratio, si post v. 43 statim sequantur: *Si rem serv.* etc.

44. *fuit ubi neg. essem*, h. e. potuisset fieri, ut porro etiam negotium gererem, i. e. mercaturam etc.

45. *rem publicam.* Decurt. *rempublicam.* V. C. *res publicum.* Vett. *rem publicani* — *Habere posse postulas.* Vulg. *Habere posse se postulas.* Mss. *Habere posset postulas.* Dec. *habere posses postulas.* Sensus: an tu existimas, vel rem publicam vel rem amoris bene se habere posse, nisi hac lege aut conditione, ut tu fias otiosus, h. e. bona tua remque familiarem impendas et perdas?

47. Dixerat Astaphium v. 45. *tute — habere*, eo sensu, ut *tute* posuerit pro *tu*. Id iam alio sensu accipit Dinarchus, quasi dixerit: *tu te habere.* Pro *rem publicam* autem substituit *publicum*, aitque, non se habuisse publicum, sed Phronesium, quippe quae suam omnem rem familiarem abstulerit, quemadmodum publicani faciant, qui, ubi quis scripturam solvere nequeat, pecudes ei auferant. — Tria fuere vectigalia apud Romanos: decimae ex agris; scriptura ex pecore; portorium ex mercibus. Ager autem, ex quo vel decimae vel scriptura capiebatur, vocabatur publicus. Ergo *publicum habere* est: publicanum esse, exercere vectigalia. — *pervorse interpretaris.* Tu quidem ex tua mente recte locuta es, sed non ex mea, qui illud *tute* male accipere divisim: *tu te;* ita ut ex mea mente tu orationem tuam perverse acceperis. — Sensus igitur: illa quasi publicum agrum habuit, tamquam publicanus, non ego. Non enim recte locuta aut interpretata es. Nam illa ob scripturam pecudem meam omnem accepit, h. e. omnem rem meam familiarem. — Falso alii *pecudem* de *rivali* sunt interpretati; uti omnino in hoc omni loco valde vacillarunt interpretes; alii mussitavere, tamquam si omnia plana essent.

49. *Plerique.* Sic consultissime vett.; atque Pall. *Fierique*, ita ut necessario illud oporteret restitui, loco vulgatae: *Aeraque*, quam tamen retinuit Goellerus. Sed ex nostra lectione et interpretatione omnia planissima.

50. *Ubi non est* etc., ubi non habent pecuniam, quam dent pro scriptura, *incusant publicanos*, irati sunt publicanis, exprobrant publicanis.

51. *nunc vicissim*, h. e. nunc aliud negotium volo gerere, videlicet arationem.

52. *aratiunculam*, agellum, quem arem. Verbum autem *arare* usurpabatur de paedicando. Hinc Astaphium de pueris catamitis in sequentibus disserit. — *pro copia*, pro facultatibus meis.

53. *Non aruus.* Sic oportet hoc loco scribi, ut concinat cum *pascuus*. Sensus: nos meretrices non sumus instar arvi, sed instar pascuae. Nolumus arari, sed tamquam pascua haberi. — Ceterum a re pecuaria saepius translatio fieri solet ad rem amatoriam, veluti Bacch. V, 2 init. et Merc. 3, 1, 26.

54. *habituris* ab *habiturio*, h. e. habere cupis. Vett. *ambituris.* Nostr. Pall. — *melius est* i. e. q. consultum est. V. Ind.

55. *Hunc*, sine dubio δειχτιχῶς. —

Di. Utrósque percognóvi utrobidem. *A*. Istóc pol tu otiósus,
Quum et íllic et hic pervórsus es. Sed utríscum rem esse mávis?
Di. Procáciores éstis vos; sed illí periurióai.
Illís perit quidquíd datur, neque ipsís adparet quídquam;
Vos sáltem, si quid quaéritis, ebíbitis et coméstis.
Postrémo illi sunt ímprobi; vos néquam et gloriósae.
A. Male quae ín nos illosque, ómnia ea tíbi dicis, Dinárche,
Et nóstram et illorúm vicem. *Di*. Qui istúc? *A*. Rationem dícam:
Quia, qui álterum incusát probri, eumpse se íntueri opórtet.
Tu a nóbis sapiens níhil habes; nos néquam abs ted habémus.
Di. O Astáphium, haud istóc modo solita és me ante appelláre,
Sed blánde, quum illuc, quód apud vos nunc ést, apud me habérem.
A. Dum vívit, hominem nóveris; ubi mórtuust, quiéscas.
Te, dúm vivebas, nóveram. *Di*. An me mórtuum arbitráre?
A. Qui pótis, amabo, plánius? qui antehác amator súmmus
Habitúst, illum ad amicám meras querimónias reférre!
Di. Vostra hércle factum iniúria, quae próperavistis ólim
Rapere. Ótiose opórtuit, diu ut éssem incolumis vóbis.
A. Amátor similis óppidi est hostílis. *Di*. Quo arguménto est?
A. Quamprímum expugnarí potest amátor, optumum amícae est.
Di. Ego fáteor; sed longe áliter est amícus atque amátor.
Certe hércle quam vetérrumus homini óptumust amícus.
Non hércle occiderúnt mihi etiám fundique et aédes.

Illi, sc. catamiti. — *alii*, h. e. alius generis.

56. *Istoc*, i. e. eam ob rem. — *otiosus*, h. e. rem perdidisti, ut otium nunc geras, non negotium.

59. Construe: Quidquid illis datur, perit. — *neque* etc. h. e. neque ipsis magno usui est, quoniam, quidquid iis datur, statim nequitiis absumunt.

60. *quaeritis*, i. e. acquiritis vobis. — *ebibitis*. Sic bene vett. — Vulg. et Pall. *et bibitis et com. quaeritis* in fine producitur.

62. Sic emendavi. Nam vulg. et vett. *Malaeque. A. quae in nos illosque ea omnia tibi dicis*, *Dinarche*. At Pall. omittunt *quae*.

64, 65. Sensus huius et seq. versus: Tu ipse nequam es et stultus: ceterum tu a nobis nihil abstulisti, quamquam sapientem te existimas; nos autem, quas tu nequam appellas (v. 61) rem abs te habemus.

68. *Dum vivit*, i. e. dum habet, quod det. Cf. Pseud. 1, 3, 22 et 38 et 91. Pers. 4, 4, 87. — Vulg. et Both. *ubi mortuust*, *quiescas*. Pro quo Goellerus: *ubi mortuus es*, *quiescas*. coll. Trin. 2, 4, 95. Possit et legi: *Ubi mortuust*, *quiescat*. Possit: *ubi mortuus*, *quiescas*. Ego tamen a vulgata nihil recesserim. *quiescas* autem interpretor: nihil eum cures, nihil operae ei praestes amatoriae, nihil te moveas eius causa. Cf. II, 1, 1. Nam illud *quiescere* de mortuis non solebat usurpari apud veteres, qualiter apud nostrates; neque de hac huiusmodi quiete interpretandum, quod Cicero ait Cat. 4, 4. *mors laborum quies*.

70. Sensus: Nihil certius esse potest, quam te esse mortuum, quoniam tu, qui antehac summus amator apud nos habitus es, nunc nil nisi meras querimonias ad amicam affers. Dictionem *Qui potis planius?* vide et infra 2, 8, 5.

75. Argumento est hic locus, v. *optumus* interdum corripi ab initio.

76. Both. *aliter est*, ex em. Acid. qua non opus est. Pariter enim atque hic *aliter* pro *alius*, alibi ut positum legitur pro *qualis*. V. Amph. prol. 104 et ib. III, 3, 5.

78. *hercle* non elidendum, uti nec *mihi*, *occiderunt* autem corripiendum. Supplendumque ad *occiderunt:* plane. Sensus: restant mihi etiam fundi et aedes. — *fundique*. Sic vett. et Pareus in textu, nulla nota adiecta. — Vulg. omisso *quo*.

A. Cur, óbsecro, ergo ante óstium pro ignóto alienoque ádstas?
I intro: haúd alienus tú quidem es: nam ecástor neminem hódie
Mage amát corde atque animó suo, — si quídem habes fundum atque aédis.
Di. In mélle sunt linguaé sitae vostrae átque oratiónes;
Facta átque corda in félle sunt sita átque acerbo acéto.
E línguis dicta dúlcia datis, córde amarefáctis
Amántes, si qui nón danunt. *A.* Non dídici fabuláre.
Di. Non ístaec mea benígnitas docuít te fabulári,
Sed istí, qui cum geniís suis bellígerant, parciprómi.
Mala és, atque eadem, quaé soles inlécebra. *A.* Ut exspectátus
Peregre ádvenisti! Nam, óbsecro, cupiébat te hera vidére.
Di. Quid tándem? *A.* Te unum ex ómnibus amat. *Di.* Eúge, fundi et aédes,
Per témpus subveníſtis! — Sed quid aís, Astaphium? *A.* Quíd vis?
Di. Estne íntus nunc Phronésium? *A.* Tibí quidem intus. *Di.* Valétne?
A. Imo édepol melius étiam credo fóre, ubi te vidébit.
Di. Hoc nóbis vitium máxumum est: quom amámus, tum perímus:
Si íllud, quod volumus, dícitur, palám quum mentiúntur,
Verum ésse insciti crédimus; nae ut aéstu fluctuámur.

83. Vulg. et vett. *Lacteque, corda* etc. V. C. *Fac atque corda belle sunt.* Decurt. *vacatque corda bella sunt.* Nostr. Bothius, bene; nam ut facta orationibus, ita fel melli oppositum.

84. In his et quae sequuntur, sententiam quod attinet, incommoditatem aliquam residere negari nequit. Primum enim incommoda dictio: *amarefactis amantes.* Deinde non bene habent: *Non didici fabulare.* Denique quid sibi velint, quae Dinarchus vss. 86 et 87 addit, non est perspicuum. Sine dubio locus est interpolatus, atque bene haberet, si post v. 81 statim sequeretur v. 88. Sed et in praecedentibus haud pauca videntur ab serioribus esse interserta. Certe enim vs. 78 non probe quadrat ad ea, quae proxime eum praecedunt. Melius sine dubio, si sequeretur statim post v. 69, ut et ea omnia, quae leguntur a v. 70 usque ad 77, pro insititiis includerentur. — Goellerus pro *fabulare* posuit *philosophari*, uti alibi sane dictio *Non didici philosophari* obviam est. Idem *Amantes* trahit ad *non danunt*, superiora autem sic habet: *e corde amara factis, Am.* etc.

86. *istaec* sc. quae fabulata es. Quae tamen quae sint, non certe perspicitur. — *benignitas* est liberalitas, *Freigebigkeit.*

87. *qui cum geniis suis belligerant,* sunt avari, parci. Sententiam quod attinet, referri haec possunt ad ea, quae dixerat Astaphium supra vss. 74 et 75. Quae tamen hinc nimium quantum remota esse apparet.

88. *Mala es* etc. Haec proxime pertinent ad ea quae dixit Astaphium v. 79 — 81. Quae autem his interserta sunt, non genuina videntur. Cf. not. ad v. 84. Ceterum *mala* i. e. q. callida, astuta.

89. Vulg. et Pall. *Di. nam; obsecro? A. Cup. t. h. videre.* Both. *Di. Ain', obsecro?* Nostr. bene vett., quae et sequentia eidem Astaphio tribuentes sic referunt: *Quae tandem te unum ex omnibus amat.* Sed nostr. Pall. — Goell. cum Both. *Qui tandem?*

91. Edd. *subvenistis mihi.* At pronomen desiderari videtur in Pall. — *Quid ais?* solemnis est locutio, ubi quaestio nova aliqua praeparatur. Vide vs. 102 et Ind.

93. Pro *etiam*, quod nos e coniectura dedimus, vett. et Pareus *iam.* In vulg. neque hoc neque illud legitur. Ast edd. *Valetne?* ad sequentem versum trahunt, manco priori. Goell. *Valetne? — Valet. Imo edepol melius iam fore credo, ubi te videbit.* Both. *Imo edepol melius iam fore credo, te ubi videbit.*

94. *perimus*, h. e. perit nobis iudicium, perit sensus veri, perit sana ratio.

95. *palam quum mentiuntur*, h. e. quamquam palam mentiantur.

96. Vulg. *nae, ut in aestu, mutuamur ira.* Vett. *ne ut in aestu motuan-*

A. Heia, haúd ita est res! *Di*. Áiin' tu me amáre? *A*. Imo unice únum.
Di. Peperísse eam audivi. *A*. Ah, óbsecro, tacé, Dinarche. *Di*. Quíd iam?
A. Horrésco misera, méntio quotiés fit partiónis:
Ita péne tibi Phronésium fuit. Í intro iam, amábo;
Vise íllam atque opperíre ibi. Iam exíbit: nam lavábat.
Di. Quid áis tu? quae nunquám fuit praegnás, qui parere pótuit?
Nam equídem uterum illi, quód sciam, nunquam éxtumere sénsi.
A. Celábat metuebátque te illa, né sibi persuadéres,
Ut abórtioni operám daret, puerúmque ut enecáret.
Di. Tum pól isti puero quís est pater? *A*. Babylóniensis míles,
Cuius núnc ista adventum éxpetit. Imo ádeo, ut nuntiátum est,
Iam hic ádfuturum aiúnt eum. Nondum ádvenisse míror.
Di. Ibo ígitur intro? *A*. Quíppini? Tam audácter, quam domum ád te:
Nam tu édepol noster és etiam iam núnc, Dinarche. *Di*. Quám mox
Te récipis tu? *A*. Iam híc ero: prope ést, profecta quó sum.
Di. Redi véro actutum: ego ínterim te apúd vos opperíbor.

ACTUS II. SCENA I.

ASTAPHIUM.

Ha, ha, hé! requievi, quia íntroivit ódium; tandem sóla sum:
Nunc quídem loquar meo árbitratu, quaé lubebit, líbere.

---

tur ira. Pall. *ne ut in aestu mutuamur ira.* Both. *ne ut aestuemur ira:* ne pro nedum posito. Goell. *aut inaestuamur ira.* Ego v. *ira* ex insequenti *Eia* ortum esse existimo, credoque sensum esse debere: nae, tamquam in aestu maris iactamur. Itaque scripsi: *fluctuamur*. Lambini codices: *ne ut aestu mutuamur ira.*

100. Edd. et cdd. *Ita paene tibi fuit Phronesium.* Sensus: paene mortua esset.

101. *Iam exibit*, h. e. brevi exibit. — Pro vulg. *lavabat* Pall. *lavabit*, fortasse pro *lavavit*. Nondum tamen lavavit, sed lavabat adhuc.

102. *Quid ais tu?* rursus haec transitum faciunt ad novam quaestionem, uti v. 91.

110. Vulg. *Nam tu edepol noster es etiam iam nunc, Din.* Pall. *N. t. e. noster set iam nunc Din.* Both. *Nam t. e. nunc noster es etiam Din* Goell. cum Hermanno: *Nam tu edepol noster es. sed i iam nunc, Din.*

Act. II. Sc. I. Quisque videt, inepte hic actus distingui. Irridet Astaphium Dinarchum, disseritque de amatoribus probis aut nihili. Laudat Strabacem, aitque se velle ad eum ire; metuere autem se truculentum Stratilacem. Accedit, pultat.

1. Pall. *Ha ha ha ercle quievi.* et edd. *Ha ha ha Hercle quievi.* Verum enimvero nusquam (praeter h. l. et infra, V, 29.) mulieres per Herculem iurare, quemadmodum viros nusquam per Castorem, certa res est et nota ex Gellio XI, 6. Deinde in omnibus aliis apud Plautum locis legitur: *Ha ha he!* non: *Ha ha ha.* Illud autem fortasse scriptum antiquitus fuit *Ha ha hae!* uti pro *Attatae* plerumque legitur *Attate.* Sic perquam vero similis fit Goelleri emendatio: *Ha ha he! requievi.* Loci, in quibus occurrit illa interiectio apud Plautum hi sunt: Pseud. 4, 1, 43 et ib. 4, 5, 1. Poen. 3, 5, 23. — *requievi*, perfectum pro praesenti: nunc quieta sum. — *odium*, odiosus homo, Dinarchus.

2. Hic versus, qui fortasse suppositilius est, in edd. et cdd. sic habet: *Nunc quidem meo arbitratu loquar libere quae volam et quae lubebit.*

Huic hómini amanti méa hera apud nos naéniam dixit dé bonis:
Nam fúndi et aedes óbligatae súnt ob amoris prándium.
Verúm apud hunc mea héra consilia súmma eloquitur líbere,
Magisque ádeo ei consiliárius hic amícust, quam auxiliárius.
Dum fúit, dedit; nunc níhil habet; quod habébat, nos habémus;
Nunc íd habet, quod nos hábuimus. Humánum facinus fáctum est.
Actútum fortunaé solent mutári. Varia víta est.
Nos dívitem eum méminimus, atque íste pauperés nos;
Vortérunt sese mémoriae. Stultús sit, quid id mirétur.
Si egét, necesse est, nos ali patiátur: aequum fáctu est.
Piáculum est, miseréri nos hominúm rem male geréntum.
Bonis ésse oportet déntibus lenám probam: arridére,
Quisquís veniat, blande ádloqui; male córde consultáre,
Béne loqui linguá. Meretricem esse símilem sentis cóndecet:
Quémquem hominem attigerít, profecto aút malum aut damnúm dari.
Núnquam amatorís meretricem opórtet causam nóscere,
Quín, ubi nil det, pro ínfrequente eum míttas militiá domum;
Néc unquam quisquam próbus amator, nísi qui rei inimicúst suae.
Núgae sunt, nisi, módo quum dederit, dáre iam lubeat dénuo.
Ís amatur hic ápud nos, qui, quod dédit, id oblitúst datum;
Dum hábeat, tum amet: úbi nil habeat, álium quaestum coépiat;
Aéquo animo, ipse sí nihil habeat, áliis, qui habent, dét locum.
Próbus est amator, quí relictis rébus rem perdít suam.
At nós male agere praédicant virí solere sécum,
Nosque ésse avaras. Quaéso, numqui mále nos agimus tándem?

Bothius iambicum refinxit catalecticum: *Nunc, quae lubebit et volam, loquar meo arbitratu:* qui versus ab reliquis discrepat, quippe qui sunt acatalecti. Goellerus, qui trochaicos fecit a v. 1—6, ita exhibet: *Núnc quidem meo árbitratu líbere, quae volám, loquar,* in quibus *libere* displicet.

3. *naeniam dixit.* Sic V. C., quum vulg. et Decurt. *dixit naeniam.* Verbum *naeniam* duabus pronunciandum syllabis, uti passim *otium*, *gloriam*, al. — *naeniam dicere de bonis* est: auferre ab aliquo bona.

4. *obligatae sunt*, videlicet creditoribus Dinarchi. *ob amoris prandium*, h. e. propter impensas, quas ille amoris causa fecit.

8. *Nunc id habet*, sc. pauperiem, quam nos tum habuimus, quum nondum eius bona abstuleramus. — Cdd. et edd. *Iste nunc id habet.* Both. *Iste id habet.*

10. *divitem* non elidendum.

11. *memoriae*, negotia, res. — Edd. *admiretur.* Pall. *qui ita miretur.*

12. Edd. *patiatur ali.*

13. *Piaculum est*, i. e. flagitium esset, si nos vellemus misereri etc. — Pall. *rei.* Vett. *rem.*

14. *bonis*, i. e. pulcris dentibus, quibus utatur ad ridendum, quia ridendo ostenduntur dentes.

15. Edd. *blandeque.* — Pall. *sonsultari.*

17. Pall. et Vulg. *dari.* Al. *dare.* Sed nimirum apodosin absolute eloquitur. Similiter, ut hic modi, personae mutatio fit vs. 19.

18. Numquam eam oportet rationem habere amatoris, si nihil det, aut causam quam dicat, audire; sed, ubi nihil det, domum eum mittere, tamquam infrequentem militem.

19. *Infrequentes* milites dicebantur, qui die, qua citati fuerant, non aderant, neque excusari se curaverant. Cf. Gell. 16, 4, 5. *mittas* vulg. et Pall. — Al. *mittat.*

20. *rei* totum absorbetur, praeter consonam. Cf. ind. *rei totum elisum.*

21. Edd. *nisi quod modo cum dederit.* Similia vide Asin. 1, 3, 16.

25. *relictis rebus*, negotiis suis omissis, cura rei familiaris. Cf. Epid. 4, 2, 35. Stich. 2, 3, 38.

Nam ecástor nunquam sátis dedit suae quísquam amicae amátor;
Neque pól nos satis accépimus, neque úlla satis popóscit:
Nam quándo sterilis ést amator á datis, ***
Si négat se habere, quód det, soli ***
Nec sátis accipimus, sátis quum, quod det, nón habet.
Sempér datores nóvos oportet quaérere,
Qui dé thesauris íntegris demúnt, danunt;
Velut híc agrestis ést adulescens, qui híc habet,
Nimis pól mortalis lépidus, nimisque próbus dator.
Sed is clám patre etiam hac nócte illac
Per hórtum transilívit ad nos. Eúm volo conveníre.
Sed ést huic unus sérvos violentíssumus,
Qui, ubi quámque nostrarúm videt prope aédis, hac si adgrédias:
Item út de frumento ánseres, clamóre absterret, ábigit:
Ita ést agrestis. Séd fores, quidquíd futurum est, fériam.
Ecquis huíc tutelam iánuae gerit? écquis intus éxit?

ACTUS II. SCENA II.

STRATILAX. ASTAPHIUM.

S. Quís illic est, qui tám proterve nóstras aedes árietat?
A. Égo sum. Respice ád me. *S.* Quid ego? *A.* Nónne ego videor? *S.* Vaé tibi!
Quíd tibi ad hasce accéssio aedes ést prope, aut pultátio?
A. Sálve. *S.* Satis mi est túae salutis; níhil moror, non sálveo:
Aégrotare málim, quam esse túa salute sánior.
Íd volo scire, quíd debetur híc tibi nostraé domi.

29. Addidi *nos*, quod deest in edd. et cdd.

30. Hic locus in V. C. lacunosus sic legitur: *Nam quando sterilis est amator a datis *** Si negat se habere quo det, soli **** Item vett. nisi quod pro *a datis* habent *satis*. Decurtatus uno tenore nec ullo lacunarum signo: *Nam qu. st. est am. datis si negat se habere, quod et soli nec satis acc.* etc. Eos versus sic explet vulgata cum Lambino: *Nam quando sterilis est amator a datis, improbust. Si negat se habere, quod det, soli pernoctandum est.* — Argumentatio esse debet: Nam quando nihil amplius habet amator, tum nos nihil possumus accipere. Det igitur, dum habet, oportet. Sine dubio locus et corruptus est et mutilatus.

37. Post *hac nocte* quaedam edd. l. *illam maceriam*. Verum *maceriam* deest in cdd. qui et habent *illac*, non *illam*. Ceterum lacunae nullum erat signum in Pall.

39. *unus* pleonastico adiectum, ut saepe in Plauto. Cf. Aul. 1, 2, 11. et indic. v. *unus pleonastice*.

40. *aggredias* active, ἅπαξ λεγόμενον in Nostro.

42. Edd. *Is item est agrestis*. Verum illud *item* sine dubio ex praecedenti versu in hunc devenit.

Act. II. Sc. II. Rixantur inter se Astaphium et servus truculentus. Revertitur infecta re Astaphium.

2. Conferendus omnino cum hoc versu locus in Amph. 4, 2, 1. ubi *Quid ego sum?* similiter atque hic *Quid ego?* interrogatur. — *A Nonne ego videor?* Sic egregie dedit Goellerus, Pall. que *videor* habent, non *video*. Vulg. et Both. *Nonne ego video?* ... et omnia a v. *Quid ego* usque ad *pultatio* eidem Stratilaci tribuunt.

3. De constructione cf. Amph. 1, 3, 21. *Quid tibi hanc curatio est rem, verbero, aut muttitio?* ubi v. n.

4. *nihil moror*, nihil cupio tuam salutationem. *non salveo*, nolo equidem salvere tua salute.

A. Cómprime.... *S.* Spero méam quidem hercle; té, qui solitus, cómprimat.
[Imprudens per ridiculum, ut rustice, suadet stuprum.]
A. Íram dixi. *S.* Ut ésse coepisti, síc dem, si est una áltera.
A. Nímis quidem hic truculéntus. *S.* Pergin' mále loqui, muliér, mihi?
A. Quíd tibi ego autem díco? *S.* Quia enim mé truculentum nóminas.
Núnc adeo, nisi ábis actutum, ac dícis, quid quaerás, cito,
Iam hércle ego hic te, múlier, quasi sus cátulos, pedibus próteram!
A. Rús merum hoc quidem ést; pudendum et véro clurinúm pecus.
S. Rús tu mi opprobrás, ut nacta es hóminem, quem pudeát probri?
Ádvenisti huc nós tentatum cum éxornatis óssibus?
Quía tibin' suaso ínfecisti, própudiosa, pállulam,
Án eo bella es tú, quam clepsisti? Ár me advenias! *A.* Núnc places.
S. Quám me tibi velím. *A.* Mentire. *S.* Díce.... *A.* Quid? *S.* Quod té rogo.
Máncupio vin' áccipi, quos géstas tecum hos ánulos?
A. Dígnis dantur. *S.* Lávernae háe sunt, quás habes victórias.

7. *Comprime*, videlicet *iram*, uti est v. 9. At *comprimere* usurpatur primum de lingua et oratione, ut sit idem quod: tacere iubere; deinde de compressu venerio. Atque sic Stratilax accipit. — *meam* sc. amicam aut uxorem. — *te — comprimat*. Sic Bothius ex emendatione Lipsii. Nam vulg. et Pall. et vett. *tu quae solita es comprimas*.

8. Versus sine dubio suppositus; legitur tamen in omnibus ll. — Vulg. *imprudens*, vett. *impudens*.

9. Vulg. et vett. *Ast*. *Iram dixi*. *St*. *Ut esse coepisti*, *si dem*, *si est una altera*. Bothius: *Iram dixi*, *ut esse coepit*. *S. Sic dem*, *si is huc alteras*. h. e. si huc reverteris, malum tibi dabo. Nam v. *Sic dedero* minantis est formula, quam vide Asin. 2, 4, 33. Men. 4, 2, 45. Non tamen satisfacit Bothiana emendatio. V. C. *cep sidem sistun alteram*. Decurt. *fidem si est una altera*. Goellerus: *Ast*. *Iram dixi*. *St*. *Ut esse coepit*, *itidem cisti una alteram*. h. e. excitasti simul alteram mihi etiam iram. — Non placet. Ex nostra lectione Stratilax videtur declarare, nullam illa muliere esse peiorem. *esse* monosyll.

12. *abis* sc. a foribus.

14. Edd. *Pudendumne? tu vero clurinum pecus*. Ita ut Stratilaci tribuantur. clura glossaria int. πίθηκος, ut sit pro cluna. Alii leg. *cluninum*, al. *clusinum*.

15. Hic versus in edd. post v. 26 legitur. — *probri* i. q. stupri. Qui nolit committere tecum.

16. Vulg. et Pall. *Adv. huc sistentatum*, quod pro *ostentatum* positum interpretes arbitrantur. Nostram vett. — In Pall. deerat *cum*.

17. *suasum*, Festo teste, color est fuscus. *Quia tibin'* pro *Quiane tibi*. Sic autem leg. ex Acidal. et Meursio. Vulg. et vett. *Quia tibi insuaso*.

18. Vett. *An eo bella es tu? quia accepisti ar me advenias*. Vulg. omittit *tu*. Beth. *quam clepsisti?* — *ar* i. e. q. ad. Nostram et fere Goell.

19. Locus corruptus, uti et sequentia. Vulg. *St*. *Quam me illi velim*. *As*. *mentiris*. *St*. *Dicis quod te rogo?* Vett. *Cum me illi vel in mentiri dicis*. *S. quid quod te rogo*. — Sensus hic esse videtur: Pariter tibi placeo, atque me tibi placere velim. A. Hoc mentiris. Vis enim te mihi placere. St. Dic iam, quod te rogo. An vis, me mancupio accipere hosce anulos, quos gestas? A. Eiusmodi anuli nonnisi dignis dantur, non tibi. S. Ego vero credo, istos anulos, quos hic video, quasi Lavernae esse victorias, h. e. furte partos esse.

20. Vett. *Mancupi vin quia accipias. gesta tecum henos annuos? As*. *Dignis dant*. *St*. *Laviniae hic sunt*, *quas habes*, *victorias?* uti et fere Pall. — Vulg. *Mancupium qui accipias*, *gesta tecum penes annuos*. Emendavi.

21. Vulg. *Dignis dant*. *St*. *Lavi-*

A. Ne áttigas me. *S*. Tángam ego te? Íta me amabit sárculum,
Út ego ruri me hámaxari mávelim patulúm bovem,
Cúmque eo noctem ín stramentis pérnoctare pérpetem,
Quám tuas centúm coenatas nóctes mihi donó dari!
Séd quid apud nostrás negoti, múlier, est aedés tibi?
Quíd tu huc occursás, in urbem quótiescunque advénimus?
A. Múlieres volo cónvenire vóstras. *S*. Quas tu múlieres
Míhi narras, ubi múca nulla fémina est in aédibus?
A. Núllane istic múlier habitat? *S*. Rús, inquam, abierúnt.
Abi!
A. Quíd clamas, insáne? *S*. Abire hinc mí properas grandí gradu,
Iám ego istos fictós, compositos, críspos cincinnós tuos
Únguentatos úsque ex cerebro exvéllam! *A*. Quanam grátia?
S. Quia ádeo fores nostrás unguentis úncta es ausa accédere,
Quíaque istas buccás tam belle púrpurissatás habes.
A. Érubui mecástor misera própter clamorém tuum.
S. Ítane? erubuistí? quasi vero córpori relíqueris
Tuó potestatém coloris últi capiundi, mala.
Búccas rubricá, creta omne córpus intinxtí tibi.
Péssumae estis! Quíd est, quod vobis, péssumae, haec via **?
Scío ego plus, quam me árbitrare scíre. *A*. Quid id est, óbsecro,
Quód scias? *S*. Herílis noster fílius apud vós Strabax
Út pereat, ut eum ínliciatis ín malam fraudem et praémium.
A. Sánus si videáre, dicam. Dícis contuméliam:
Némo hominum hic solét perire ápud nos; res perdúnt suas;
Úbi res perdidére, abire hinc, sí volunt, nudís licet.
Égo non hunc novi ádulescentem vóstrum. *S*. Veron'? *A*. Sério.

niae hic sunt, *!quas habes victorias?* Emendavi.

22. Vett. *Tangamne ego te? ita me amabis sarculum*. Vulg. *Tangam? ita me amabit s.* Sarculum instrumentum rusticum.

23. Vett. *patulum*. vulg. *patalem*. Utrumque significat bovem, cuius cornua late patent aut extenduntur. — *Hamaxari* est: trahere currum.

24. Both. *Cumque eri*. Nimirum eo deest in Pall., qui habent: *Cumque ita noct.* etc.

29. *musca nulla femina*, nec musca quidem foeminini generis. Nequaquam autem proverbialis dictio Plautina, uti vulgo opinantur; verum ex hoc loco perperam intellecto prognatum quodammodo proverbium est. Cf. Suet. in Domit.

33. Vulg. *expellam*; nostr. coniecerat Scaliger.

34. Omisit Bothius *nostras*. At *quia* monosyllabum est, et integrum eliditur. Atqui Goellerus adeo substantivum *fores* omisit, *nostras* retinuit, auctoritate loci in Asin. 2, 3, 7. Aperto argumento, quantopere adhuc vacilletur a plurimis in rhythmica Plautina. *fores* perbreviter enunciari ne dubitato. Cf. Mil. 2, 3, 57 et 2, 4, 56. *quia* autem monosyllabum v. Amph. 2, 2, 133. Aul. 3, 2, 3 et 4.

35. Sensus: et quia tam delicate buccas tuas rubro induxisti.

39. Sic Both. — Vett. et vulg. *Buccas rubricae*, *cera omne corpus intinxit tibi*. — De creta v. Aul. 4, 9, 6. Adhibebatur apud veteres ad dealbandum corpus, brachia, manus, pedes.

40. V. C. *Quid est quod vobis pessume hec ma scio*. Decurt. *pessume haec scio*, cum lacuna. Verum illud *scio* sequentis versus est. Vett. *pessumae haec via****. Vulg. non habet *via*.

43. *ut pereat*, i. e. quomodo pereat, quam pereat, h. e. sua prodigat apud vos. — *praemium* synonymum praedae vide Pseud. 4, 7, 124 et 125. *Auferetur praemium id a me*, *quod promisi per iocum!* *St*. *De improbis viris auferri praemium et praedam decet*.

46. Pall. *si volunt*, *ut uis*, *licet*. Al. *uti ius*. Vulg. *nudis*. vett. *tum illis*.

S. Quín maceria illa áit, in horto quae ést, quae in noctes síngulas
Látere fit minór, qua iste ad vos dámni permensúst viam.
A. Nón mirum, (vetus ést maceria,) láteres si veterés ruunt.
S. Áiin' tu, mala, láteres veteres rúere? Nunquam edepól mihi
Quísquam homo mortális posthac duárum rerum créduit,
Ni ísta ego vostra heró maiori fácta denarrávero.
A. Éstne illic violéntus? *S.* Suam non énim illic meretrículis
Moéniendis rém coëgit, vérum parsimóniae
Dúritiaeque; quaé nunc ad vos iam éxportatur, péssumae.
Hém tibi, o sexúngula! male vivátis! — Egone haec mússitem?
Iám enim eccere íbo in forum atque haec fácta narrabó seni:
Né qua is istuc ín segestro cógat examén mali.
A. Si écastor hic hómo sinapi víctitet, non cénseam
Tam ésse tristem pósse. At pol, hero bénevolens ut is ést suo!
Vérum ego illum, quamquám violentust, spéro, mutarí potest
Blándimentis, órnamentis, céteris meretríciis.
Vídi equum ex indómito domitum fíeri, atque alias béluas.
Núne ad heram revidébo. Sed eccum ódium progreditúr meum.
Trístis exit: haúd convenit étiam hic dum Phronésium.

---

47. Ante *novi* vett. addunt *hunc*, omittit vulg.

49. *damni*, h. e. ubi damnum et iacturam faciat rei familiaris suae.

52. *creduit* cum genitivo, ut Asin. 2, 4, 63. *quoi omnium rerum ipsus semper credit.*

55. Pall. *moniendis.* Vulg. *muniendis.* Nostr. Both. Sensus: remunerandis.

56. *quae*, sc. res familiaris.

57. Pall. *Em tuo sexungula.* Dec. *Hem t. s.* Vett. *Em tu es sexungula — egone hic muss.* Vulg. *Hem tu, o sexungula, male vivitis: e. haec m.* Goell.: *Hém, o sexungulá, male vivitís. egone haec ut mússitem?* Nostrum Bothius, atque *Hem* hic non verberantis, sed increpantis. — *sexungula.* Cf. Aul. 3, 6, 18. *Cum senis manibus, genere Geryonaceo.* et Pseud. 2, 2, 48 *quia non licet huc iniicere ungulas.* Ergo furibus et ungulas et sex ungulas tribui patet.

59. Locus corruptus. Pall. vulg. vett. *Neque istuc in se gestit ergo coget examimem mali.* Goell. *Neque istuc in se gestit tergum cogere examen mali.* Bothius cum Lipsio (Antt. lectt. 4. 5.) *Namque istuc ipse gestit, ergo coget examen mali.* Nostr. Lamb. cum Scaligero. *Segestrum* est lectus e stramentis. Sensum ait Lambinus: ne qua senex istuc examen mali congerat in stragulo, quo ipse parcus dormit. Apparet, parum idoneo sensu. Potius videtur: ne qua is sc. filius, in istoc latibulo malum sibi patrique concinnet.

62. *illum*, per attractionem ad v. *spero*, pro nominativo, uti saepissime. Cf. Men. 2, 1, 21. Most. 5, 1, 26. Pers. 3, 3, 10. Poen. 5, 2, 106.

64. Pall. *Vidi equidem exinem intu domitu fieri atque alias belvas.* Vulg. *Vidi equidem ex iumentis domita fieri, atque alias b.* Goell. *Vidi equidem ex indomitis domitas fieri aeque alias beluas.* Both. *Vidi equidem exanimatas domitas fieri aeque alias bestias.* Viam muniunt vett. edd. quae sic habent: *Vidi equidem iumentum ex indomito domitum fieri, atque alias beluas.* Itaque miror nemini in mentem venisse *equi*, huic loco sine dubio quam maxime apti. Quo admisso, quam bene ex nostra emendatione locus currat, facile quisque videt. Nihil certius, quam sic locum dedisse poetam.

65. *odium;* cf. 2, 1, 1.

ACTUS II. SCENA III.

DINARCHUS. ASTAPHIUM.

Di. Piscés ego credo, qui úsque, dum vivént, lavant,
Minus diú lavare, quam haéc lavat Phronésium.
Si proínde amentur múlieres, diu quám lavant,
Omnés amantes bálneatorés sient.
A. Non quís parumper dúrare opperírier?
Di. Quin hércle lassus iám sum durandó miser.
A. Mihi quóque prae lassitúdine opus est út lavem.
Di. Sed óbsecro hercle, Astáphium, i intro ac núntia,
Me adésse. I propere, et suáde, iam ut satis láverit.
A. Licet. *Di.* Aúdin' etiam? *A.* Quíd vis? *Di.* Di me pérduint,
Qui té revocavi! Nón tibi dicebam. Í modo.
A. Quid iám revocabas me, ímprobe nihilíque homo?
Quae mílle passuum péperit tibi moraé mora.
Di. Sed quid haéc hic autem támdiu ante sedés stetit?
Nescío quem praestoláta est. Credo, mílitem.
Illud ést: vide ut iam, quási volturii, tríduo
Prius praédivinant, quó die esurí sient;
Illum ínhiant omnes; ílli est animus ómnibus.
Me némo magis respíciet, ubi istic vénerit,
Quam si hínc ducentos annos fúerim mórtuus.
Ut réi servire suáve est! Vae miseró mihi!
Post fáctum flector, quí ánte partum pérdidi.
Verúm nunc si qua mi óbtigerit heréditas
Magna átque luculénta, nunc, postquám scio,
Dulce átque amarum quíd sit ex pecúnia:
Ita égo illam edepol sérvem, ita parce víctitem,
Ut — núlla faxim cís dies paucós siet.
Ego istós, qui nunc me cúlpant, confutáverim.

Act. II. Sc. III. Egreditur Dinarchus. Intro mittit Astaphium, ut evocet Phronesium.

9. Edd. *tu i propere*, uti Pall.

13. Edd. et cdd. *Quae tibi mille passuum peperit morae mora.* Sed postremum *mora* deest in Pall. *mille passum* vide Men. 1, 2, 64. Both. *Quae passuum tibi mille peperit mora moram.* Goell. *Quae mille passum peperit tibi moram mora.* — Genitivus *morae* pendet a *mille*, a quo eodem et pendet passuum. *Da doch dieser Verzug dir ein Tausend Schritte Verzugs gebracht hat.* Codd. habent *more.*

17. *esuri.* Oportebat *esurae.* Verum potest illud per attractionem ad comparatum referri.

18. *illi*, h. e. illic, quasi *apud illum.* Ceterum vett. *ille.*

19. V. C. *Me nimo magis.* Decurt. *Me nimio m.* Vulg. *Me nemo m. respiciet, ubi iste huc v.* Vett. *Me nihilo mag. respiciet, ubi i. huc v.* Atque *nihilo* videtur opus ad *magis*, sequente *quam.* Ego interim vulgatam servo.

21. Pal. *Utrum seure salve est?* Nostr. vulg. bene. Nam redire iam Dinarchus cupit ad sobriam mentem, vultque rei servire potius, quam amori.

22. *flector*, i. e. muto animum meum, quum iam sero est. Male alii *plector.* — *ante partum*, rem familiarem. Cf. 1, 1, 42. Non tamen uno verbo scribatur, quo et tempus ante praeterlapsum significare possit.

26. Edd. *itaque parce.*

27. Similes lusus v. Bacch. 3, 4, 4. 6. 8. 10. paene ut coniicias, illos ad exemplum huius esse compositos. Noster enim suo loco est; illi alieni et affectati.

28. *istos.* Intelligi possunt et amici parentesque, et vero meretrices, quae culpabant Dinarchum, quod nihil daret,

Sed aéstuosas séntio aperirí fores,
Quae absórbent, quidquid vénit intra péssulos.

ACTUS II. SCENA IV.

PHRONESIUM. DINARCHUS.

Ph. Num tíbi nam, amabo, iánua est mordáx mea,
Quo introíre metuas, méa voluptas? *Di.* Vér vide!
Ut tóta floret! út olet! ut nitidé nitet!
Ph. Qui tam ínficetus, Lémno adveniens quí tuae
Non dés amicae, mí Dinarche, sávium?
Di. Vah, vápulo hercle égo nunc, atque adeó male!
Ph. Quo te ávortisti? *Di.* Sálva sis, Phronésium.
Ph. Salve. Hícne hodie coénas, salvos quom ádvenis?
Di. Promísi. *Ph.* Ubi coenábis tu? *Di.* Ubi tu iússeris:
Hic. *Ph.* Mé lubente fácies. *Di.* Edepol mé magis.
Nempe tú eris hodie mécum, mea Phronésium?
Ph. Velím, si fieri póssit. *Di.* Cedo seleás mihi!
Properáte! auferte ménsam! *Ph.* Amabo, sánun' es?
Di. Non édepol bibere póssum iam: ita animó male est.
Ph. Mane: áliquid fiet. Né abi. *Di.* Ah, adspersísti aquam!
Iam rédiit animus. Déme soleas. Cédo, bibam.
Ph. Idem és ecastor, quí soles. Sed díc mihi,

uti Astaphium supra I, 2, 70. — Sed hunc versiculum Goellerus post 25 collocat. Fortasse recte.

29. *aestuosas.* Sic egregie Bothius; quem et Goellerus sequitur. Nam Mpti: *sed est uos adsentio.* Vulg. et vett. *Sed est vocis sat.* Erant vero fores tamquam Charybdis aliqua.

Act. II. Sc. IV. Egreditur Phronesium et colloquitur cum Dinarcho. Aperit ei de partu supposito, deque venturo milite. Qui ubi abierit, se cum Dinarcho pollicetur futuram. Interim se ait sacrificaturam pro puero. Itaque munusculum petit a Dinarcho. Id ille curatum abit.

1. *mordax*, nimirum propter canem fortasse aliquam, uti Most. 3, 2, 164 sqq.

2. *ver vide!* Alloquitur aut spectatorem aut aliquem comitem suum. Nullus enim fere actor apud veteres nisi cum comite aliquo in scenam prodibat; cuius rei et in Aristophane et in Plauto satis luculenta suppetunt argumenta. Cf. et v. 12 et 35.

4. *Qui tam inficetus*, h. e. cur tu es tam illepidus, ut rediens ex itinere non oscuIeris amicam tuam?

5. Deest mí in cdd. et edd., additum a Bothio.

6. *vapulo.* Videtur legendum *vapulabo*, h. e. damnum faciam.

7. *Quo te avortisti?* Eadem v. Amph. 3, 2, 18.

8. Patet, *hicne* non esse elidendum. — *coenas.* Videtur igitur eum ad coenam apud sese invitare. Nam redeuntibus ex itinere coena dabatur ab amicis.

11. *Nempe* correptim enunciandum, uti saepe. Cf. Epid. 3, 4, 13. Trin. 2, 2, 51. Mil. 3, 3, 32. 48 et II, 3, 66. Pseud. 1, 3, 133.

12. *cedo soleas mihi*, h. e. afferte mihi, servi, soleas, ut abeam, quia non mecum erit Phronesium. Adhibet autem dictionem solitam adhiberi a surgentibus e convivio. Nam in convivio soleae deponebantur. Fingit igitur Dinarchus, se quasi iam accúmbere apud Phronesium, soleàsque poscit, quo abeat. Cf. Most. 2, 1, 37.

14. Fingere pergit, se quasi iam accumbere in convivio, nec bibere amplius posse propterea quia sibi male sit.

16. *deme soleas*, ait quasi alicui servo suo. Vult enim rursum deponere soleas, et manere in convivio suo imaginario. — *cedo*, *bibam.* Sic vulg. Pal. *cedo vinum.* At V. C. *cedo vivam*, h. e. *cedo bibam*, solemni in cdd. permutatione literarum *b* et *v*.

Benene ámbulavisti? *Di*. Húc quidem hercle ad té bene,
Quum túi videndi est cópia. *Ph*. Compléctere.
Di. Lubéns. Ah, hoc est mel mélle dulci dúlcius!
Hoc túis fortunis, Iúpiter, praestánt meae!
Ph. Dan' sávium? *Di*. Imo vél decem. *Ph*. Haud istoc paúper es.
Plus póllicere tú, quam ego a te póstulo.
Di. Utinam á principio réi item parsissém meae,
Ut núnc reparcis sáviis! *Ph*. Si quíd tibi
Compéndi facere póssim, factum edepól velim.
Di. Iam lávisti? *Ph*. Iam pol míhi quidem atque oculís meis.
Num tíbi sordere vídeor? *Di*. Non pol míhi quidem;
Verúm tempestas mémini quum quondám fuit,
Quum intér nos sorderémus alter álteri.
Sed quíd ego facinus aúdivi adveniéns tuum,
Quod tu híc me absente nóvi negoti gésseris?
Ph. Quid id ést? *Di*. Primum quum túte es aucta líberis,
Quumqué bene provenísti salva, gaúdeo.
Ph. Concédite hinc vos íntro atque operite óstium.
Tu núnc superstes sólus sermoní meo es;
Tibi méa consilia súmma semper crédidi.
Equidém nec peperi púerum, nec praegnás fui;
Verum ádsimulavi, me ésse praegnatem; haúd eram.
Di. Quaprópter, o mea víta? *Ph*. Propter mílitem
Babylóniensem, quí quasi uxorém sibi
Me habébat anno, dum híc fuit. *Di*. Ego sénseram.

20. Pall. *ad hoc est me illi dulci dulcius*. Nostr. vett. et vulg.

22. Pall. *Dant suavium*. Both. vulg. vett. *Danc savium*, ut sit imperativus. Sine dubio interrogatio est: *dasne savium?* Atque sic et Goellerus. — *decem* admodum interdum correptim tamquam monosyllabum est enunciandum: *d'cem*, uti et *decet* et al. Cf. Curc. 2, 3, 65. Merc. 5, 2, 6. et Truc. 5, 21. Hic igitur totum elidendum.

25. *reparcis* i. q. parcis. — *Si quid tibi* etc. si possim facere, ut ne longius iusto te morer.

27. *lavisti* tamquam disyllabum proferendum, uti et alia contrahuntur, in quibus media *v*.

29. In cdd. desideratur *cum* post *memini*. Iidem vs. sq. *sorderemus alteri*, omisso *alter* aut *unus*, quod recc. ante *alteri* adiecere.

30. Vulg. *unus*. Both. Goell. *alter*. — *sorderemus*, i. e. nos invicem contemneremus.

31. *quid facinus* habent Pall. et vulg. et *quid* pro *quod* saepe legitur in simili dictione. Unde non est quod cum Acidalio aut Bothio scribamus *quod f.* Cf. Capt. 5, 3, 6. Men. 3, 2, 33. Pers. 4, 4, 71. Pseud. 2, 2, 41.

32. *hic me absente*. Quaeritur quo referendum sit *hic*, an ad *gesseris*, an ad *absente*. Solemne autem est addi in hac locutione. Cf. Amph. 2, 2, 205.

33. Hic versus accessit ex cod. Ambros. ubi sic legebatur: *Quid id est? Primum cum tuisses aucta liberis.* Unde Bothius: *Nam quid id est? Primum quum tu es aucta liberis.* Goellerus: *Quid id ést? D. Primumdum cúm tu es aucta líberis.* Atque de Bothii *Nam* cf. Aul. 1, 1, 3 et 5 ubi vide citata. Ego *tute* scripsi. — *quum* i. e. q. quod. Eandem loquendi formulam vide II, 6, 35. Vide indic. s. v. *Gratulationis formula*.

35, 36. Hi quoque duo versus ex cod. Ambros. accessere; ubi tamen pro *superstes* legitur *superbus*. Abscedere autem iubet servas famulasque, quas secum habuit comites.

39. Verba *haud eram* desunt in vett. et Lamb., leguntur in vulg. — Pall. *haud ego*.

42. *anno*, h. e. ante hunc fere annum. Cf. Amph. prol. 91. Sed Pall. *anno um dum h. f.*

Sed quíd istuc? quoi re id te ádsimulare rétulit?
Ph. Ut ésset aliquis láqueus et redimículum,
Revórsionem ut ád me faceret dénuo.
Nunc húc remisit núper ad me epístolam:
Sese éxperturum, quánti sese pénderem.
Si quód peperissem, id éducarem ac tóllerem:
Bona súa med habiturum ómnia. *Di.* Ausculto lubens.
Quid dénique agitis? *Ph.* Máter ancillas iubet,
Quoniám iam decimus ménsis adventát prope,
Aliam áliorsum ire, praemandare et quaérere
Puerum aút puellam, quí supponantúr mihi.
Quid múlta verba fáciam? tonstricém Suram
Novísti, nostras quaé modo erga aedés habet.
Di. Novi. *Ph.* Haéc una opera círcumit per fámilias,
Puerúm vestigat clánculum, ad me détulit.
Datúm sibi esse díxit. *Di.* O mercés malae!
Eum núnc non illa péperit, quae peperít prior;
Sed tú posterior. *Ph.* Órdine omnem rém tenes.
Nunc, út praemisit núntium milés mihi,
Non múlto post hic áderit. *Di.* Nunc tu te ínterim
Quasi pró puerpera híc procuras? *Ph.* Quíppini,
Ubi síne labore rés geri pulcré potest?
Ad súum quemque aequom est quaéstum esse cállidum.
Di. Quid mé futurum est, quándo miles vénerit?
Relíctusne abs te vívam? *Ph.* Ubi illud, quód volo,
Habébo ab illo: fácile inveniam, quómodo
Divórtium et discórdiam inter nós parem;
Postídea tecum, méa voluptas, úsque ero
Adsíduo. *Di.* Imo hercle véro adcubuo mávelim.
Ph. Quin dís sacruficare hódie pro pueró volo
Quintó die, quod fieri oportet. *Di.* Cénseo.

49. *habiturum*, pro *habituram*, uti Cas. 3, 5, 73. *occisurum*; de qua re cf. Gell. 1, 7.

55. Vulg. *N. nostram, quae modo erga aedes habet.* Vett. *N. nostram, quae modo erga aedem sese habet.* Pall. *novisi uostram quem erga aedem sese habet.* Lamb. *N. nostram, quae modo erga aedem hancce habet*, i. e. aedem sacram. Goell. *novisti nostram, quae modo erga aedes habet.* Both. *Novisti, nostras quae nunc erga aedes habet.* Apparet, *nostras* non bene deesse posse ad *aedes*, quia alias non intelligitur, quae sint aedes. Itaque Bothium secutus sum, ita tamen, ut dederim *modo* pro *nunc*, quod ille. — *habet* i. e. q. habitat. *tonstrices* barbae atque capillorum in usu fuisse apud veteres, notum vel ex Cic. Tusc. 5, 20. Sed committebatur illis et reliqua corporis cura, quemadmodum *tonsores* non solum tondendo, sed et in reliquis corpora curare solebant. Sic Aul. 2, 4, 33. *tonsor illi ungues demserat.*

56. *unā operā* proprie i. e. q. simul, aut: pariter. Cf. As. 1, 1, 85. Hic sine dubio i. q. assiduo.

63. *te procuras*, te componis, fingis, apparas. Alibi *procurare* est i. q. *pflegen, warten*, uti infra IV, 4, 25. Poen. 3, 4, 5. V. Ind.

70. Edd. *Postidea ego tota tecum, m. v., usque ero Ass.* Apparet *ego tota* supplementum esse.

73. *quinto die.* Amphidromia haec sacra vocabantur, propterea quia puer recens natus cursim circa focum gestabatur. — *quod fieri oportet* i. e. q. quoad fieri oportet. *Quod* enim saepe pro *quoad* positum. Cf. Capt. 3, 4, 31. Merc. 5, 4, 62. Mil. 4, 4, 24. Epid. 5, 1, 32. Bothius tamen: *quo*.

Ph. Non aúdes aliquod dáre mihi munúsculum?
Di. Lucrum hércle videor fácere mihi, voluptás mea,
Ubi quídpiam me póscis. *Ph*. At ego, ubi ábstuli.
Di. Iam fáxo hic aderit; sérvolum huc mittám meum.
Ph. Sic fácito. *Di*. Quidquid aútem erit, boni cónsulas.
Ph. Ecástor munus té curaturúm scio,
Cuiús me non poeníteat, ut mittás mihi.
Di. Num quídpiam me vis áliud? *Ph*. Ut, quando ótium
Tibi sít, ad me revíses. *Di*. Tu valeás. *Ph*. Vale.
Di. Proh di ímmortales, nón amantis múlieris,
Sed sóciae unanimántis, fidentís fuit
Offícium, facere, quód modo haec fecít mihi,
Suppósitionem púeri quae mihi crédidit,
Germánae quod soróri non credít soror.
Osténdit sese iám mihi medúllitus,
Se mi ínfidelem núnquam, se vivá, fore.
Egone íllam ut non amem? égone illi ut non béne velim?
Me pótius non amábo, quam huic desíet amor.
Ego istí non munus míttam? Iam domo íllico
Iubébo ad istam quínque perferrí minas;
Praetérea opsonarí duntaxat ád minam.
Multo ílli potius béne erit, bene quae vólt mihi,
Quam míhimet, omnia quí mihi fació mala.

ACTUS II. SCENA V.

PHRONESIUM.

Puero ísti date mammam. — Út miserae
Matrés sollicitaeque éx animo
Cruciántur! Edepol cómmentum
Male! quúmque eam rem in córde agito:
Nimió minus perhibemúr malae,
Quam súmus ingenio [nátae].
Ego príma domí modo díctito dócta:
Quanta ést cura in ánimo, quantúm corde cápio
Dolórem, dolús ne occidát morte púeri!

74. *Non audes.* Notum receptumque est, *sodes* dici pro *si audes*, i. e. si vis. Similiter *audere* veteres pro *velle* aut *sustinere* usurpabant. Capt. 3, 5, 4. V. Ind.

80. Vulg. vett. Pall. *Ut cuius — poeniteat, mittas mihi*. Nostr. Both. *Cuius me non poeniteat*, quod mihi non displiceat, quod mihi satisfaciat. Nam *poenitet me alicuius* in Plauto est: non satisfacit mihi aliquid. V. Ind.

92. Vulg. et vett. *Iam modo ex hoc loco*, uti et Pall.

Act. II. Sc. V. Apparet hinc exordiri debere novum actum. Phronesium puerperam agit.

1. Priora usque ad v. 17 omnia, sensu vero bonoque destituta, supposita videntur esse, et serius adiecta, cantici augendi gratia. Vera scena et genuina a versu demum 18 incipit: *Male quod m.* etc.

3. Edd. *sunt crucianturque*. Pall. *sunt cruciantque*.

6. *natae* addidi versus causa.

7. Sic Vulg. — Pall. *Ego prime deme modo dicta dicito*. Lamb. E. p. *de me modo ista dictito*.

Matér dicta quód sum, eo magís studeo vítae,
Quae tántum dolúm clam sum aúsa adgredíri.
Lucrí causa avára probrúm sum execúta:
Aliénos dolóres mihí supposívi.
Rem núllam opórtet dolóse adgredíri,
Nisi ástute ádcuratéque exsequáre.
Vosmét iam vidétis, ut órnata incédo:
Puérperio egó nunc med aégram esse adsímulo.
Mále quod mulier fácere incepit, nísi si efficere pérpetrat,
Íd illi morbo, id ílli senio est, éa illi miserae miseria est;
Sí bene facere incépit, eius éam cito odium pércipit.
Nímis quam paucae súnt defessae, mále quae facere occéperunt;
Nímis quam paucae effíciunt, si quid fácere occeperínt bene.
Múlieri nimió malefacere lévius onus est, quám bene.
Égo quod mala sum, mátris opera mála sum et meapte málitia,
Quaé me gravidam esse ádsimulavi míliti Babylónio.
Éam nunc malitiam áccuratam míles inveniát volo.
Íste hic haud multo póst, credo, aderit: núnc prius praecaveó sciens,
Éumque gero ornátum, ut gravida quási puerperió cubem.
Dáte mi huc stactam atque ígnem in aram, ut vénerem Luciném meam.
Híc apponite, átque abite ab óculis. — Eho, Pithécium,
Fáce ut accumbam. Accéde: sic decet ádiutare puérperam. —
Sóleas [mihi] duce, pállium iniice ín me huc, Archylís. Ubi es,
Ástaphium? fer húc verbenam mihi, thus et bellária.
Dáte aquam manibus. Núnc ecastor vénerit milés velim.

---

11. Vulg. *quae ausa sum tantum clam dolum aggrediri.* Item vett.
14. Edd. *Nullam rem.*
17. Edd. *me esse aegram.*
22. Edd. *occeperint benefacere.*
23. Lamb. *levius.* Vulg. et Pall. *melius.* — *onus est.* Sic Decurt. — Vulg. *est onus.* Sensus: nimio facilius est mulieri, male, quam bene, facere.
27. *Iste hic.* Sic cdd. et edd. Quod quoniam versum incommodat, legeris forte *Is hic*, aut: *Iste haud multo hic post, credo, aderit*, aut ut abiiciatur *hic.*
29. *venerem* pro *venerer*, uti aliae edd. habent. At Pall. *benercm*, i. e. *venerem.*
30. *abite.* Apparet, magnum fuisse Phronesii in scena comitatum. Nam praeter quas abire iam iubet, restant adhuc Pithecium, Archylis et Astaphium. Ut ad minimum sex illi adfuisse, recte conlicias.
31. Edd. *adiutare sic decet p.*
32. Vulg. *soleas mihi duce.* Vett. *soleas mihi date.* Apparet, quoniam accumbere vult Phronesium, soleas deponi. Nam et reddi sibi iubet II, 8, 1 ubi est: *Date soleas, atque me intro actutum ducite.* Liquet igitur, *Soleas date* falso hic legi. Quodsi serves: *Soleas duce*, erit dictum pro educe, *siehe mir die Schuhe aus.* Atque Goellerus legit: *Soleas deme*, uti est II, 4, 16. — *Archylis* et apud Terentium obviam Andr. 1, 4, 1 et III, 2, 1.
34. *venerit.* Sic bene vett. — Pall. *ecastorum veniret.* Vulg. *ec. ut veniret.* Both. *ut venat miles velim.* Goell. *veniat militem velim.*

ACTUS II. SCENA VI.

STRATOPHANES. PHRONESIUM. ASTAPHIUM.

St. Ne éxspectetis, spéctatores, méas pugnas dum praédicem:
Mánibus duellis praédicare sóleo, haud in sermónibus.
Scío ego, multos mémoravisse mílites mendácium,
Ét Homeronidae, ét postilla míile memorarí potest,
Qui ét convicti et cóndemnati fálsis de pugnís sient.
Nón laudandus ést, quoi credit plús qui audit, quam quí videt;
Nón placet, quom illí plus laudant, qui aúdiunt, quam quí vident:
Plúris est oculátus testis únus, quam aurití decem:
Qui aúdiunt, audíta dicunt; quí vident, plané sciunt.
Nón placet, quem scúrrae laudant, mánipulares mússitant,
Néque illi, quorum língua gladiorum áciem praestringít domi.
Strénui nimió plus prosunt pópulo, quam arguti ét cati:
Fácile sibi facúnditatem vírtus argutam ínvenit;
Síne virtute argútum civem míhi habeam pro praéfica,
Quae álios collaúdare, eapse sése vero nón potest.
Núnc ad amicam décumo mense póst Athenas Átticas
Víso, quam gravidám reliqui méo compressu, quíd ea agat.
Ph. Víde, quis loquitur. *A.* Iám propinque míles, mea Phronésium,
Tíbi adest Stratophanés: nunc tibi opust, aégram ut te adsimulés. *Ph.* Tace.
[Quíd ad hoc egeo tuí, malum, admonitrícis? an me víncere est [maleficio]?]
St. Péperit mulier, út ego opinor. *A.* Vín' adeam ad hominém? *Ph.* Volo.

Act. II. Sc. VI. Venit cum pompa servorum ancillarumque miles, suaque magna facta praedicat. Salutat Phronesium atque dona dat. Illa gravate fastidioseque accipit. Et ecce altera pompa cum muneribus a Dinarcho missis accedit.

1. *pugnas dum.* Sic cdd. et vulg., quae recc. sine necessitate inter se transposuere.

2. Pall. *duellis*, uti et vett. et Lamb., id quod apte respondet sequenti *in sermonibus.* Sensus enim: ego manibus gloriari soleo in bellis, haud verbis in sermonibus. Sed vulg. *duelli*, i. e. in bello, quod et Both. et Goell. — Duellum in Plauto solemne pro bello. Cf. Amph. 1, 1, 35. 97. Capt. prol. 68. Epid. 3, 4, 14. Asin. 3, 2, 13.

4. *Homeronidae*, quos habet vulg., forent scriptores imitatores Homeri. Vett. et Pall. *Homeronidam*, quod referatur ad *scio memoravisse.* Nostr. Both. — Goelleri coniectura est: *Et Homeri Atridam et post illum m. m. p.* Verum ubinam Atrida Homeri de falsis pugnis est condemnatus?

6. Vulg. et Pall. *plus credit.* — In vett. deest *est.*

10. *scurrae* sunt homines urbani, elegantes. Cf. Poen. 3, 2, 35. V, 5, 2. Curc. 2, 3, 17. Most. 1, 1, 14.

11. *Neque illi*, i. e. nec placent illi, qui domi magna facta loquuntur; quorum plus potest lingua domi, quam gladii fortium bellatorum belli. De dictione cf. Mil. 1, 1, 4.

14. *praefica.* Festus: *praeficae* dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductae, quae dant ceteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum praefectae.

15. Vett. *Q. a. collaudare absentes, sese vero non potest.* Vulg. *Quae alios collaudat, eapse se vero non potest.*

17. *viso* futurum est, uti *conciliasso* etc. Sic Pseud. 4, 6, 1. *Viso, quid rerum meus Ulysses egerit.*

20. Versus sine dubio suppositicius: quem Pall. sic habent: *cui adhuc ego tu mala meam emonet ruri a me maleficio vincerest.* In vett. et Lamb. plane deest. Nostr. vulg.

21. In vulg. deest *ad.* Vett. *Vin'*

St. Eúge, Astaphium eccam ít mi advorsum. *A.* Sálve ecastor, Strátophanes.
Veníre salvom .... *St.* Scío. Sed peperitne, óbsecro, Phronésium?
A. Péperit puerum nímium lepidum. *St.* Écquid mihi similíst? *A.* Rogas?
Quín, ubi natus ést, machaeram et clýpeum poscebát sibi.
St. Méus est: scio iam de árgumentis. *A.* Nímium quidem similíst! *St.* Papae!
Iám magnust? iamne électat legiónem quam spoliáre volt?
A. Át here nudiusquíntus natus quídem ille est. *St.* Quid tum póstea?
Ínter tot diés quidem hercle iam áliquid actum opórtuit.
Quíd illi ex utero exítio est, priusquam póterat ire in proélium?
A. Cónsequere atque illám saluta et grátulare illí. *St.* Sequor.
Ph. Úbi illa, obsecro, ést, quae me relíquit hic, atque ábstitit?
A. Ádsum; adduco tibi éxoptatum Strátophanem. *Ph.* Ubi is est, óbsecro?
St. Márs peregre adveniéns salutat Nérienem uxorém suam.
Quúm tu recte próvenisti quúmque es aucta líberis,
Grátulor, quum míhi tibique mágnum peperistí decus.
Ph. Sálve, qui me intérfecisti paéne et vita et lúmine,
Quíque vim magní doloris pér voluptatém tuam
Cóndidisti in córpus, quo nunc étiam morbo mísera sum.
St. Heía, haud ab re, méa voluptas, tíbi istic obvenít labos:
Fílium peperísti, qui aedes spóliis opplebít tuas.
Ph. Múlto ecastor mágis oppletis trítici opust granáriis:
Ne, ílle priusquam spólia capiat, híc nos extinxít fames.
St. Hábe bonum animum. *Ph.* Sávium sis péte hinc a me. Nequeó caput
Tóllere: ita dolui, ítaque ego nunc dóleo, neque etiám queo
Pédibus mea sponte ámbulare. *St.* Sí plane ex medió mari
Sávium tuum pétere iubeas: pétere haud pigeat, mél meum.
Íd ita esse experta és, nuncque experiére, mea Phronésium,

adeas hom. Pall. *Vin ad ea aut hom. ut volo.* Hinc Goell. *Ita volo.*

23. *venire* hic absque dubio tamquam disyllabum legendum. Nam versus debet esse par reliquis.

25. Vett. addunt *iam* ante *machaeram*, quod tamen in Pall. deest.

26. *quidem*, quod immerito omisit Goell., monosyllabum. Vide in indice *quidem correptum*, ubi innumera invenies exempla.

27. *electat*, i. e. eligit. Pall. *lectat*, V. C. *letat.* — Vulg. vett. et edd. *velit.* — De verbo *electare*, quod hic aperte frequentativum est verbi *eligere*, tenendum, idem alibi non ab *eligere*, sed ab *elicere* deducendum videri, ut Asin. 2, 2, 29. Merc. 1, 2, fin. Qui loci non confundendi sunt cum nostro.

28. Addidi *At*, quod fortasse exciderit propter nomen Astaphii.

29. Edd. *actum aliquid.*

30. Quid illic exiit ex utero? De v. *exitio*, *onis*, cf. Capt. 3, 3, 4.

32. Edd. *hic reliquit.*

34. *Nerienem*, uxorem Martis, de qua lege Gellium XIII, 22.

35. Eadem fere Dinarchus ad eandem II, 4, 34. Atque *quum* hic aeque atque illic est i. q. quod. V. ind. v. *gratulationis formula.*

36. Pro *dedisti*, quod omnes edd. habent, Both. e coni. *donasti.* Pall. *deristi*, ex quo Goellerus fecit *peperisti.* Quod probandum videtur.

40. Edd. *tibi obvenit istic labor.*

42. Edd. *opust tritici granariis.*

47. Edd. *S. petere tuum iub.*

Mé te amare: addúxi ancillas tíbi eccas ex Suriá duas;
Iís te dono. Addúce huc tu istas. Séd istae reginaé domi
Súae fuerunt ámbae; verum pátriam ego excidí manu.
Iís te dono. *Ph.* Poénitetne té, quot ancillae súnt ïam,
Quíne etiamnum súper adducas, quaé mihi comedínt cibum?
St. Hóc quidem si hercle ingrátum est: cedo tu mi ístam, puere, pérulam. —
Hém, mea voluptas, áttuli eccam páillam ex Panchaiá tibi.
Téne tibi. *Ph.* Hoccine mi ób labores tántos tantillúm dari?
St. Périi hercle miser! iám mihi auro cóntra constat filius;
Étiamnum me vílipendis? Púrpuram ex Sarrá tibi
Áttuli, et duas Pónto amoenas. Téne tibi, voluptás mea.
Áccipe hoc. — Abdúcite hasce hínc e conspectú Suras.
Écquid amas me? *Ph.* Níhil ecastor, néque meres. *St.* Nilne huíc sat est?
Né mihi verbúm quidem unum díxit! Vigintí minis
Vénire illaec pósse credo dóna, quae ei donó dedi.
Véhementer nunc mi ést irata; séntio atque intéllego;
Vérum adibo. — Quíd ais nunc tu? núm vis me, voluptás mea,
Quó vocatus sum, íre ad coenam? móx ad te huc cubitum ívero.
Quíd taces? — Planíssume edepol périi! Sed quid illúc boni est?
Quís is homo est, qui indúcit pompam tántam? Certum est, quó ferant,
Óbservare. Huic, crédo, fertur; vérum iam scibó magis.

---

49. *ex Suria*, i. Syria, unde plerumque ancillae advehebantur.

51. Vulg. *fuere*.

52. *Poenitetne* etc. Sensus: Anne tibi nondum satis videor habere domi ancillarum, quae mihi cibum comedant, ut etiam alias insuper adducas? Vett. *quod ancillas iam*. Vulg. *quot ancillae sunt iam*. Mss. *quod ancilla st iam*. V. C. *quod ancilla siam*. Both. *Poenitetne, quot tui ancillae sunt iam*.

53. Vett. *Quin etiam ne insuper add.* Vulg. *Quine etiam super add.* Pall. *etiam men super*. — Locum similem v. Ter. Eun. 5, 6, 12.

54. Vulg. *Hoc quidem hercle si ingratum est donum, cedo tu mihi istam, puere, perulam*. Item vett., omisso v. *perulam*.

55. Edd. *ex parva Graecia*. Dec. *ex pari grantibi*. V. C. *ex pari gra tibi*. Both. *ex Panchaia*, quae erat regio in Arabia felici. Goell. *pallam ex Graecia tibi*, quoniam palla sit vestimentum Graecum. Verum quomodo potuit dici palla ex Graecia adducta, quum res ipsis Athenis agatur? — Scaliger: *pallam exoticam tibi*, quod nimis foret commune.

57. *auro contra*, multum auri, cf. ind. v. *contra auro* et v. *aurichalco* c.

58. Edd. *vilipendit*. Cdd. *Etiamnum mali pendit*. Vett. *Addit purpuram, exorat tibi Attuli duas Ponto amoenas*. Vulg. *ad id, purp. ex Sara tibi Attuli, et induvias Ponto amoenas*. Both. *et duas Ponto amictus*. Goellerus autem: *et duas Ponto Amazonas*. Nam ancillas duas dedisse, patet ex II, 8, 3. Syras autem abduci iubet v. 60, quippe quae displicuerint Phronesio. Ergo ad *amoenas* suppl. *ancillas*, nisi malis etiam hoc ipsum ponere.

65. Edd. *Numne*.

66. Pro *mox* al. *nox*, h. e. noctu. Cf. Rud. 2, 4, 4.

68. In edd. deest *is*, quod addit Both. — Goell. *Quis est homo*.

ACTUS II. SCENA VII.

GETA. PHRONESIUM. STRATOPHANES.

Ge. Íte, ite hac simúl, muli aeris dámnigeruli, fórasgerones,
Bonórum hamaxagógae! Satine, quí amat, nequit, quin níhili sit
Atque ímprobis se ártibus expóliat?
Nam hóc qui sciám, ne quis íd quaerat éx me:
Domi ést, qui facít improbá facta amátor;
Qui bóna pro stercore habét; metuit
Públicos: mundíssumum fit. Púras sibi esse volt aédis:
Dómi quidquid habet, vérritur ἔξω. Quándoquidem ipsus pérditum se it,
Sécreto hercle équidem illum adiutábo, neque mea ílle quidem
Ópera unquam nihiló minus propere, quám potest, períbit.
Nám iam de hoc opsónio de mna úna deminuí modo
Quínque numos; míhi detraxi pártem Herculáneam.
Nam hóc adsimile est, quási de fluvio quí aquam derívát sibi:
Nísi derivetúr, tamen omnis éa aqua abeat ín mare.
Nam hóc in mare abit, misereque perit síne bona omni grátia. Haec
Quum vídeo fieri, súbfuror,
Suppílo, de praedá praedam
Capió.
Meretrícem ego item esse reór, mare ut est:
Quod dés, devorat, neque unquám abundat.
At hoc sáltem servat máre: quod illi subést, apparet; huíc des
Quantúmvis, nusquam appáret neque datóri neque acceptríci.
Velut méretrix meum herum míserum sua blandítia in pauperiem íntulit;
Privávit boním, luce, honóre atque amícis.
Áttat! eccam, adést propinque! Crédo audisse haec mé loqui.
Pállida est, ut pépeoit puerum. Ádloquar, quasi nésciam.
Iúbeo vos salvére. *Ph.* Noster Géta, quid agis? utí vales?

Act. II. Sc. VII. Geta, Dinarchi servus, adducit dona a Dinarcho, grata Phronesio. Zelotypus miles cum eo rixatur. Abit domum Geta.

1. Servavi vulgatam. *simul* i. q. una. *mulos* vocat servos, quos ducit, quique dona adportant ad Phronesium. Cf. v. 30. *aeris* i. e. qui aes, h. e. argentum ad Phronesium adgerunt, nimirum quinque minas. Cf. v. 29. — *damnigeruli* sunt, qui damnum, h. e. iacturam rei familiaris quam facit Dinarchus, ad Phronesium adgerunt. — *forasgerones*, qui bona foras gerunt.

2. *Satine*, i. e. Nonne.

3. Edd. *sese.* — Vett. *expoliet*, ab expoliare. Vulg. et Pall. *expoliat* ab *expolire.*

6. Edd. *qui bona sua pro stercore habet, foras iubet ferri; metuit p.* Sed verba: *foras iubet ferri* scholion sunt ad v. *stercore.* — *Publici* sunt magistratus, qui viis et aedibus curabant purificandis.

12. *Herculaneam*, i. e. decimam. Mina autem quinquaginta numos habebat. — Simile vide Bacch. 4, 3, 29 et Stich. 2, 2, 62.

15. Edd. *sine omni bona gratia.*

20. Hic quoque coni. *neque* integra elidenda, uti et v. 22. V. ind. Contra elisio omittenda in v. *unquam.*

21. *servat* puto esse pro *observat*, solet facere. — *apparet.* Cf. 1, 2, 59. *Illis perit quidquid datur, neque ipsis adparet quidquam.*

23. Edd. *intulit in pauperiem.*

26. *ut peperit*, h. e. postquam peperit. Most. 1, 3, 63. 111. Epid. 4, 2, 30. Men. 4, 2, 77.

Ge. Váleo et venio ad mínus valentem, et, mélius quí valeát, fero.
Hérus meus, ocellús tuus, ad te férre me haec iussít tibi
Dóna, quae vidés illos ferre, et hás quinque argentí minas.
Ph. Pol haúd perit, quod illum tántum amo.
Ge. Iússit oráre, ut haec gráta haberés tibi.
Ph. Grata aéquaque ecastór habeo.
Iube aúferri intro, í Cyame.
Écquid audítis haec, quaé imperáta sunt?
Ge. Vása nolo aúferant: désiccarí lubet.
Ph. Ímpudens mécastor, quáutum est negótii.
Ge. Túne ais me impudéntem esse, ipsa quaé sis stabulum flágitii?
Ph. Díc, amabo te, úbi est Dinarchus? *Ge*. Dómi. *Ph*. Dic, haec ob dóna, quae
Ád me misit, me íllum amare plúrimum hominum ómnium, [ergo]
Méque honorem ílli habere ómnium máxumum,
Átque, ut huc veniat,
Óbsecrare. *Ge*. Ílicet! Séd quis nam íllic homo est,
Qui ípsus se comest, trístis oculis [malis]? Ánimo hercle homo suo ést miser,
Quísquis est. *Ph*. Dignúst mecastor. *Ge*. Quíd est? *Ph*. Non novisti, óbsecro?
Qui íllic apud me erat, huíus pater pueri íllic est. Ad ientáculum
Iússit ali: mansi; aúscultavi; óbservavi. *Ge*. Pér nam quem
Nóvi, hominem nihilí, illic, quaeso, est? *Ph*. Íllic est. *Ge*. Me intuetúr gemens.
Tráxit ex íntumo véntre suspírium.
Hóc vide: déntibus fréndit; icít femur.
Num, óbsecro, nam háriolus, qui ípsus se vérberat?

27. Fortasse l. *Iubeo vos salvere. P. Salve, noster; quid agis? ut vales?*

28. *qui*, i. e. quo, cuius ope.

30. Edd. *quae illos ferre vides.* — *illos* monosyllabum.

33. Vett. *Grata acceptaque.*

34. *Cyame* vocativus est a nomin. *Cyamus*, quod est nomen unius ex Dinarchi servis, qui dona adferunt. Cf. IV, 1, 4.

35. Haec ad suas ipsius servas loquitur; quas iubet parere iussis Cyami, aperto testimonio, quanti faciat et Cyamum et eius herum Dinarchum.

36. Haec vett. sic: *G. ah nolo auferant. Desiccari lubet, imo pudet ecastor quantum est negotii. Tune ais impudent.* etc. Nostr. Vulg. atque in vasis est amphibolia, quippe quae dicuntur et genitalia. Cf. Poen. 4, 2, 40 et 41. — Pro *desiccari* al. l. *defricari*, collato loco Asin. 3, 3, 80 sq.

37. Vulg. *Impudens mecastor, quanti est negotii. Ge. Tun' bona fide, Tun' ais impud.* — *quantum est negotii* puto dictum pro: quantusquantus est.

39. Edd. *Dic, ob haec dona.*

40. Edd. *miserit — omnium hominum.*

41. Vulg. *Ergo meumque hon. illum hab. o. m.* Vett. *Unique honorem illi me habere o. m.* Nostr. Both.

44. Vett. *oculis, malis, tristis.*

46. Edd. *usque ad ient.*, h. e. pauca dedit, quibus aleretur puer; ego vero assiduo ei adfui. Seu puerum dicit, sive militem. — *Per nam quem;* construe: Numnam ille est, quem pernovi? Edd. *Quem pernam.* — V. C. *usque ad ectaculem.* Dec. *usque ad ectaculum.* Locus sine dubio corruptus, quem alii aliter emendare aggressi sunt. Goell. *Qui illic apud me erat, huiust pueri pater: usque abiectaculum Iussit ali.* Sast. *Mansi, auscultavi, observavi. Hem, perviamst. Novi hominem nihili. G. Illic quaeso est?* Verum magis consentaneum esse videtur, nihil hic loqui militem, donec v. 52 ira eius diu suppressa demum in verba erumpat.

48. Vulg. *intuetur.* Both. *intuitur.*

St. Núnc ego meos animós violentos méamque iram ex pectóre iam promam!
Lóquere: unde es? [quoius es?] cur aúsus inclementer mihi dicére? *Ge.* Lubido est.
St. Ístuccine mihí respondes?
Ge. Hóc: non ego te flóccifacio.
St. Quíd tu? cur ausa és alium te
Dícere hominem amáre? *Ph.* Lubitum est.
St. Áin' tandem? Istuc prímum experiar.
Tún' tantilli dóni causa, ólerum atque escarum ét poscarum,
Moéchum malacum, cíncinnatum, úmbraticolam, týpanotribam,
Ámas, hominem non naúci? *Ge.* Quae haec res? Méone hero tu, ímprobe,
Maledícere audes, fóns viti et periúrii?
St. Vérbum unum adde istóc: iam hercle ego te híc hac offatím conficiam!
Ge. Tánge modo: iam égo te hic agnum fáciam et medium dístruncabo!
Sí tu ad legioném bellator clúes: at ego Ares ín culina.
Ph. Si aéquom facias, ádventores méos non incusés mihi, quorum
Dóna accepta et gráta habeo, túaque ingrata, quae ábs te accepi.
St. Túnc pol ego et donís privatus sum ét perii! *Ge.* Plane ístuc est.
Ph. Quíd nunc ergo híc odiose es, ómnibus confessús reus?
St. Périi hercle hodie, ni húnc a te abigo! *Ge.* Accéde huc modo; adi húc modo!
St. Étiam, scelus virí, minitare? quém ego offatim iám iam iam
Cóncipilabo! Quíd tibi huc ventio ést? quid tibi hanc áditio est?
Quíd tibi hanc notio ést, [inquam,] amicam méam? Emoriere ócius,
Sí manu niceris! *Ge.* Quín manu nicerím? *St.* Fac, quod iussí: mane:
Iam égo te hic offatím conficiam! *Ge.* Óccidi! *St.* Optumum est. *Ge.* Cáptio est:
Istánc machaeram lóngiorem habés, quam haec est;
Sed síne verum dum pétere, si quidem bélligerandum est técum.
Íbo domum. Tecúm, bellator, árbitrum aequom céperim.
— Séd ego cesso hinc me ámoliri, véntre dum salvó licet?

---

53. *quoius es?* eiicienda.
57. Edd. *amare hominem.*
58. *istuc primum*, h. e. tecum primum expostulabo, Phronesium.
61. De voce *nauci* cf. ad V, 1, 2.
63. *hac* sc. machaera mea.
65. *ad legionem*, apud leg. V. ind. v. *ad.* — Vulg. *in culina Ares.*
66. *adventores*, advenas. Cf. Asin. 2, 2, 92. et supra I, 2, 2. Edd. *quorum mihi Dona.*
69. Edd. *confessus omnibus reus.*
74. *niceris.* Sic vulg. et vett. — Pall. *uiceris*, et *uicerim.* — Sequentia vitiosa sunt, nec sensus perspicue apparet.

ACTUS II. SCENA VIII.

PHRONESIUM. STRATOPHANES.

Ph. Date sóleas, atque me íntro actutum dúcite:
Nam míhi de vento míserae condoluít caput.
St. Quid míhi futurum est, cuí duae ancillaé dolent,
Quibus té donavi? — Iámne abisti? Hem, síc datur!
Quo pácto excludis? — Quaéso, potine plánius,
Quam exclúsus nunc sum? Púlcre ludificór! Sine!
Quantíllo mi opere núnc persuaderí potest,
Ut ego hís subfringam tálos totis aédibus!
Numquídpiam avarùm mútant mores múlierum?
Postquám filiolum péperit, animos sústulit.
Nunc quási mihi dicat: „Néc te iubeo, néc veto
Introíre in aedes.“ Át ego nolo! nón eo!
Ego fáxo dicat me ín diebus paúculis
Crudúm virum esse. Séquere me hac. Verbúm sat est.

ACTUS III. SCENA I.

STRABAX. ASTAPHIUM.

Str. Rus máne dudum hinc íre me iussít pater,
Ut búbus glandem prándio deprómerem.
Post íllue veni quam ádvenit, si dís placet,
Ad víllam, argentum méo qui debebát patri,
Qui ovis Tárentinas érat mercatus dé patre;

Act. II. Sc. VIII. Introit Phronesium. Conqueritur miles, et abit.

4. *sic datur!* solemnis formula, ubi quis triumphat de adversario vulnerato aut afflicto. Cf. Men. 4, 2, 46 et 70. Pseud. 1, 2, 23. Occurrit et *Sic dedero!* Asin. 2, 4, 33. Poen. 5, 5, 7 et *Sic dabo!* Ter. Phorm. 5, 9, 38. Nostrum: *So muſs man's machen! so ist's recht!* Apparet autem, hic ironice dici. Quamquam Bothius haec Phronesio tribuit.

5. *Quo pacto excludis?* i. e. cur me excludis? quo iure excludis? — *Quaeso, p. pl.* Haec non iam ad Phronesium, sed aut ad suum aliquem comitem, aut ad spectatores loquitur. Dictionem *potine planius?* vide supra 1, 2, 70.

6. *Sine!* est nostrum: *Warte nur! schon gut!*

8. Sensus: parum abest, quin ego has aedes totas evertam.

9. Sensus: num quidquam mutant mores mulierum ab avaritia? *avarum*, pro *avararum*. — *mutant* neutraliter. Aperte autem Pall. *avarum* et *mores*. Pro *mutant* tamen iidem *ut ad* aut *ut at*. Nostr. ex coniectura. Vulg. enim: *mutat*. Both. *Num quidpiam avarum mutat morem mulicrum?* Goell. *Num quidquam aliarum mutat mores mulierum?*

14. *crudum*, i. e. crudelem. — *Sequere me hac* ait servo alicui suo. — *Verbum*, i. e. verborum.

Act. III. Sc. I. Accedit Strabax cum viginti minis, quas patri suo abstulerat. Intromittitur.

1. *dudum* et hic, uti alibi, (v. Ind.) est: paulo ante: *Diesen Morgen nur hieſs mich* etc.

2. *glandem.* Nam et bubus glans dabatur. Cf. Cat. de re r. 54. 60 et Colum. VI, 3. XI, 2.

3. Construe: Postquam illuc veni, advenit etc. — *advenit* praesens, breveque legendum. — *si dis placet*, h. e. bona mea fortuna. Ceterum Lambinus sic interpretatur: rus veni, si diis placet, postquam advenit ad villam ille, qui etc. Bothius autem sic legit: *Post illo venio, quom advenit, si d. pl.* Goellerus: *Post illluc veni, quam advenit (sic Dis placet) Ad villam argentum meo q. d. p.*

Quaerít patrem; dico ésse in urbe; intérrogo,
Quid [eum] vélit; [homo] cruminam síbi de collo détrahit,
Minás viginti míhi dat; accipió lubens,
Condo ín crumenam; ílle abiit: ego pérperas [minas]
Oves ín crumena hác in urbem détuli.
Fuit édepol Mars meó periratús patri:
Nam óves illíus haud longe absunt á lupis.
Nunc égo istos mundulós urbanos amásios
Hoc íctu exponam atque ómnes eiiciám foras.
Erádicare èst certum cumprimís patrem;
Post id locorum mátrem. Nunc hodie ésseram
Argéntum ad hanc, quam máge amo quam matrém meam.
Tat, écquis est? nulla est! écquis hoc aperit óstium?
A. Quid istúc alienum ést, amabo, mí Strabax,
Qui nón extemplo íntres? anne opórtuit
Ita, té quidem qui es fámiliaris? *Str.* Íbitur:
Ne mé moruri cénseas. *A.* Lepidé facis.

---

5. Sic scandendum versum existimo, ut producatur prima in v. *Tarentinas*, quemadmodum et alibi prosodia in propriis mutatur; *oves* autem monosyllabum sit, uti et Bacch. 5, 2, 5 et 24, et ut alibi *aves*, *avus*, *avidus* et alia, in quibus *v* media. Cf. ad Aul. prol. 5. et Praefationem p. LI. — Quod qui statuere abhorruerit, legat cum Goellero: *Qui ovés Tarentínas;* in qua tamen scansione pariter vis adfertur verbo contrahendo, atque illic producendo. — Tarentinas oves lanasque laudasse antiquitatem, notissimum. Cf. Columell. 7, 2. Plin. 8, 48 et Hor. Od. 2, 6, 10 ubi quod laudatur *dulce pellitis ovibus Galaesi flumen*, prope Tarentum erat.

7. Quae inclusimus, in omnibus leguntur. Goell. *Quid cúm velit; homo cruménam collo détrahit.* Bothius autem sic: *Qui ovis mércatus Taréntinas; quaerit patrem; — Dico esse in urbe; interrogo, quid eum velit; Homo crumenam s. d. c. d.*

9. Vulg. *perperas minas;* et Decurt. *ego perpera minas.* Vett. *ego propere minas Ovis* etc. In V. C. deerant plane vv. *ego p. minas.* Sine dubio autem v. *minas* scholion est. *oves* enim hic pariter minae dicuntur, atque in Asinaria *asini*, III, 2, 44 et *boves* Pers. 2, 6, 16 sqq. *perperas* possunt esse stolidae, falsae, aut repentinae. Goell. *Condo in crumenam: ille ábit: ego properam minas Ovis in urbem in hac crumena detuli*, ut *properam* sit adv. uti *perperam*. Both. *ego propere minas Oves in hac cr. in u. d.* Nos damus vulgatam, unice omisso v. *minas.*

12. *lupis*, qui sunt Marti sacri. Cf. locum similem Poen. 3, 3, 32, qui fortasse ex nostro depromtus et ad huius exemplar fictus, sed inepte, quoniam nulla ibi addita ratio; quae hic aptissime reddita legitur.

13. *urbanos*, scurras intelligit, qui apud veteres in contemtu erant, uti ex multis Plauti locis perspicitur. Cf. *scurra* in Indice. — *amasios* ita legendum, ut priores duae syllabae contractim pronuncientur. Haud pauci enim loci in Plauto sunt, in quibus cum verbis *amo*, *amator* etc. ita agendum videtur. Cf. Curc. 1, 1, 38. Pseud. 1, 5, 1 et Indicem. Legito ergo: *'masios.* Alibi contra *amare*, *amator* produci diximus in Praef. p. LII.

14. *exponere* hic i. q. loco movere. Cf. Cas. 4, 4, 34. *Paene exposivit cubito.*

17. Edd. *ad hanc argentum.*

18. *Tat!* interiectio pulsantis, in Plauto ἅπαξ λεγ.

19. *alienum.* *Was ist das für eine seltsame Sache, dafs du nicht sogleich eintrittst?* — *qui* dictum putato pro *ut* aut *quod.*

20. Pro *intres* V. C. *ires.* Goellerus lectionem sic mutavit: *Quid istuc? es alienúsne, amabo, mi Strabax, Qui nón extemplo inieris?* Bothius: *Qui non extempulo ires?* Ego verum puto: *Quid istúc? alienusn' és, amabo, mi Strabax, Qui nón extemplo intro íres?*

ACTUS III. SCENA II.

STRATILAX. ASTAPHIUM.

S. Mirúm videtur, rúri herilem fílium
Strabácem non redísse, nisi si clánculum
Collápsus est hic ín corruptelám suam.
A. Iam pól illic me inclamábit, si adspéxerit.
S. Nimió minus saevos iám sum, Astaphium, quám fui;
Iám non sum truculéntus; noli métuere.
Quid vís? quid? *A.* Quid? tuam éxpeto truculéntiam.
S. Dic, ímpera mihi, quíd vis, et quo vís modo.
Novos ómnes mores hábeo; veteres pérdidi.
Vel amáre possum, vél iam scortum dúcere.
A. Lepidé mecastor núntias. Sed díc mihi,
Habén'? *S.* Parasitum té fortasse dícere.
A. Intéllexisti lépide, quid ego dícerem.
S. Heus tú, iam, postquam in úrbem crebro cómmeo,
Dicáx sum factus; iám sum caullatór probus.
A. Quid id ést, amabo? Istaécce ridiculária,

Act. III. Sc. II. Prodit Stratilax, miraturque herum suum minorem nondum ruri rediisse. Alloquitur ipse Astaphium, mitior iam, imo ad amorem paratus. Arrhabonem ei adeo dat, se hanc noctem esse ad illam venturum. Illa hortatur, statim ut introeat. At ille ait, se Strabacem velle opperiri. Eum illa ait iam intus esse. Ergo introit una.

3. *Collabi* pro simplici *labi*, idque i. q. *repere*, collabi autem i. q. *correpere*, quod v. Cic. ad Attic. X, 12. — *corruptela* est locus, ubi quis corrumpitur.

4. Sic edd. et vulg. — Both. *Iam illic pol inclamabit me, si adspexerit.* Goell. *Iam pol illic inclamabit, si me adspexerit.* Apparet, non esse opus ulla mutatione, siquidem hiatus et hic, uti ubique in Plauto, statuendus admittendusque erit; praesertim quum et liceat, si lubeat, legere: *sid adspexerit.* — Post hunc versum Bothius posuit eum, qui apud nos est 7. Itemque Goellerus.

6. Transposuit Goellerus, et mutavit: *Iam non truculentus sum; iam noli metuere.* Bothius autem: *Iam nenu sum tr.; noli m.* Neuter eorum vidit, facile versum stare, si *Iam* per diaeresin legatur.

7. Mpti: *Quid vis? A. qui tuam expector osculentiam.* Vulg. et vett. *Quid vis? A. quid? tuam expecto truculentiam.* Nostr. Bothius, qui et alterum *quid?* adiecit. Habet is tamen hunc versum statim post v. 4. uti et Goellerus, qui ita legit: *St. Quid vis? Ast. Quid? expecto tuam truculentiam.*

12. *Haben'?* Sic emendavit Lipsius. Nam Pall. vulg. et vett. *Habent?* Supplendum: *scortum.* Scortorum autem appellatione vocabantur parasiti, uti legitur explicitum Capt. 1, 1, 1—9. sine quo loco noster locus intelligi nequit. — *Parasitum te fortasse dicere*, h. e. intelligo te dicere parasitum, hoc est, scortum. Sic autem construuntur *fortasse*, *scilicet*, *videlicet*. Cf. Asin. 1, 1, 24. Poen. 5, 2, 44. Epid. 2, 2, 113. Merc. 4, 4, 42.

15. Libri et edd. omnes habent *cavillator*, quod ubi tamquam trisyllabum pronuncies, quasi *caullator*, uti solebant Romani tum facere in iis, quae *v* mediam habent, versus bene constabit. Obstat hoc, quod, quum solemnis fuerit istiusmodi pronunciatio, Astaphium tamen non perceperit sensum; quaerit enim, quid sibi velit cum hoc verbo, pariter atque infra in *rabone*, vs. 21. Ergo Bothius, Muretum secutus (Cf. Lips. Antt. lectt. 5, 7.) dedit: *villator*, hoc ut similiter hic, omissa prima syllaba *ca*, pro *cavillator* dixerit, atque Praenestini *conia* dixere pro *ciconia*, et ut ipse dicit *rabonem* pro *arrhabone*. At in hac lectione obstat v. 18, cuius tum aut ieiunus aut nullus erit sensus. Lego igitur: *caullator;* quod quoniam paullo magis rustice pronunciavit Stratilax, non statim percipit Astaphium, quo sensu dixerit. Eadem tamen, quoniam non omnino ab usu abhorrebat cavillatorem

Cavillátiones vís fortasse dícere.
S. Ita; út pauxillum dífferant a caúlulis.
A. Sequere íntro, amabo, méa voluptas. *S.* Téne tibi hoc;
Rabónem habeto, mécum ut hanc noctém sies.
A. Perií, rabonem? quam ésse dicam hanc béluam?
Quin tu árrhabonem dícis? *S.* Ar fació lucri,
Ut Praénestinis cónia est cicónia.
A. Sequere, óbsecro. *S.* Strabácem hic opperiár modo,
Si rúri veniat. *A.* Is quidem apud nos ést Strabax.
Modo rúre venit. *S.* Príusne, quam ad matrém suam?
Heu édepol hominem níhili! *A.* Iamne autem, út soles?
S. Imó nihil dico. *A.* I íntro, amabo! cédo manum!
S. Tene. — In tabernam dúcor devorsóriam,
Ubi mále accipiar méâ mihi pecúnia.

ACTUS IV. SCENA I.

DINARCHUS.

Néque gnatust, neque prógignetur, néque potest reperírier,
Cuí ego nunc aut díctum aut factum mélius quam Venerí velim.
Díi magni, ut égo sum laetus, ét laetitia dífferor!
Íta ad me magna núntiavit Cýamus hodie gaúdia:
Méa dona deamáta acceptaque hábita esse apud Phronésium.
Quum hóc iam volupe est, túm hoc nimio mágnae melliniaé mihi,
Mílitis odiósa ingrataque hábita. Totus gaúdeo!
Méa pila est: si répudiatur míles, mulier mécum erit.
Sálvos sum, quia péreo; si non péream, plane intérierim.

ita enunciari, mox colligit sensum, et de cavillationibus interpretatur.

18. Edd. *differat a cavillulis.* Mptl: *differat a cavillibus.* Dubio procul legendum aut *caulibus* aut *caululis*, quemadmodum diminutiva solebant adamare Romani. *Caules* autem vult verbum senare, ideo quia rusticus est, et quia rustici sua adamant et crebro in sermonibus adhibere solent. Cf. 2, 2, 22. Nobiscum fere, sensum quidem quod attinet, concinit Goellerus, nisi quod plene ille scribit: *cavillator* et *cavillibus;* perperam; nam ita neque illic a lectore perspicitur, quomodo non percipere potuerit Astaphium sensum verbi, nec hic, quid simul subintelligi velit Stratilax. Apparet igitur, utrumque scribendum esse, uti rusticus pronunciaverit.

22. *ar*, h. e. primam syllabam vocabuli *arrhabonem.*

25. *si ruri v.* i. e. q. *an ruri veniat.* Nam *si* crebro pro *an* in Plauto usurpatum. Cf. Cas. 3, 4, 1 et III, 2, 10. 12. Curc. 2, 3, 20. Merc. 1, 2, 47. Mil. 3, 1, 18. Most. 3, 2, 153. Pers. 5, 2, 49.

25. Edd. *apud nos est hic Strabax;* e quibus Goell. omittit v. *est.*

27. *Iamne.* Sic Both. secundum Acidalium. Nam edd. et cdd. *anne autem.* Cf. Aul. 5, 11. Bacch. 2, 2, 25.

Act. IV. Sc. I. Laetatur Dinarchus, sua dona accepta fuisse prae donis militis.

2. Sensus: cui ego magis bene velim, quam Veneri. — *aut* prius recte adiecit Both. Deest in libris.

3. Al. *ut ego laetus sum.*

4. *Cyamus*, servus ipsius Dinarchi. Pro quo Goell. dedit: *Geta meus*, ex Meursio. Verum omnes: *Cyamus.*

6. *melliniae*, i. e. dulcedini, voluptati.

8. *pila.* Metaphora a lusu pilarum depromta, qui lusus solemnis erat apud iuvenes Romanos. Cf. Curc. 2, 3, 17. — Vett. *Mea illa est.* Nostr. vulg.

9. *pereo*, i. e. quia perdo apud Astaphium rem meam familiarem. Cf. Asin. 1, 3, 80 et supra apud nos I, 1,

Núnc speculabor, quíd ibi agatur, quís eat intro, quí foras
Véniat; procul hinc óbservabo, méis quid fortunís fuat.
Quía nil habeo, unum ánimus monuit me: ómnia agam precário!

ACTUS IV. SCENA II.

ASTAPHIUM. DINARCHUS.

A. Lépide efficiam méum, hera, officium; víde intus modo ut tu
túom item efficias:
Ama, íd quod decét, rem tuam; ístum exináni.
Nunc dum ísti lubét, dum habet, [tempus] eí rei secúndes.
Próme [omnem] venustátem amanti túam, ut gaudía cómpares.
Ego híc interim hís restitríx praesidébo,
Istíc dum sic fáciat domum ád te exagógam;
Nec quémquam interim ístoc ad vós, qui sit ódio, in-
tromíttam. Tu pérge, ut lubét. Ludin' ístos?
Di. Qui est íste, heia, Astaphium, índica,
Qui périt? *A*. Amabo, hiccíne tu eras?
Di. Moléstusne súm? *A*. Nunc magís, quam fuísti:
Nam nísi qui usui ést nobis, nóbis moléstus.
Sed, óbsecro, da mi óperam, ut narrem, quaé volo.

36. — Pro vulg. *plane interean* vett. *plane exuriam*. V. C. *paneuriem*, Decurt. *paneurient*. Both. *plane interbitam*, cui metrum obstat. Nam syllaba *bi* in v. *bitere* semper producitur. Goell. *plane périerim*. Leg. *pl. interierim*.

11. Sic vulg. et cdd. Cf. ind. v. *fieri aliquo*. — Vett. *miles quid facturus fuat*.

12. Vulg. et vett. *unum animos movit mihi; omnia a. p.* Pall. *u. a. moui mihi commia agam pr.* Al. *unum animos monuit mihi*. Goell. *unum animus monuit me*, quod Lambinus scribit in libris se invenisse.

Act. IV. Sc. II. Dum Phronesium intus cum Strabace est, predit Astaphium ad praesidium agendum. Alloquitur eam Dinarchus, ac de rivali comperit. Vult ergo intre irrumpere; at non admittitur ab Astaphio. Introit Astaphium; Dinarchus queritur; advenit Callicles cum ancillis.

1. Intus adhuc loquitur Astaphium cum hera, quae iusserat eam excubias sibi agere ante fores. — *meum, hera*. Sic emendatum ab Guilelmo, quum cdd. habeant: *mea hera*. — Similia v. Bacch. 5, 2, 36. 37.

3. Pro *secundes* vett. *secunda*. Pall. *secundas*. Al. *ei obsecundes*, quod Both. et Goell. mire versu. — *ei rei*, sc. ut illum exinanias. *dum habet* sc. numos. Atque *habere* etiam absolute dicitur pro: divitem esse. Cf. Aul. 3, 6, 6 et ib. ad 2, 2, 8 not. *ei rei secundes* possit esse pro *ei rei obsecundes*, h. e. *ei rei studeas*, ut *tempus*, quod omnes libri habent, omittatur. Quod nisi volueris, omittendum erit *dum habet*.

4. Addidi *omnem*, facile elisum a praec. *prome*. — Pro *compares* Pall. *compereis*. Al. *cope is res*. Hinc Lamb. *Prome venustatem, amantiam, gaudia, copeis amores*. Al. *copeis res*.

5. Edd. *Ego interim hic restitrix his pr.* — *his*, sc. qui forte accedant, aut etiam Dinarcho cum suis.

6. Edd. *Iste*. — *domum ad te exdum egerat e domo sua ad te omnem rem suam familiarem*. Cf. II, 7, 2. 7. 8.

8. Vulg. et Pall. *ludin' istos?* sc. amatores tuos. Alii: *ludon' istos?* sc. Dinarchum et comites. Cf. Cas. 3, 5, 65. Dousa f.: *ludere istos*, ut cohaereant constructione cum *perge* praec. Ego et Pall. et vulg. tueor. *isti* autem sunt Strabax cum Strattilace et comitibus aliis.

10. *qui perit* sc. intus apud Phronesium. Perire autem est: sua prodigere.

12. Vulg. *Nam nisi qui nobis usui est*. Nostr. Both. atque prius *nobis* in fine corripitur, uti Bacch. 5, 2, 16. Poen. 1, 2, 12. Capt. 2, 1, 60. et uti *nobis* Rud. IV, 4, 92. certe potest.

Di. Nam quid ést? num mea refért? *A.* Non mu.
Sed íntus bolós quos dát!
Di. Quid? amátor novús quispiám?
A. Íntegrum et plénum adórta est thesaúrum.
Di. Quis est? *A.* Éloquar? sed tú taceto. Nóstin' tu hunc Strabácem?
Di. Quidni? *A.* Sólus summam habet híc apud nos. Núnc is fundust nóbis.
Animó bono male rém gerit. *Di.* Perít: perii hercle ego ídem.
A. Stúltus es, quí fácta infecta fácere verbis póstules.
Di. Thétis quoque etiam lámentando léssum fecit fílio.
Nón ego nunc íntro ád vos mittar? *A.* Quídum quam milés magis?
Di. Quía enim plus dedí. *A.* Plus enim es íntromissus, quúm dabas;
Síne, qui dant, ob íd, vicissim, quód dant, operis útier.
Lítteras didicísti; quando scís, sine alios díscere.
Di. Díscant, dum mihi cómmentari líceat, ni oblitús siem,

14. *Nam quid est?* i. e. Quidnam est? — non mu. Sic Guil. emend. et habet vulg.

15. *bolos quos dat!* sc. Phronesium. Bolos dare autem est i. q. defraudare, spoliare tamquam aleator eos, quibuscum ludit; nam bolus est iactus talorum, uti Curc. 5, 2, 13 et Rud. 2, 3, 30 coll. v. praec. *bolo tangere* pro: defraudare v. Poen. prol. 101 et Truc. argum. v. 3. *Bolos dare* v. Pers. 4, 4, 107. *dabit haec tibi grandes bolos*, h. e. felices illa iactus faciet, quorum tibi evenient fructus. Atque sic et h. l. *bolos dare* est i. q. iactus facere in alea, quibus vincitur et spoliatur aliquis. — Secus tamen, atque nos, Goellerus interpretatus est, qui *bolos dare* idem esse ait, quod: lucrum praebere; existimatque subiectum esse amatorem novum. Verum enim tum certo Dinarchus in seqq. non *Quid?* quaereret, sed *Quis? Quid* autem est: quid ais? et ad vv. *amator novus quispiam?* sine dubio supplenda *intus est*, non autem *bolos dat*.

20. V. C. *malem gerit.* Decurt. *male gerit*, omisso *rem*, quod addunt vulg. et vett. — In seqq. addidi *Perit*, facile elisum vel praec. *gerit*, vel subsequente *perii.* Perire autem est: sua perdere, decoquere. *animo bono* Lamb. int. fortiter, strenue perit.

21. *postulare* i. e. q. velle, cupere, existimare fieri posse. V. Ind.

22. *lessum*, i. e. cantum flebilem, naeniam. Supplendum autem: licet illa nihil eo profecerit. Sic autem vulg. et vett. — Pall. *lausum*, quod antiquitus idem fuisse aiunt, quod lessum. Both. et Goell. fecere: *pausam fecit f.* Ego versum Dinarcho tribuendum existimo. Nam in vulg. eidem tribuitur Astaphio.

23. *Quidum* etc. h. e. quo iure tu magis intromittaris quam miles?

25. Vulg. *Sine vicissim, qui dant operam, ob id, quod dant, operis utier.* Both. et Goell. *Sine vicissim, qui dant operam, ob id, quod dant, operam utier.* In qua emendatione primum metrum non bene habet; deinde insolita dictio de largiendo: *operam dare.* Sufficiunt enim: *qui dant*, nec de opera cogitandum. Atque sic vs. praec. *dedi* et *quum dabas.* Igitur transpositionem feci, deleto, uti iussit Lambinus, *operam.* Pro *operis* autem possis et scribere *operam*, (quemadmodum in quibusdam edd. vett. legitur,) non elisa finali syllaba. Verum illud codd.

26. Similis comparatio rei amatoriae cum ludo, in quo quis discit, legitur Asin. 1, 3, 73. 74. — *quando*, pro quandoquidem.

27. *commentari.* Sic vett. — Vulg. *argumentari.* Sed cf. v. 28. — V. C. *argentarilliccam.* Decurt. *argentari illic eam.* Nihil dubitandum, vett. bene habere. Nam ex v. *comentari* non intellecto facile factum *argumentari*, ex quo dein *argentari.* Commentari autem est: meminisse, *gedenken, sich erinnern;* de qua verbi significatione vide Poen. prol. v. 1. — *ni oblitus siem*, h. e. an non sim oblitus. Quemadmodum enim *si* in simili dictione est i. q. *an* (Cf. supra ad 3, 2, 25), ita *ni* i. q. an non. Patet igitur, editores male dedisse: *ne oblitus siem* ex Acidalii emendatione, ut sit i. q. oblitusne sim. Both. *Discant, dum mihi argutari liceat, ne*

Quód dedi. *A.* Intereá, magister, dúm tu commentábere,
Vólt illa itidem cómmentari. *Di.* Quíd? *A.* Rem accipere idéntidem.
Di. Dédi equidem hodié ei quinque argénti deferrí minas;
Praéterea unam in ópsonatum. *A.* Ídem istoc delatúm scio:
De éo nunc bene sumús tua virtute. *Di.* Ílline ut inimicí mei
Bóna istic comedant? Mórtuum hercle mé, quam id patiar, mávelim!
A. Stúltus es. *Di.* Quid est? *A.* Ópperire. *Di.* Quíd iam? *A.* Quia pol mávelim
Míhi inimicos ínvidere, quám med inimicís meis:
Nam ínvidere alií bene esse, tíbi male esse, míseria est.
Qui ínvident, egént: illi, quibus ínvidetur, rém tenent.
Di. Nón licet de opsónii mna mé participem fieri?
A. Sí volebas párticipari, auférres dimidiúm domum.
Nám itidem hic, ut Acherunti, rátio accepti scríbitur:
Íntro accipimus; quándo acceptum est, nón potest ferrí foras.
Béne vale. *Di.* Resíste! *A.* Amitte! síne! *Di.* Amitte intro. *A.* Ad té quidem.
Di. Ímo istuc ád vos. *A.* Iri nón potest. *Di.* Nimiúm potest.
Síne experiri. *A.* Imo ópperire: vís est, experírier.
Dícam adesse, ni óccupata est. *Di.* Hém! resiste. *A.* Frústra es.

oblitus siem. Goell. autem: *Discant, mihi dum argumentari liceat, oblitusne sim, Quod didici.* Quod non licuisse, profecto patet. Sensus est: Discant illi suo damno: mihi autem saltem liceat in memoriam revocare praeterita, ut videam, an non sim oblitus, (h. e. an sciam adhuc,) quae dederim Phronesio.

28. *quod dedi.* Sic vulg. — Contra Pall. *qui dedit.* Vett. et Lamb. *qui dedi.* Both. *quae didici.* Nostr. et Pareus. — *magistrum* vocat ideo, et quia omnino de literis discendis sermo est, et quia usus fuerat Dinarchus verbo: *commentari*, quod praeter illam, quae hic obtinet, significationem, etiam hanc habet, ut omnino studium literarum denotet. Sic enim apud Cic. de clar. or. c. 3. *cum literatis, exclusis omnibus, commentari.* et de Orat. 3,23. *Summa iam senectute est, et quotidie commentatur.*

33. Vulg. *Bona istic edant.* Both. *Bona edint istaec?* Mpti: *bona istic cedent.* Fortasse: *Bona istic comedant?* — Ad *bona* suppl. mea. *istic* i. e. q. illic apud Phron.

34. Hic versiculus in edd. legitur post vs. demum 37. Transposui; sic enim melius omnia cohaerent.

35. Aperto autem est argumento, nos recte transposuisse, quod hic quoque versus *Mavelim* habet in edd.

37. *rem habent.* Sic vulg. vett. et Pall.; quod si minus satis faciat, legito: *rem tenent.* Bothius: *ii rem habent.* Goellerus ante *rem* stellulam posuit, lacunae signo. Possit et hiatus hoc modo expleri: *remd habent.*

38. V. C. *non l. do obsoni me participem.* Decurt. *non l. de obsonii me participem fieri.* Vett. *de obsonio saltem me participem fieri*, uti et Lamb. — Vulg. *Non l. d. obsonii mna me participem fieri?* Goell. *Non licet de obsoni parte me p. f.?* Both. *de obsonio meo me.* Dubio procul optime omnium vulg. Atque de illa *obsonii mna* cf. II, 7, 11 et II, 4, 94.

39. Pall. *participari.* Vulg. *participare.* Cf. Lucr. III, 692. — *auferres*, debuisses auferre; auferendum tibi erat.

40. *Acherunti*, i. e. in Acherunte. Cf. Capt. 5, 4, 1. *ratio accepti scribitur*, perscribitur in ratione nostra id, quod nos accipimus; h. e. similiter nos accipimus ea, quae accipimus, atque accipit Acheruns.

42. *Omitte intro*, sc. me ad Phronesium.

44. *vis est.* Cf. infra 4, 3, 9. Capt. 3, 5, 92. Ter. Adelph. 5, 8, 20. Suet. Caes. 82. Praesens autem indicativi pro imperfecto subiunctivi: *vis esset*, uti statim vs. seq.

45. *Dicam adesse, ni occupata est,*

Di. Rédin', an non? *A.* Redeám; sed vocat me, quae ín me plus potest, quám potes.
Di. Éloquar uno vérbo: mittin' me íntro? *A.* Mendax és! abi!
Únum aiebas; séd tria dixti vérba, ac mendacia.
Di. Ábiit! intro hinc ívit! Ego ut haéc mihi patiar fíeri?
Iam hércle ego tibi, inlécebra, ludos fáciam clamore ín via,
Quae ádvorsum legem áccepisti a plúrimis pecúniam!
Iam hércle apud omnés magistratus fáxo erit nomén tuom;
Póstidea ego in te mánum iniiciam quádrupli, venéfica,
Súppostrix puerûm! Égo edepol iam túa probra aperibo ómnia. —
[Níhili me, qui pérdidi omne, quód fuit! fio ímpudens,
Néc mihi adest tantíllum pensi iám, quos capiam cálceos.]
Séd quid ego hic clamó? quid, si me iúbeat intromíttier?

i. e. dicerem herae, te adesse, nisi occupata illa esset. Iterum est pro esset, ut vs. superiore. — Vulg. *Resiste, hem! — Frustra es.* Sic Mpti. Nec mutandum, nec elidendum.

46. *redeam*, i. e. redirem, nisi me vocaret, quae plus te valet in me. Nam *redeam* pariter hic, ut supra *dicam* vs. 45.

47. Vulg. *Uno verbo eloquar.* Vett. *uno verbo eloquere*, uti Pall. Contextus praebet, unice sequendam esse vulgatam.

48. *mendacia*, quia non potest fieri, ut intromittare. — Vulg. *Unum aiebas, sed tria dixti verba, atque mendacia.* Pall. fere: *atque mendacia*, et ante: *sed stria iam dixti v.* Goellerus: *Un. aiebas: tria iam dixti verba, atque ea mendacia.* Both. *U. a.; tr. iam dixti verba, ac mendacia.* Statuendus hiatus.

49. *hinc ivit.* Sic vulg. — Pall. *incluit* et *induit*, quod utrumque ex *hinc ivit* prognatum esse patet. Goellerus tamen, Pareum secutus: *Abiit, intro hinc irruit;* quamquam Pareus omiserat *hinc*, quippe quod non legebatur in Pall. quoniam ibi ex eo ipso et ex *ivit* factum fuerat *incluit.* — Idem et reliquam partem versiculi sine necessitate mutavit.

50. Licebat per legem XII. tabularum iis, quibus iniuria facta erat, ubi testes adhibere non poterant, conviciis exagitare malefactores suos vel ante aedes, vel in foro. Eaque res appellabatur *vagulatio.* — Cf. Aul. 3, 2, 32. Eiusmodi vagulationem facit Danista Mostell. 3, 1, 42—77. et similes clamores Simoni opprobrat Ballio Pseud. 4, 7, 47. *Sed tu, bone vir, flagitare saepe clamore in foro, Quum libella nusquam est, nisi quid leno hic subvenit tibi.* Similes igitur hic clamores se ait facturum Pleusidippus Phronesio. — *tibi ludos faciam.* Distinguendum est inter: *ludos facere aliquem*, quod est i. q. ludificare aliquem, *Jemand zum Besten haben*, et inter: *ludos facere alicui*, quod est ludos facere in honorem alicuius. Hic igitur est i. q. male cum aliquo agere.

51. *a plurimis.* Mutavit Bothius codicum lectionem, scripsitque: *a pluribus.* Verum nostr. Goellerus.

52. *Hercle* ne elidatur. — Similia v. Asin. 1, 2, 5.

53. Vulg. et Mpti: *Post id.* — Vett. *Postidea ego in te.* In quibus vulg. omittit praep. *in.* Nostr. et Lambinus; atque *manum* plene legendum. Both. et Goell. *Post id ego manum te iniiciam quadr.*

54. *puerum*, puerorum.

55. Pall. *Nihil me perdidi omne.* Vulg. et vett. *Nihili me. perdidi omne.* Goell. *Nihili me! iam perdidi omne.* Both. *Nil mihi iam › perdidi omne.* Ego interim *qui* addidi, quod minus ieiunum videtur, quam illud *iam.* Ceterum spurios dico versiculos 55 et 56. Nihili enim sunt vv. *fio impudens*, et pariter nihili, quae sequuntur: *Nec — calceos*, e quibus incassum tentes sensum aliquem bonum constituere. Quae ineptiae tanto magis sunt eiiciendae, quanto melior, iis eiectis, contextus sensusque comparet. Atque de calceis nihil proficitur citato Gellio 13, 21 aut Ovid. A. A. I, 516 quos affert Goellerus. Denique certissimum argumentum, supposititia esse illa, adest in vv. *Sed quid ego hic clamo?* quae, sensum quod attinet, sequi egregie possunt post vs. 54; post vs. 56 non aeque, siquidem vss. 55 et 56 minime iam pertinent ad clamationem, quum in his ad sui contemplationem redeat Dinarchus, et vagulationem omittat.

Cónceptis, me nón facturum, vérbis iurem, si velit. —
Núgae sunt. Si stímules pugnis caédis, manibus plús dolet.
Dé nihilo nihil ést irasci; quaé te non flocci facit.
Séd quid hoc est? Proh di ímmortales, Cálliclem videó senem,
Méus qui adfinis fúit, ancillas dúas constrictas dúcere,
Álteram tonstrícem huius, álteram ancillám suam.
Pértimui! postquam úna cura cór meum movít modo,
Tímeo, ne malefácta antiqua méa sint inventa ómnia.

ACTUS IV. SCENA III.

CALLICLES. ANCILLA. TONSTRIX. DINARCHUS.

CA. Égone tibi male dícam, aut tibi adeo mále velim? Ut animús meust,
Própemodum expertae éstis, quam ego sim mítis tranquillúsque homo.
Rógitavi ego vos vérberantes átque pendentés simul:

59. *Nugae sunt*, sc. quae modo me facturum dixeram vs. 52 et 54.

60. Sic Pall. et vett. — Vulg. *De nihilo illi est irasci*. Both. *De nihilo est illi te irasci*. Goell. *De nihilo, nihil est irasci*. qui addit: „*De nihilo nihil* videtur dictum pro: plane nihil. Porro autem illud notissimum, pronomen solere omitti, etiamsi alio casu sequatur relativum,“ citatis locis Poen. 3, 1, 69. Pers. 2, 1, 12 et Men. 1, 1, 11. Atque verissimum, ad *irasci* supplendum esse *te*. Non autem alo suppleri *ei*. Illud autem prorsus nego, *de nihilo nihil esse* i. q. plane nihil. Atque ego quidem, qui numquam ambiguerim de loci sensu, ita interpretor: *nihil est*, h. e. nihil prodest, stultum est, incassum est. Cf. 4, 3, 77. et Indic. *de nihilo irasci*, h. e. te irasci de re, de qua iam nihil est agitandum amplius, in qua plane nihil ira tua proficiet. *quae te non flocci facit* dicta putato pro: *siquidem illa te non flocci facit*, uti et 4, 3, 79. Cf. Amph. 2, 2, 150. Mil. 1, 1, 66 etc. V. Ind.

62. Pall. *Meusque adfinis*, omisso *fuit*, quod addunt editt. quodque necessario addendum fuit. Inter quos enim desponsatio matrimonii causa facta erat, ii statim post desponsionem factam affines sese invicem vocare solebant. Sic Euclio Megadorum Aulul. 3, 4, 14. Despondisse autem Calliclem filiam suam olim Dinarcho, discimus ex IV, 3, 51. Sed eundem deinde alii eam spopondisse legimus IV, 3, 74 ubi item ille alius etiam adfinis dicitur. Patet igitur recte illud *fuit* addi; quemadmodum et cdd. antiquissimae habent. Sensus ergo verborum: qui mihi olim despondit suam filiam.

63. *tonstricem huius*, sc. Phronesii. Suram; de qua v. II, 4, 54.

64. *una cura*, sc. de Phronesio, ne incassum dederim, quae dedi, et ne plane ab ea abigar.

65. *timeo*, i. e. nunc timeo, ne etiam illud de filia Calliclis inveniatur. Id autem plurali eloquitur, tamquam collective, uti fieri solet in his huiusmodi rebus. — Pro *postquam* alii: *plus quam*. — Vett. *mea nunc inveniam omnia*. Nostr. vulg. — Cdd. *T. ne me malef. antiqua mea sine invenia omnia*.

Act. IV. Sc. III. Adducit Callicles ancillas, quas iam adegerat loris, ut verum faterentur. Ergo fatentur, puerum illum, qui suppositus fuerit Phronesio, esse filium filiae ipsius Calliclis, ex Dinarcho natum, cui olim ille filiam despondenderit. Dinarchus autem confitetur, se vino ebrium rem cum illa habuisse. Spondetur filia Dinarcho, qui ad Phronesium se confert, suum repetitum filium.

1. *Egone — velim*. Apparet, hace eum intus adhuc cum filia loqui. Reliqua enim ad ancillas.

3. Vulg. *Rogitavi ego vos verberantes et pendentes simul*. Vett. *Rogitavi ego vos verber anteis, has pendentes simul*. Bothius: *Rogitavin' ego vos pendentes verberans ambas simul*. Goellerus: *Rogitavi ego vos, verberones, ambas pendentes simul*. In codd. est: *verberantes has* (vel *bas*) *pendentes si-*

Cómmemini; quo quídque pacto sítis confessaé, scio.
Híc nunc volo scire eódem pacto: síne malo fateámini!
Quámquam vos colubríno ingenio ambae éstis, edicó prius,
Né duplices habeátis linguas, ne égo bilingues vós necem;
Nísi si ad tintinnáculos vos vóltis educí viros.
An. Vís subigit verúm fateri: ita lóra laedunt bráchia.
Ca. Át si verum mi éritis fassae, vínclis exsolvémini.
Di. Étiam nunc, quid sít negoti, fálsus incertúsque sum;
Nísi quia timeó tamen. *To.* Ego néc, quid peccaví, scio.
Ca. Omnium primúm diversae státe. Hem, sic! istúc volo,
Néve inter vos significetis: égo ero paries. Lóquere tu.
An. Quíd loquar? *Ca.* Quid púero factum est, méa quem peperit filia,
Méo nepote? Cápita rerum mi éxpedite. *An.* Istaé dedi.
Ca. Iám tace. — Accepístin' puerum tú ab hac? *To.* Accepí. *Ca.* Tace:
Níl moror praetérea: satis es fássa. *To.* Inficias nón eo.
Ca. Iám laevorem tûte scapulis ístoc concinnás tuis. —
Cónveniunt adhúc utriusque vérba. *Di.* Vae miseró mihi!
Méa nunc facinora áperiuntur, clám quae speraví fore.
Ca. Lóquere tu. Quis dáre te huic puerum iússit? *An.* Hera maiór mea.

mul. Verberones dici nequire puto feminas. Quodsi vulgata praevaluerit, patet *verberare* h. l. neutraliter seu passive poni, uti *vapulare.*

5. *sine malo*, sine verberibus, sine supplicio.

8. *tintinnaculi viri* sunt lorarii, qui tinniunt loris circa aures, aut fustibus similiter tundunt caput, atque aes tunditur ut tinniat. Vapulabat enim apprime caput apud veteres. Hinc Rud. 3, 6, 26, ubi de clavis sermo: *Illud quidem edepol tinnimentum est auribus.* — v. 9. Edd. *subegit.*

11. *falsus incertusque sum.* Classicus hic locus de significatione voc. *falsus*, qua sit i. q. errans, ignarus, incertus. Cf. Amph. 2, 2, 190. et Rud. 2, 3, 53, qui uterque locus ex hoc nostro est interpretandus.

12. *To.* i. e. Tonstrix ancilla, Sura.

14. *paries*, i. inter vos medius stabo.

15. *puero* ablativo dictum accipite, uti et vs. 25 et 26. interpretandumque: *de puero.* Cf. Mil. 4, 1, 26.

16. *nepoti.* Sic et cdd. omnes referunt, et edd., et habet Böth. et item Goellerus. Interpretantur tamen et Pareus et Lambinus ita ut dictum esse statuant pro *nepote.* Etenim ablativum esse oportere, omnes consentiunt. Atque sic sibi *Carthagini* legitur pro *Carthagine*, et *tempori* pro *tempore.* Ego tamen nullus dubito, factam hic esse mutationem terminationis, quoniam existimarint *puero* esse dativum. Ergo et huius et facilioris intellectus causa restituo, quod scripsisse poetam existimo: *nepote*, quo facilius perspiciatur, esse appositionem ad *puero*, quod praecessit. — *capita rerum m. e.* h. e. quam brevissime eloquimini summam rei.

18. Edd. *satis est fassa.*

19. Both. *Nam levorem* ex emend. Pistoris. Nam vulg. *Iam livorem* etc. quod interpretatur Lambinus: „fatendo verum livorem scapulis tuis deles.“ Pareus autem: „efficis, ut livor, verberibus excitatus, remedium inveniat, et quasi sanescat.“ Sine dubio falso, siquidem *concinnare* nihil aliud est quam *efficere.* Cf. Amph. 1, 3, 31. II, 2, 104. Rud. 1, 2, 8. et Ind. Patet igitur sensum loci ex vulg. lect. esse: *Iam tu hac re efficis, ut livor existat in scapulis tuis.* Promiserat autem supra vs. 10 vinclis eas exsolutum iri, si verum faterentur. Minime igitur concinit lectio vulgata cum cetero contextu et cum re ipsa. Legendum ergo duco: *Iam laevorem*, quam l. confirmare videtur V. C. qui habet *luorem*, ut pariter scriptum ibi fuisse suspicari possis *levorem* atque *livorem.* Decurt. habet *livorem.* Vulgatam retinuit Goellerus, nulla tamen interpretatione adiecta.

Ca. Quíd tu? cur eum áccepisti? *To.* Hera méa rogavit mé minor,
Púer ut afferrétur, eaque ut célarentur ómnia.
Ca. Lóquere tu. Quid éo fecisti púero? *To.* Ad meam heram détuli.
Ca. Quíd eo puero túa hera fecit? *To.* Hérae meae extempló dedit.
Ca. Cuí, malum, herae? *An.* Dúae sunt istae. *Ca.* Cáve tu, nisi quod té rogo,
Nisi éa, quae exquiro. *To.* Máter, inquam, filiae donó dedit.
Ca. Plús quam dudum lóquere. *To.* Plus tu rógitas. *Ca.* Responde ócius:
Quíd illa, cui donátust? Inque. *To.* Súpposivit. *Ca.* Cuí? *An.* Sibi
Pró filiolo. *Ca.* Pró filiolo? Di, óbsero vostrám fidem,
Út facilius ália, quam illa, unde ést, puerum alienúm parit!
Haéc labore aliéno puerum péperit sine dolóribus.
Púer quidem beátus: matres duás habet et aviás duas.
Iám metuo, patrés quot fuerint. Víde, sis, facinus múliebre!
An. Mágis pol haec malítia pertinet ád viros quam ad múlieres:
Vír illam, non muliér, praegnatem fécit. *Ca.* Item ego istúc scio.
Tú bona ei custós fuisti. *An.* Plús potest, qui plús valet.
Vír erat: plus valébat: vicit; quód petebat, ábstulit.
Ca. Ét tibi quidem hércle idem áttulit magnúm malum.
An. De ístoc ipsa, etsí tu taceas, reápse experta, intéllego.
Ca. Númquam te facere hódie quivi, ut, ís quis esset, díceres.
An. Tácui; at nunc non táceo, quando adést: necesse est, índicem.
Di. Lápideus sum: cómmovere mé miser non aúdeo.
Rés palam omnis ést! meo illic nunc fíunt capiti cómitia!
Méum illuc facinus, méa stultitia est! Tímeo, quam mox nóminer.
Ca. Lóquere, filiám meam quis íntegram stupráverit?
An. Vídeo ego te própter. *Ca.* Mala, quis ést? *An.* Patronus párieti!

22. Vett. *quis.* Vulg. et cdd. *qui.* — *hera maior m.*, videlicet ipsa Calliclis uxor.

23. *hera minor*, videlicet Phronesium.

25. *meam heram*, matrem Phronesii.

26. *herae meae*, Phronesio.

27. *Cave tu*, scil. dixeris. Ait nimirum suae ancillae.

28. *Nisi ea quae exquiro.* Sic vulg. et cdd. atque *Nisi* leg. *Ni* elidendumque.

29. *dudum*, i. e. paullo ante. Intellige autem: tum cum verberabaris intus pendens. Cf. v. 3.

30. quid illa? sc. puero fecit. — *Inque* addidit Bothius, ex lectione cdd. in versu 29, ubi illi habent: *Plus quam dudum inqua loquere.* — Goellerus: *Quid illa cui puer est donatus?*

48. Vulg. *Video ego te, propter male facta qui es patronus parieti.* quasi ad Dinarchum loquatur, isque patronus sit parieti, h. e. prae metu pariete nitatur, quasi qui velit eum fulcire, ne collabatur. Atque sic Pall. nisi quod illi: *mala facta qui est p. p.* Attamen ineptum est, ancillam hic alloqui Dinarchum. Contra consentaneum eam aenigmatice illum significare, adhibito verbo, quod possit ambigue sensu accipi. Igitur longe praeferenda videtur lectio vett. *An. Video ego te propter. Ca. Mala. qui est? An. Patronus parieti.* *te propter* ut sit pro: prope te adstantem, h. e. non longe hinc adstantem, videlicet Dinarchum. Id quoniam aenigmatice elocuta erat, *malam* vocat Callicles, h. e. astutam, versutam. Pergit autem illa aenigmatice: *patronus parieti* sc. est, h. e. fulcit parietem, quippe qui prae metu nitatur pariete. Atque sic interpretatur et Lambinus. Bothius Goellerusque vel-

Di. Néque vivus neque mórtuus sum, néque, quid nunc faciám, scio,
Néque, ut hinc abeam, néque, ut hunc adeam, scío! timore tórpeo!
Ca. Dícin', an non? *An.* Est Dinarchus, quoi íllam prius despónderas.
Ca. Úbi is homo est, quem dícis? *Di.* Adsum, Cállicles. Per tua óbsecro
Génua, ut tu istuc ínsipienter fáctum sapientér feras;
Mihique ignoscas, quód animi impos víni vitio fécerim.
Ca. Nón places: in mútum culpam cónfers, quod nequít loqui.
Nám vinum, si fábulari pósset, se defénderet.
Nón vinum hominibús moderari, séd homines vinó solent;
Quí quidem probí sunt; verum qui ímprobus, etsi aquám bibit,
Síve adeo carét temeto: támen ab ingenio ímprobust.
Di. Scío equidem, quae nólo, multa mi aúdienda obnóxia.
Égo me tibi obnóxium esse fáteor, culpae cómpotem.
An. Cállicles, vide quaéso, homini né facias iniúriam:
Réus solutus caúsam dicit; téstes vinctos áttines.
Ca. Sólvite istas. — Ágite, abite tú domum, et tu autém domum.
Éloquere haec heraé tuae: puerum réddat, si quis éum petat. —
Eámus, tu, in ius. *Di.* Quíd vis in ius me íre? Tu es praetór mihi.
Vérum te obsecro, út tuam gnatam dés mi uxorem, Cállicles.
Ca. Eúndem pol te iúdicasse quídem istanc rem intéllego:
Nam haúd mansisti, dum égo darem illam; túte sumsistí tibi.
Núnc habeas, ut náctus: verum hoc égo te multabó bolo;
Séx talenta mágna a dote démam pro ísta inscítia.

gatam habent. Pareus autem parietem de sene interpretatur. Cf. v. 14. Male, ut opinor.

50. Patet, *ut* dici pro *quomodo*.

51. Addidi *Est*, uti et fecit Goellerus. Nam Bothius sic: *Dicin', an non? dic! An. Dinarchus, quoi* etc.

57. Edd. *sed vino homines solent*. Pall. autem: *Non vinum moderari sed vim non solent*, aut *sed vim solent*. — Rem similem vide Aul. 4, 10, 19 sqq.

58. Vulg. *sive subbibit*, sc. vinum seu temetum. Atque sequens *sive* requirere videtur praecedens. Ceterum Decurt. *verum qui iam probus est si quam sibibit sive adeo caret te me tu tamen ab ingenio timidus est improbus*. Item V. C. nisi quod hic *temeto*. Bothius: *si aquam subbibit, Sive adeo scatet temeto*. Goellerus: *is quamvis bibit, Sive adeo caret temeto*. Magis consentaneum cum codd. habent vett. et Lambinus: *verum qui improbus est, aquam si bibit, Sive adeo caret temeto*. Ego verum puto: *qui improbus, etsi aquam bibit, Sive adeo c. t.*

60. *obnoxia*. Sic cdd. et edd. — At Both. et Goell. *ob noxiam* ex emendatione Palmerii Spicil. pag. 717. — *obnoxia* est hypallage, qua illud quod personae competit, rei tribuitur. Quales permutationes apud veteres crebrae. Vide me ad Lucanum IX, 656 et ib. in indice v. *hypallages exempla*. Nihil ergo mutandum, et confirmatur nostra l. et versu sequenti, ubi idem verbum repetitum legitur.

61. Vulg. *Ego tibi me obn.* — Nostr. vett. nec edd. *tibi*. — Both. Goell. cum vulg.

62. *homini ne f. i.* dictum puto pro: *ne cui forte f. i.*

65. *reddat*, supple: *ut reddat*. Hoc enim ipsum est mandatum illud, quod eam illi vult eloqui.

69. *mansisti*, haud exspectasti. Cf. Stich. I, 2, 1.

70. *bolo*, te affligam hoc damno, tamquam aleator iactu eum, quicum ludit. Nam bolus est iactus talorum. V. Ind.

Di. Béne agis mecum. *Ca.* Filium istinc túum te melinst répetere.
Céterum uxorém, quam primum pótest, abduce ex aédibus.
Égo adeo iam illí remittam núntium adfiní meo:
Dícam ut aliam cónditionem filio inveniát suo.
Di. Át ego ab hac puerúm reposcam, né mox inficiás eat —
Níhil est: nam ipsa haec últro, ut factum est, fécit omnem rém palam.
Séd nimium pol ópportune ecce áb sese egreditúr foras.
Nae ísta stimulum lóngum habet, quae usque illinc cor pungít meum.

ACTUS IV. SCENA IV.

PHRONESIUM. DINARCHUS. ASTAPHIUM.

Ph. Blítea et lutea est méretrix, nisi quae sápit in vino ad rém suam.
Si ália membra víno madeant, cór sit saltem sóbrium.
Nám mihi dividiae ést, tonstricem méam sic mulcatám male.
Éa dixit, eum ésse Dinarchi púerum inventum filium.
Úbi id audivi ..... *Di.* It, quám penes est mea ómnis res et liberi.

72. *meliust*, consultum est, bonum est aut erit. Nequaquam enim urgendus comparativus in ea dictione. Cf. Asin. 2, 1. 1. et Ind.

74. *affini*, videlicet patri eius, cui post Dinarchum desponsata fuerat filia Calliclis, postquam illi nuncium remiserat.

75. *aliam conditionem*, aliud matrimonium.

77. *Nihil est*, verum non opus est, sc. ut ego metuam, ne eat inficias. Nam ipsa mihi omnia confessa est. Cf. II, 4, 38 sqq.

79. Mirum, quod et sequentis scenae versiculus ultimus ab eodem principio orditur: *Nae istum* etc. Nostrum autem quidam editores olim Acidalium secuti translocaverunt post IV, 2, 64. Fortasse integer abiiciendus.

Act. IV. Sc. IV. Exit Phronesium. Repetit puerum Dinarchus. At illa eum ad tres adhuc dies ab illo petit ut sibi habere eum liceat, quo circumducat militem. Id ille concedit. Abit Dinarchus. Restat Phronesium. Advenit miles.

1. *Blitea*, h. e. insipida et inutilis, (ut int. Nonius,) a blito, herba nullius usus, quae commemoratur Pseud. 3, 2, 26 ubi est: *Adponunt rumicem, brassicam, betam, blitum.* Cf. Plin. H. N. 20, 93. *blitum iners, et sine sapore.* — *lutea*, i. e. luto vilior, luto nequior. — *in vino*, h. e. inter convivandum. Id ait, quoniam adest adhuc apud eam Strabax, ac nihil eo minus predit, visum de tonstrice male mulcata, quid rei sit.

2. *alia*, i. e. reliqua. *madere* solemne de ebrietate. Cf. Most. 1, 4, 18. Amph. 3, 4, 18. Asin. 5, 2, 9. Pseud. 5, 1, 7. et ib. 5, 2, 13.

3. *dividiae.* Cdd. *dividia'st.* Nostr. v. Cas. 2, 2, 11. Merc. 3, 4, 34. Stich. 1, 1, 19. Bacch. 4, 8, 110. *mihi dividiae est* nostrum: *es verdriefst mich.* — *tonstricem*, Suram nomine, de qua v. II, 4, 54.

4. *esse* monosyllabum: *ési' Dinarchi.* Legitur illud in vett. post *puerum*, apud Goell. statim post *Ea.* In vulg. plane desideratur. Habet Pareus, uti vett., nulla quidem adnotatione adiecta. Both. ante *puerum.*

5. Vulg. *Di. Ubi id audivit, quam penes* etc. Vett. *Ubi id audivit, quamquam penes est m.* ita ut haec omnia a vs. 1—6 tribuantur Phronesio. Alii hunc versum collocant post eum, qui apud nos est 11. Atque sic Goellerus. Optima est ratio Bothii, quem secutus sum. — *It*, i. e. accedit. *res* sc. familiaris. *liberi* plurali numero de uno etiam puero usurpatum v. Gell. 2, 13. Terent. Andr. V, 3, 20. et Hec. 2, 1, 15. Cic. Ep. ad Div. IV, 5.

Ph. Vídeo ego eum, qui mánstutorem méd adoptavít bonis?
Di. Múlier, assum. *Ph.* Is ést profecto. Quíd agitur, voluptás mea?
Di. Nón voluptas! aúfer nugas! níl ego nunc de ístác re ago.
Ph. Scío mecastor, quíd vis, et quid póstulas, et quíd petis.
Mé videre vís; me amare póstulas; puerúm petis.
Di. Di ímmortales, út planiloqua est! paúcis ut rem ipsam áttigit!
Ph. Scío equidem, sponsám tibi esse, et fílium ex sponsá tua,
Ét tibi uxorém ducendam iam ésse; alibi iam animúm tuom:
Út me quasi pro dérelicta sís habiturus. Séd tamen
Cógitato, mús pusillus quám sit sapiens béstia,
Aétatem qui uní cubili núnquam committít suam:
Quía, si unum ostium óbsidetur, áliud perfugiúm petit.
Di. Ótium ubi erit, de ístis rebus tum ámplius tecúm loquar;
Núnc puerum redde. *Ph.* Ímo amabo, ut hós dies aliquós sinas
Éum esse apud me. *Di.* Mínume. *Ph.* Amabo. *Di.* Quíd opus est? *Ph.* In rém meam est.
Tríduom hoc saltém, dum aliquo míles circumdúcitur.
Ín eam rem. Si quíd ego habebo, tíbi quoque etiam próderit.
Si aúfers puerum, a mílite omnis míhi spes animam effláverit.
Di. Fáctum cupio: nám re facere, sí velim, non ést locus.

6. *manstutorem med adoptavit b.* Sic vulg. et Pall. atque *manstutor*, quod *ἅπαξ λεγόμενον*, dictum esse potest pro manututor, h. e. qui manu tuetur aliquid. Quaedam tamen edd. vett. l. *suis tutorem*. Both. *Video eccum, qui amans tutorem med ad. b.* Goell. *Sed video eccum, qui tutorem suis me adoptavit bonis.* Ego interrogationem esse existimo. Ergo pro *Video eccum* scribo: *Video ego eum*, et in reliquis codicum lectionem servo.

7. Vulg. et vett. *Mulier assum. profectust.* Both. et Goell. cum quibusd. vett. *Mulier ad te sum profectus*, quasi longum itiner fecerit ad eam. Pall. *ad sum profectus est*, h. e. *assum. Profecto is est.* Lego itaque: *Mulier, assum.* *Ph.* *Is est profecto;* quae dictio in adventibus crebro a Nostro usurpatur. Cf. Bacch. 3, 6, 6. Epid. 4, 1, 16. 17. Most. 1, 3, 153 et 1, 4, 26. Pers. 1, 1, 15 et II, 2, 18. De v. *assum* v. Poen. 1, 2, 70.

9. Pall. habent *quid vis*, in reliquis tamen coniunctivos. Antiquissimae edd. et in his indicativos. Contra vulg. et vett. coniunctivos: *velis*, *postules*, *petas*. Atque Bothius indicativos habet. Goellerus coniunctivos.

10. Vulg. *et me te amare postulas.* Item vett. omisso *postulas*. Nostr. Both. — Goell. *Me videre et me te amare postulas. puerum petis.*

13. Sic vulg. et vett. — Goell. *ducendam iam, alibi iam esse animum tuum.*

15. Videlicet murem vult imitari Dinarchum, eo, ut sibi perfugium aliquod apud Phronesium recipiat, quo interdum se conferat, ubi noluerit cum uxore esse.

16. *aetatem*, vitam suam.

17. Edd. *obsideatur.* V. C. *Quia si unum odium obsidiator.* Decurt. *quasi unum obsidiator*, absque ostium. et uterque: *alium perfugium gerit.* Lamb. *perfugium erit.* Ac sane *perfugium gerere* vix ferri posse videtur. Scripsi igitur, quemadmodum scribendum iam existimavit Bothius: *aliud perfugium petit.*

20. *Quid opus est*, h. e. ad quamnam rem illud opus est? Sic vulg. et Pall. Goell. *Iam quid opust?* Both. *Quid id opust?*

21. *aliquo*, h. e. dum aliquod donum a milite abstulero.

22. *In eam rem* sc. volo te mihi commodare puerum. — In seqq. addidi *ego*, quod deest in libris. — *habebo*, abstulero ab milite.

23. Edd. *Si auferes p.* — *spes animam efflaverit*, h. e. spes occiderit, interierit. Spes enim tamquam viva persona cogitatur.

24. *Factum cupio*, sc. ut aliquid a milite nanciscaris. Nam ipse ego rem tibi praebere iam non possum. *si velim*, si vel maxime cupiam.

Núnc puero utere, ét procura, quía, unde procurés, habes.
Ph. Múltum amo te ob istam rém mecastor. Úbi domi metués malum,
Fúgito huc ad me. Sáltem amicus mi ésto manubiárius.
Di. Béne vale, Phronésium. *Ph.* Iam mé tuum oculum nón vocas?
Di. Íd quoque interím futatim nómen commemorábitur.
Ph. Númquid vis? *Di.* Fac váleas: operae mi úbi erit, ad te vénero.
Ph. Ílle quidem hinc abiít, abscessit: dícere hic quidvís licet.
Vérum est verbum, quód memoratur: Úbi amici, ibi súnt opes.
Própter hunc spes étiam est, hodie táctum iri mílitem;
Quém ego ecastor máge amo quam me, — dum íd, quod cupio, inde aúfero:
Quía, quom multum abstúlimus, multum haúd apparet, quód datum est.
Íta sunt gloriaé meretricum. *A.* Áha, tace! *Ph.* Quid est, óbsecro?
A. Páter adest puerí. *Ph.* Sine eumpse adíre huc! sine, si is ést modo,
Síne eum ipsum adíre, ut cupit, ad me hác recta. Si vénerit,
Nae ístum ecastor hódie astutis cónfexim falláciis.

---

25. *procura* sc. puerum, *pflege sein.* — *unde procures, habes*, h. e. habes pecuniam, de qua sumtum facere possis, quo puerum procures.

27. *manubiarius*, h. e. cuius ope et auxilio manubias interdum possim facere, h. e. fraudare alios et depraedari.

29. *futatim* explicant: profuse. Alii existimant esse i. q. saepius. Descendere credendum ab *futare*, a que con*futare* compositum, et *refutare*. Alii maluere *fututim*, uti Palmer. spicil. p. 711. Alii *furatim*, uti Lamb., pro *furtim*. Nostr. Both. — Goell. *furatim*.

30. Sic vulg. nisi quod: *operae ubi mihi erit*. At vett. et Pall. *Facultas operae ubi mihi erit*. Atque sic Both. Nostr. Goell.

32. Vulg. et Pall. *ibidem opus*. Vett. *ibidem sunt opes*. Both. *ubi am.*, *ibidem opes*. Goell. *ubi amici, esse ibidem opus*. — Ex nostra l. non elidendum *ubi*.

33. Pall. *hodie tantum rim militem*. Vulg. *Propter hunc spes etiam, se hodie ** ri militem*. vett. *Pr. h. sp. etiam se hodie tam interit in militem*. Nostr. Both. ex emendatione Pelili. Goell. *tactum re iri militem*. Lambinus vero: *Propter hunc saepe etiam se hodie excludi vidit militem*. Idem in aliis sic legi scribit: *Pr. h. spes etiam hodie exaudivit militem*. in aliis: *Pr. h. spes etiam se hodie in militem*. in aliis: *Pr. h. spes etiam se hodie iam interit in militem*.

34. *Quem*, Dinarchumne, an militem dicat, in incerto relictum videtur. Atque Lambinus putat Dinarchum. Mihi miles intelligendus videtur, dum oratio quadamtenus ironice accipiatur. Nam in fine fabulae miles intromittitur a Phronesio, illique ibi prae Strabace locus conceditur.

35. Edd. *Quae cum multum abstulimus, haud multum adparet*. uti fere Pall. — Both. *haud adparet multum*.

37. *Pater* non legitur in Pall. vulg. vett. Addidit Both. sic: *Pueri pater adest*. Goell. uti nos.

39. Edd. et Pall. *confectum*.

ACTUS V.

STRATOPHANES. ASTAPHIUM. PHRONESIUM. STRABAX.

Str. Éo mi amare: féro supplicium dámnis ad amicám meam!
Út illud acceptúm sit, prius quod pérdidi, hoc addam ínsuper.
Séd quid? video heram átque ancillam ante aédes: adeunda haéc mihi est.
Quíd hic vos agitis? *Ph.* Né me adpella. *Str.* Nímium saevis. *Ph.* Síc sine.
Pótin' es, ut mihi né molestus sís? *Str.* Quid, Astaphilítium, est?
A. Mérito ecastor tíbi succenset. *Ph.* Égon'? Atque isti etiám parum
Mále volo. *Str.* Ego, méa voluptas, sí quid peccaví prius,
Súpplicium ad te hanc mnám fero auri. Sí mihi rides, réspice.
Ph. Mánus vetat, priusquám penes sese hábeat, quidquam crédere.
Púero opust cibum! ópus est matri aútem, quae puerúm lavit;
Ópus nutrici autem, útrem ut habeat véteris vini lárgiter:
Út dies noctésque potet; ópust igne; opust carbónibus;
Fásciis opus ést, pulvinis, cúnis, incunábulis;
Óleum opust; farína puero ópus est; opust totúm diem;
Núnquam hoc uno die éfficiatur ópus, quin opus sempér siet:

Act. V. Adfert nova dona miles. Quibus acceptis, nihilominus tamen pergit ei adversari Phronesium, nisi plura dederit. Egreditur Strabax a Phronesio. Huic Phronesium blanditur coram milite. Hinc inter utrumque rixae oriuntur et contentio de amore Phronesii, donis dandis. Quibus quoniam vincitur demum Strabax, Phronesium militem intromittit, et Strabacem consolatur.

1. Vulg. et Both. *Eo mihi amare: fero suppl.* etc. atque sic indubitate habent Pall. sensusque dictionis: *confero me ad Phronesium amandi causa;* ut illud *mihi* pleonastice sit adiectum, uti alibi etiam fit in dat. pron. personalis. V. Mil. 1, 1, 5. Amph. 1, 1, 116. Capt. prol. 5. 46. 50. Poen. prol. 97. Infinitivus autem, scopum aut finem significans, ad verba eundi frequens adiectus reperitur. Vid. ind. s. v. Infinitivus cum verbis eundi. — Quam tamen varie acceperint locum interpretes, exemplo est nota Parei, qui hunc videtur existimasse sensum esse: *En, hoc est amare!* sive: *Sic mihi eo amare!*, simul ut paronomasiam crederet subesse verbo *amare*, ut et subaudiretur *amare* ab *amarus*, et *a mare*, ut Mil. 4, 7, 26. — Quae et lectio et significatio quoniam minus visa est consentanea esse, alii praeterea eam, quae teste Lambino pariter nitt videtur antiquis libris: *Meo mihi more fero suppl.* etc. Alii: *Eu mihi, amare!* Goellerus: *Meo mihi amore fero supplicium iam bis ad amicam meam.* Ego interim l. Pall. tueor, et ita simpliciter interpretor, uti dixi. — *supplicium*, sc. quo pacem leniamque illam. — *damnis*, h. e. impensis meis.

2. Pall. *Ut illud acceptum sit.* Edd. *Utut illud acceptum sit.* Lamb. *Illud ut acceptum sit.* Both. *Utut illud acc. est.* Goell. *Utut illud acceptumst.* Ego Pall. servo; nam primum nihil impedit, quin *acceptum* accipiatur pro *gratum;* dein vero, ubi nolis sic accipi, *ut* pro *utut* dici posse ne dubitato. Cf. Ter. Phorm. 5, 4, 1. Malim tamen sic: quo gratiora sint apud Phronesium ea quae prius dedi, haec iam insuper addam.

4. Postremum *sine* non legitur in Pall. Habent vulg. et vett.

5. Edd. *ut mihi molestus ne sies.*

8. Pall. *auri si mihi ridespice.* vett. *si mihi rides, spice*, uti Both. — Vulg. *si mihi rides, espice.* Goell. *nisi mihi credis, respice.* Lamb. *si mihi rides: spece.* Adversa adstat Phronesium, neque adspicit militem; ergo petit ab ea, ut respiciat, h. e. se adspiciat, quemadmodum saepe fit in Plauto, et ut statim infra v. 17. Cf. Epid. 1, 1, 3. Cas. 3, 5, 12. Capt. 4, 2, 55.

15. *hoc opus*, videlicet nutritio pueri.

Nón enim possunt militares púeri setano edúcier.
Str. Réspice [ergo]: accipe hóc, quí istuc exéfficias opús. *Ph.* Cedo,
Quámquam parum est. *Str.* Áddo minam adhuc ístuc postideá.
Ph. Parum est.
Str. Túo arbitratu, quód iubebis, dábitur. Da nunc sávium.
Ph. Mítte me, inquam! odiósus! *Str.* Nihil fit; nón amor; teritúr dies.
Plús decem pondo amóris causa paúxillisper pérdidi!
Ph. Áccipe hoc atque aúferto intro. *Sr.* Úbi mea amica est géntium?
Néque ruri, neque hic óperis quidquam fácto; corrumpór situ:
Íta miser cubándo in lecto hic éxspectando obdúrui.
Séd eccam video. Heús, amica, quíd agis? *Str.* Quis illic ést homo?
Ph. Quém ego mecastór magis amo, quám te. *Str.* Quam me? quómodo?
Ph. Hóc modo, ut moléstus ne sis. *Str.* Iám abis, postquam aúrum habes?
Ph. Cóndidi intro, quód dedisti. *Sr.* Ádes amica: te ádloquor.
Ph. Át ego ad te ibam. *Sr.* Ad mé, delicia? *Ph.* Hércle vero sério.
Sr. Quámquam ego tibi vídeor stultus, gaúdere aliqui mé volo.
Nám quamquam bella és, malo tuo es, nísi tecum aliqui gaúdeo.

16. Vulg. *setanio.* Vett. *et a via.* Pall. *etauio exducier.* Vaticc. *puere etanio.* Setanium est genus mespili, possitque denotare cibi genus vilius. Fortasse autem poeta breviorem dederit formam: *setano.* Goell. *Enim non possunt militares pueri, ut alii, educier.* Lambinus int. in notis: „non enim possunt militum filii cepis vivere. setania cepae genus est. Plin. 19, 6. nonnulli legunt *setanio.* setanius autem panis purus et cribro purgatus." Ceterum *setanium* proprie producitur, quippe a σήθω deductum.

17. Vett. *exefficias*, uti Pall. — Vulg. *efficias.* Illud possit esse: perfecte efficias. — *ergo* corripiendum, uti Mil. 4, 2, 18. Pers. 4, 4, 63. Poen. 4, 2, 59.

18. Edd. *postea.* — Cdd. *ad omne e manuc istic poste paruet.* Decurt. *ad omne manu istic poste paruet.* Nostr. vulg. et vett. nisi quod hae *istic.*

19. Edd. *id dabitur.*

20. *odiosus* sc. es.

21. Addendum hic necessario fuit *causa*, quod nullibi in cdd. legitur. Nam *decem* monosyllabum est, uti et Curc. 2, 3, 65. Merc. 5, 2, 4. et uti pariter *decet*, *decere* pronunciantur, v. c. Rud. 1, 2, 24. Capt. 2, 2, 71. — *pauxillisper*, per particulas.

22. *Accipe hoc*, ait alicui ancillae suae. — *Strabax* prodit foras a Phronesio, quaerens Phronesium, quae eum solum reliquerat in cubiculo.

27. *abis* sc. a me, me relinquis. Pro *Iam* Both. et Goell. *Iamne.* At versus etiam stabit nulla mutatione, si nimirum omittas elisionem in v. *postquam*, aut *Iam* legas *Iamde* antiquo more.

28. *intro*, sc. in tuto, ut iam recipi a datore nequeat. Huc conferendus est locus IV, 2, 41 ubi Astaphium: *Intro accipimus; quando acceptum est, non potest ferri foras.*

29. *ad te ibam*, in eo eram, ut ad te irem. *delicia* sing. ut rarum hic dici adnotat Nonius. — *Hercle.* Iterum hic, uti supra iam, per Herculem a femina iuratur, quum feminae numquam per Herculem solitae sint, sed per Castorem aut Pollucem. *vero serio* coniunctim i. e. q. *in allem Ernste*, *in Wahrheit*, *in der That.* Leguntur et separata, ut II, 2, 47. Merc. 4, 1, 19.

30. *tibi videor stultus*, i. e. rusticus paulo et alienus ab cultu urbano. *gaudere aliqui*, volo tamen frui aliquo modo deliciis urbanis.

31. Vulg. *Nam quamquam es bella, malo tuo es, nisi tuo ego aliqui gaudeo.* Vett. *malo tuo nisi tecum aliqui gaudeo.* Pall. *nam quamquam est bella*

PH. Vín' ted amplectár, et savium dém? *ST.* Quidvis face, gaúdeam.
STR. Meósne ante oculos égo illam patiar álios amplexárier?
Mórtuum hercle me ésse satius. Ábstine hoc, muliér, manum,
Nisi si te mea mánubia machaéra et hunc vis émori.
PH. Nil φλυαρεῖν sátiust, miles. Sí te amari póstulas,
Aúro, haud ferro, déterrere pótes, ne me amet, Strátophanes.
STR. Quí, malum, bella aút faceta es, quaé ames hominem istíusmodi?
PH. Vénitne in mentem tíbi, quod verbum in cávea dixit hístrio?
„Ómnes homines ád suum quaestum cállent, nec fastídiunt.“
STR. Húnccine hominem te ámplexari, tam hórridum atque squálidum?
PH. Quámquam hic horridus, quámquam hic squalidus ést: at est bellús mihi.
STR. Dédin' ego aurum? *PH.* Míhi? Dedisti filio cibária.
ST. Núnc, si hanc tecum ésse speras, ália opust aurí mina.
STR. Málam rem his, et magnám! *ST.* Magno opere sérva tibi viáticum.
STR. Quíd ista debet tíbi? *ST.* Tria. *STR.* Quaenam? *ST.* Unguénta, noctem, sávium.
PH. Pár pari respóndet. — Verum núnc saltem, si amás, mihi
Dá tu de tuís deliciis súmmis quid pauxíllulum.
STR. Quíd id? *PH.* Abi! *STR.* Amábo, quid dem? Dícdum. Si superét, feres.

malo tuo nisi tu ego al. g. Lambinus: *Nequicquam es bella, malo tuo nisi simitu ego aliqui gaudeo.* Bothius vulgatam habet, nisi quod: *nisi te ego aliqui gaudeo.* Goellerus autem vulg. sine mutatione. — *malo tuo es*, nihil proficis cum pulcritudine tua. — *nisi t. a. g.*, nisi tecum ego gaudeo, tibique sumtum praebeo.

34. Vulg. *me duco satius.* Vett. *me esse satius.* Mss. *medio satius.* Both. et Goell. *me aio satius.* — *satius* i. q. satius est.

35. Sic vulg. — Vett. *Nisi si te mea manu vis in machaera et hunc mori.* Both. *Nisi si te manu mea in machaera et hunc vis emori.* Goell. *Nisi mea manu vis in machaera te et hunc emori.* Pall. *manu ui in macera et hunc vis emori.* Decurt. *manu ui macera.* Quia autem reponit Phronesium adhibito verbo graeco, conlici potest, et hic lectum fuisse Graeci aliquid, quale: βίᾳ et μαχαίρᾳ. Notaque gr. dictio: ἐν μαχαίρᾳ θνήσκειν, per gladium in proelio occidi.

37. Vulg. omittit *me.* Vett. *deterrere potes me, amet Str.* Nomen autem *Stratophanes* vocativo casu positum.

38. Vett. *istiusmodi.* Vulg. *istimodi,* quod non videtur sufficere metro.

40. Vulg. et vett. *callent et fastidiunt.* Lamb. *callent et satis vident.* Nostr. Both.

42. Vulg. *Quamquam hic horridust, quamquam hic squalidust, scitus bellum init.* Vett. *at est bellus mihi.* Pall. *Quamquam hic quali est, quam hic horridus citus bellum hi.*

45. *viaticum*, sc. quo eas in malam rem.

46. Qui sequitur locus usque ad v. 54, valde corruptus legitur in libris. — Vulg. et vett. *Quid ista debet, nisi tria? ST. quae tria nam? STR. ung., n., s.* V. C. *isti debe isi tria que.* Goell. *Quid isti debes? ST. Tria. STR. Quae tria nam?* Nostr. Both. Cf. Most. 3, 1, 86. Pseud. 4, 7, 39.

47. Vett. haec sic: *PH. Par pari respondet. verum nunc saltem si amas ** Da mihi de tuis deliciis summis quidquid pauxillulum. — ST. Quid ita? PH. Ab avo est, quod idem dictum superfert, — Campas dicit ab avi consultavi istuc. — MIL. Mi homo — Cave faxis volnus, tibi iam cui sunt dentes ferrei. Vulg. ad se o.* etc. ut fere Decurt.

48. *Da tu*, sc. miles.

Ph. Κάμπας dicis. — Ábi, abi! *Str.* Consultávi istuc mihi. Mí homo,
Cáve, sis, faxit vúlnus tibi iam, cuí sunt dentes férrei.
Vúlgo ad se omnes íntromittit. Ábstine istac, tú, manum!
St. Iam hércle cum magnó malo tu vápula, vir strénuus!
Str. Dédi ego huic aurum. *St.* Át ego argentum. *Str.* Át ego pallam et púrpuram.
St. Át ego oves et lánam; et alia múlta, quae poscét, dabo.
Mélius, te minís certare mécum, quam mináciis.
Ph. Lépidus's ecastór mortalis, mí Strabax. Perge, obsecro! —
Stúltus atque insánus damnis cértant; nos salvaé sumus.
Str. Áge, prior, tiro, áliquid da! *St.* Imo tú prior perde ét peri!
Str. Hém tibi taléntum argentí! Philippicum est. Téne tibi.
Ph. Tánto melior! Nóster esto; séd de vostro vívito.
Str. Úbi est, quod tu das? Sólve zonam. *Ph.* Próvocatur! *Str.* Quíd times?
St. Tú peregrinus; híc ego habito. Tímeo. — *Str.* Non ego. Ámbula.
St. Pécua ad hanc collo ín crumena ego óbligata défero.
Str. Quía dedi, ut distrínxi hominem! *St.* Ímo ego vero, quí dabo.
Ph. Í nunc intro, amábo, et tu ergo hac mécum. *Str.* Tu eris mecúm quidem.
St. Quíd tu? *Str.* Quid? *St.* Quid áis? cum hoccine? égo posterior? *Str.* Égo dedi.
Ph. Tú dedisti; hic iám daturust: ístuc habeo; hoc éxpeto.
Vérum utrique mós geratur ámborum ex senténtia.
St. Fíat. Ut rem gnátam video: hoc áccipiundum est, quód datur.
Str. Méum quidem te léctum certe óccupare nón sinam.
Ph. Lépide ecastor aúcupavi atque éx mea senténtia,
Meámque ut rem bene géstam video, vóstram rursus béne geram:
Réamabo. Si quíd animatus's fácere, fac sis iam úti sciam.
Véneris causa applaúdite: eius haec ín tutela est fábula.
Spéctatores, béne valete, plaúdite atque exsúrgite.

49. Vulg. *Quid id, ai, amabo, est, quod dem?* Nostr. e coni. Cf. v. 50.

50. *κάμπας*, ambages. — *consultavi*, sc. ut abirem.

51. *cui sunt dentes ferrei*, videlicet Phronesio, quae instar est ferae. Videtur igitur velle suadere Strabaci, ut relinquat Phronesium. Simul tamen et potest subintelligere machaeram suam.

53. Vulg. omittit *malo*. Addidit Both.

59. Edd. *da aliquid*. — *perde*, impende.

62. Vett. *sonam*. Vulg. et Pall. *zonae*.

63. Vulg. *Tu peregr., hic habito: timeo meos. non ego ambulo.*

65. Edd. *Qui dedi.*

66. Haec iam ad Stratophanem, utrumque intromissura.

67. Vulg. *Quid tu? quid ais? cum hoccine? St. ego posterior dedi.* Nostr. e coni.

73. *video*, quod non legitur in libris, addidit Both.

74. Scripsi: *Reamabo.* Vulg. *Verum amabo.* Both. *Re amabo* divisim. — *Si quid* etc. Haec ad Strabacem.

METRORUM IN TRUCULENTO
DESCRIPTIO.

Prol. et Act. I. Sc. I. Senarii iamb.
Act. I. Sc. II. v. 1—13 Saturnii
v. 14 dimeter iamb. catal.
v. 15, 16 tetr. troch. acat.
v. 17 bacch. catal. imminutus.
v. 18 Saturnius.
v. 19, 20 tetr. iamb. catal.
v. 21—30 dimetri anapaestico-iamb.
v. 31, 32 tetr. anapaestico-iamb.
v. 33—35 bacchiaci.
v. 36—112 tetr. iamb. catal.
Act. II. Sc. I. v. 1—6 tetr. iamb. acatal.
v. 7—15 tetr. iamb. catal.
v. 16—25 tetr. troch. catal.
v. 26—29 tetr. iamb. catal.
v. 32—36 senar. iamb.
v. 37 dimeter anap.
v. 38—43 tetr. iamb. catal.
Act. II. Sc. II. tetr. troch. catal.
Act. II. Sc. III. IV. Senarii iamb.
Act. II. Sc. V. v. 1—6 anapaestici.
v. 7—17 bacchiaci.
v. 18—34 tetr. troch. catal.
Act. II. Sc. IV. tetr. troch. catal.
Act. II. Sc. VII.
v. 1 tetr. troch. acatal.
v. 2 tetr. iamb. acatal.
v. 3 tripodia cretico-choriamb. cum anacrusi, cat.
v. 4, 5 bacchiaci.
v. 6 anapaesticus.
v. 7 trochaicus heptameter.
v. 8 tetr. troch. acatal.
v. 9 tetr. troch. catal.
v. 10 trochaicus heptameter.
v. 11—15 tetr. troch. catal.
v. 16—20 anapaestici.
v. 21, 22 tetr. anapaest.
v. 23 tetr. anapaestico-iamb. acat.
v. 24 bacchiacus.
v. 25—30 tetr. troch. catal.
v. 31 dimeter anap. iamb.
v. 32 creticus.
v. 33, 34 anapaestici.
v. 35—37 cretici.
v. 38—40 tetr. troch. catal.
v. 41 creticus tetr.
v. 42 dimeter troch.
v. 43 creticus.

v. 44—48 tetr. troch. catal.
v. 49—51 cretici.
v. 52, 53 tetram. spond. acatal.
v. 54—58 dimetri spondiaci.
v. 59, 60 tetr. spond. acatal.
v. 61 tetr. spondiaco-troch. catal.
v. 62 Senar. iamb.
v. 63—67 tetr. spond. acatal.
v. 68—75 tetr. spond.-troch. catal.
v. 76 choliambicus.
v. 77 tetr. iamb. catal.
v. 78, 79 tetr. troch. catal.
Act. II. Sc. VIII. senar. iamb.
Act. III. Sc. I. II. senar. iamb.
Act. IV. Sc. I. tetr. troch. catal.
Act. IV. Sc. II. v. 1. tetr. troch. acat.
v. 2, 3 bacchiaci.
v. 4 tetr. troch. catal.
v. 5—8 bacchiaci.
v. 9, 10 dimetri iamb.
v. 11, 12 bacchiaci.
v. 13 senar. iamb.
v. 14 anapaesticus.
v. 15 dimeter bacch. hyperm.
v. 16 tripodia bacch. catal.
v. 17 dimeter creticus catal.
v. 18—20 tetr. iamb. catal.
v. 21—65 tetr. troch. catal.
Act. IV. Sc. III. IV. V. tetr. troch. catal.

M. A. PLAUTI
FABULARUM
FRAGMENTA.

FRAGMENTA,

EX COMOEDIIS, QUAE EXTANT, CITATA,

QUAE HODIE IN FABULIS NON LEGUNTUR.

AMPHITRUO.

1. Néc nobis praeséute aliquis quisquám nisi servos ...
Nonius v. Absente.
2. Óptumo iure ínfringatur aúla cineris ín caput.
Idem v. Aula.
3. Né tu postulés, matellam unám tibi aquae infundi ín caput.
Idem v. Matella.
4. Hérus Amphitruo óccupatus.
Idem v. Occupatus.
5. Quaese ádvenienti mórbo nunc medicúm tibi.
Enim tú certe aut larvátus aut cerrítus es.
Edepól hominem te míserum! medicum quaérita.
Idem vv. Advenire et Cerriti.
6. — — Qui? qúaé me abseente córpus volgavít suum?
Idem v. Vulgavit
7. — — Exiúravisti, té mihi dixe pér iocum.
Idem v. Exiurare.
8. Quí nequeas, nostrórum uter sit Ámphitruo, décérnere.
Idem v. Decernere.
9. Nisi hóc ita factum est, proínde ut factum esse aútumo:
Non caúsam dico; vérum ne insimulés probri.
Idem v. Autumare.
10. Mánufestum hunc obtórto collo téneo furem. —
Idem v. Furtum.
11. Íbi scrobes effódito duplos séxagenos ín dies.
Idem v. Scrobes. Priscian. l. 5 p. 657, l. 7 p. 751.
12. — Ábiendi etiam núnc tibi est occásio.
Prisc. l. 11 p. 924.
13. — Animam cómprime.
Non. v. Anima.
14. — De nocte súm profectus ád portum prosúmia.
Fest. v. Prosumia. Non. c. 13. n. 17.

ASINARIA.

1. Qui étiam me miserúm famosum flágitiis faciét suis.
Non. v. Fama.
2. — Hic aderit, crédo, congerró meus.
Idem v. Gerrae.

AULULARIA.

1. Néc noctu nec diú quietus únquam eram; nunc dórmiam.
   Idem v. Diu.
2. Nón quidem ego, quaquá voluptate, súmsi nec tetigí. —
   Idem v. Sumere.
3. Homo ébriolatus sómno sanarí solet.
   Idem v. Ebriolare.
4. Qui mi ólera cruda pónunt, halecém danunt.
   Idem v. Halec.
5. Ego éffodiebam ín die denós scrobes.
   Idem v. Scrobes.
6. — Hic quidem pervícus custodem áddidit.
   Idem v. Pervico.
7. Ut ádmemordi hóminem.
   Gell. 7, 9.
8. Myrtam. Myrtum.
   Porphyrio ad Horat. Od. 1, 38, 5.

BACCHIDES, quae et CHRYSALUS,

velut apud Fulgentium v. Stega.

1. Illa méa cognominís fuit.
   Serv. ad Aen. 6, 383.
2. Quíbus ingenium ánimi utibile est, módicum et sine vernílitate.
   Non v. Modicum. Charis. l. 2. p. 185.
3. — — — — Ecquis évocat
   Cum násiterna et cúm aqua illum impuríssumum?
   Fest. v. Nasiterna.
4. Quaé sodalem átque me exércitos hábet.
   Non v. Exercitum. Charis. 1. 2. p. 204.
5. Nam tú quidem quoivis éxcantare cór [facile] potes.
   Idem v. Excantare. Serv. ad Virg. Eclog. 8.
6. Víncla, virgaé, molae, saévitudó mala.
   Fit péior.
   Idem v. Saevitudo.
7. — Cór meum, spés mea,
   Mél meum, suávitudó, cibus, gaúdium.
   Idem v. Suavitudo.
8. Limacés viri. Non. v. Limaces.
9. Ne a quóquam alio accíperes mercedem ánnuam,
   Nisi ab sése, nec cum quíquam limarés caput.
   Idem v. Limare.
10. — Cupidon té configit, ánne Amor?
    Non. v. Cupido.
11. — Praenestínum opino esse: íta erat gloriósus.
    Idem v. Opino.
12. Sin lénocinium fórte collubitúm est tibi:
    Videás, mercedis quíd tibi est aequóm dari:
    Ne istác aetate mé sectere grátiis.
    Charis. l. 2. p. 180.
13. Arabus.
    Idem p. 99.
14. Ulíxem audivi fuísse aerumnosíssimum,
    Qui annís viginti érrans a patria ábfuit;
    Verum híc adulescens múlto Ulixem ántidit,

Qui illico errat intra muros civicos.
Idem p. 181.

CAPTIVI.

Pileum, quem habuít, deripuit, eúmque ad coelum sústulit.
Non. v. Pileum.

CASINA.

1. Perii, illic habebit flócco iam lumbós meos.
Non. v. Defloccare.
2. Intro éo ad uxorem súbferamque térgum meum ob iniúriam.
Id v. Sufferre.
3. Taedeo.
Cledonius in Arte p. 1915 Putsch.

CISTELLARIA.

(Reperta haec sunt ab Angelo Maio, et publicata in Plauti Fragmentis ineditis, Mediol. 1815.)

Sed quid istum adicis — —
Quia vivum — doleo — si tu vís. Volo.
At enim ne tota pónas pugnos túos in imperió meo.
Numquam — — fidem — —
Sed ego primum dii quia — —
Sum nihili nihil — — —
Quae meam an — — dignus — —
— — acerba laceret — frugi non quaeris
Praestat — quae con — cum —
Néque deos neque hómines aequom est fácere, etsi posthác siem.
Quaé mihi esset cómmendata et meaé fidei concrédita,
Quae ésset aetatem éxactura mécum in matrimónio
Compecta sit, cápere oportet, néque eam unquam pónere.
Erili — — tribus multum crédi oportere árbitror.
Quae — clamat — mariti sua ut — solita sis
Ob istuc invadier eum dignus deciens qui furca
Égomet laetor. Séd quid auctor núnc mihi est?
— — — suspendas — — —
— — — — — — — fiet.
— — — — — — insanit miser.
— — — — — nihil moror . . . .
Ubi súnt quae iussi? Sáne . . . . non ést satis
Monuísse credo nocénti. Cum illaec síc facis,
Utrúm deliras, quaéso, an amans sómnias?
Qui equúm me opli non vís loricam addúcere.
Multós hastatos, póst id multos vélites,
Multós cum multis. Haéc fe ruor . . . .
Mihi fábulatus. Díxin ego istaec, óbsecro?
Modó quidem hercle díxistei non praeséns quidem.
— Praestigiátor es, siquidem híc non es atque ámens.
Video égo te amoris válde tactum tóxico,
Adoléscens: eo te mágis volo monitúm. Mone.
Cave sís cum amore tu úmquam bellum súmpseris.

Quid fáciam? Ad matrem éius deveniás domum;
Expúrges, iures, óres precibus blánditer,
Eámque exores, né tibi succénseat.
Expurgabo hercle omnia usque ad raucam ravim.
(Cf. Non. v. Ravis.)

— — — — —

Muliércula mea ornátula si sit út quidem hercle scíta.
Quamquám vetus canthérius sum, mihi nunc ut ego opínor,
Adhínnire equolam póssum ego hanc, si détur sola sóli.
(Cf. Prisc. p. 617. Putsch.)
Nimis ópportune mihi évenit redísse Alcesimárchum:
Nam sóla nulla invítior solet ésse . . . . .
Ne sóla sis . . . cum . . . tu agas aliquid.
Nimis . . . . concinne ut haece non Alcesimarchus:
Ut quo . . . deriderer . . . duris . . .
. . . . . erat haec aédes olim quía amatores pólluit.
Non . . . . quoque hércle fabulátur.
Sed cúm dicta huius intérpretor, haec hércle est, ut ego opínor,
Meum quaé corrumpit filium . . . .
. . . . . quam videre dictis . . . . credo
Nam . . . . ea e disco deductas meus habet gratus. Haec ubi ástat
Hoc habeo tam . . . . opinor, nam haec illum
Quid si adeam atque appellem mali damnique inlecebras aut
— — — — postulabis
— — — — Vale.
— — — — — alter
— — — — — — quidvis
Quid ego usquam — — — —
Habent — — — — atque nostra
— — — — — — —
Lenta se mater — quidem — — innocenti
Do tibi — ullus nisi tibi — — rarus quisquam
Sed iste — filius quidem —
Nisi — — filius nemo est
At ego moror — — damnosos ante ullum
Quid — — isne est? Arbitror.
— — — — — — aufer manu
— aleas — — cur gaudet
— ad — — — — — dolo
Ut — — — — — —
Nos illata — — — aut qui — —
— pone — — quae ita — loqui
— — das mihi operam — — —
— mihi molesta est quin adeo — —
— — — quaedam — si nescias
— — illam perdam — —
— quam si hoc fallor — moror
— multum falli — — orat feres

MILES.

1. Ita nós nostramque fámiliam habes exércitam:
Fulgent. v. Exercitus.

POENULUS.

— Impórtuna avis venit vésperi.
Charis. I. p. 197.

PSEUDOLUS.

Nisi si carcerem éffregeritis áliquando, vostrám domum.
Serv. ad Aen. 1, 139.

RUDENS.

1. Homúllulus fictúst ex argilla ét [ex] luto.
Prisc. l. 3. p. 614.
2. Aulas ábstulas.
Diomed. l. 1. p. 376.

STICHUS.

Nonne hóc publicitus — ?
Charis. l. 2. p. 190.

TRUCULENTUS.

Bona pérdidi, mala réperi; factús sum extimus a vóbis.
Priscian. l. 3. 609.

FABULARUM DEPERDITARUM
FRAGMENTA.

"AXAPI STUDIUM.

Quám ego tanta paúperavi pér dolum pecúnia.
Non. v. Pauperavit.

AGROICUS.

— Quasi lupus ab ármis valeo: clúnis infractós gero.
Fest. et Non. v. Clunes.

ADDICTUS.

Opus fácere nimio quám dormire mávolo:
Vetérnum metuo.
Interpres Virgilii anonymus ad Georg. 1, 124.

ARTAMON.

Nunc mihi licet quidvís loqui: némo adest supérstes.
Fest. v. Superstites testes.
Únguentum, quod múlionum náribus nauteám fecisset.
Idem v. Nautea.

ASTRABA, seu CLITELLARIA.

1. Séquere, sequere, Pólybadisce: méam spem cupio cónsequi.
Polyb. Séquor hercle quidem: nám lubenter méa sperata cónsequor.
Varro de L. L. l. 5. s. 7 extr.
2. Áxitiosae annónam caram e víli concinnánt viris.
Idem l. 6. c. 3.
3. — Terebra tú quidem pertúndis.
Non. v. Exterebrare.

4. Dare pédibus protinam sése ab his regiónibus.
Idem v. Protinus.
5. Terebrátus multum síet, et subscudem áddite.
Fest. v. Subscudes.
6. Apluda.
Gell. 11, 7. Non. v. Apludas.
7. Non quási ut haec sunt híc limaces lívidae,
Dióbolares, scoéniculae, miráculae,
Varro de L. L. 6, c. 4. Fest. v. Schoeniculas.
Scraptaé, crupedula, strictipellae, tántulae,
Varro ibid. Gell. 3, 3. Non. v. Scruptas.
Cum extrítis talis, cúm crotillis crúsculis.
Fest. l. 1. 3. Fest. vv. Crocotilum, Succrotilla, Todi. Priscian. l. 3. p. 611. Putsch.
Capíllo scisso atque éxcissatis aúribus.
Non. v. Excissatum p. 544. ed. Merc.
8. Malum aufer: bonum mihi opus est.
Idem in: Opus est illam rem.
9. — Quasi tolléno
Vel pílum Graecum, réciproces planá via. —
Fest. v. Reciprocare.
10. Quin ís, si iturus? Nímium es vegrandí gradu.
Idem v. Vegrande.
11. Pol ád cubituram, máter, mage sum exércita
A té, quam ad cursuram; éo sum tardiúscula.
Non. v. Cursus.
12. Quid? túam times amícam, ne te mánulea
Caiét?
Fulgent. de Continentia Virgil. Mythogr. lat. Muncker. p. 163.
13. Prohibét divitiis máxumis, dote áltili atque opíma.
Non. v. Altile.
14. Expúrgabo hercle ómnia ad raucám ravim.
Idem v. Ravis.
15. Quae quási carnuficis ángiporta púrgitas.
Idem v. Angiportus.
16. Intro ábeo: nam meretrícem adstare ín via
Solám, prostibulae sáne est.
Idem v. Prostibula.
17. — Méminere officiúm suum.
Idem p. 499. Merc.
18. Pótin' es tu, homo, fácinus facere strénuum? *N.* Aliorum ádfatim est,
Quí faciant: sane égo me nolo fórtem perhiberí virum.
Gell. 7, 7.
19. — Tun', tune ígitur, mea matércula?
Prisc. l. III.
20. — Germána mea sorórcula.
Id. p. 612.
21. Siquidem ímperes pro cópia, pro récula.
Idem ibid.
22. — Datóres
Bellísumi negótioli, senicés, soletis ésse.
Idem ibid.
23. Adhínnire equolam póssum ego hanc, sí détur sola sóli.
Idem ibid.

Nam ita mústulentus aéstus naris óbtigit.
Non. vv. Mustulentum et Ventus.

24. Me réspondere póstulas? Iniúrium est.
Stipulári semper me últro oportet á viris.
Eum quaéstum facio. Nihili res, promittere.
Prisc. L. 8. p. 792.

BACCHARIA.

Quis ést mortalis tánta fortúna adfectus únquam,
Quam ego núnc sum, quoius haec véntri pórtatur pómpa?
Vel hic quí mihi acipénser látuit in mari ántehac,
Cuius égo nunc latus in látebras meís dentibus réddam.
Macrob. Saturn. 2, 12.

BIS CONPRESSA, seu BOEOTIA.

Ut illúnc di perdant, prímus qui horas réperit,
Quique ádeo primus státuit hic solárium;
Qui míhi comminuit mísero articulatím diem!
Nam mé puero uterus híc erat solárium,
Multo ómnium istorum óptumum et veríssumum:
Ubi istíc monebat, ésse, nisi quum níhil erat.
Nunc, étiam quod est, non éstur, nisi solí lubet;
Itaque ádeo iam oppletum óppidum est soláriis:
Maiór pars populí áridi reptánt fame.
Gell. 3, 3.

CALCEOLUS.

Núcem molluscam súper eius dixit ímpendere téguias.
Macrob. Sat. 2, 14.

CARBONARIA.

1. — Secundum ipsum áram aurum abscóndidi.
Priscian. l. 10. p. 890.
2. Égeo pernam, súmen sueris, spéctile, callum, glándia.
Fest. v. Spectile.
3. Pátibulus ferár per urbem; deínde affigár cruci.
Non. v. Patibulum.

COECUS, seu PRAEDONES.

1. Níl quidquam factúm nisi fabre, néc quidquam positúm sine luxu,
Aúro, ebore, argentó, picturis, púrpura, spoliís, tum statuis.
Charisius l. 2. p. 179. Putsch.
2. Néque eam a me invitam únquam abduces. —
Idem ib. p. 182.
3. Spectári ludos mágnifice atque opuléntiter.
Idem ib. 187.
4. Peregre est.
Idem ib. p. 189
5. Plure áltero tantó, quanto eius fundúst, velim.
Idem ib. ead.
6. Ita súnt praedones: prórsum parcunt némini.
Idem ib. eadem.
7. Velím ted arbitrári fáctum sedulo ésse.
Súbmoventur hóstes; rémoventur lápides.
Idem ib. p. 194.

8. — Si non strénue
Fatétur, ubi sit aúrum: membra eius éxsecemus sérra.
Idem ib. 195.
9. Nil féci secus, quam mé decet.
Idem ib. ead.
10. *A*. Quis tu és, qui ducis mé? *B*. Mu! *A*. Perii hercle, Áfer est!
Idem ib. p. 213.

COLAX.

1. Bátiolam auream habébat octo póndo; accipere nóluit.
Non. v. Batiola.
2. Quí data fide infirmata fídentem feféllerint,
Súbdoli subséntatores, régi qui sunt próxumi,
Qui áliter regi díctis dicunt, áliter in animó habent.
Ang. Maius in Plauti Fragmentis.

COMMORIENTES.

— Sáliam in puteum praécipes.
Priscian. l. 6. p. 725.

CONDALIUM.

1. Tám crepusculó feram, ut amens? Lámpadas accéndite!
Varro 4. de L. L. 1. 6, 4.
2. *Pro!* in admiratione posuit Plautus Condalio. Festus v. Pro.

CORNICULARIA.

1. Fácite olant aedés Arabice.
Diomed. l. 1. p. 378. Putsch.
2. Quí regi latrócinatus décem annos Demétrio.
Varro de L. L. l. 6. c. 3.
3. Púlcrum et luculentum hoc nobis hódie evenit proélium.
Non. v. Luculentum.
4. — Te óbsecro,
Lýde, pileúm meum, mi sodális, mea salúbritas.
Non. v. Pileus.
5. Quíd cessamus lúdos facere? Círcus noster écce adest.
Varro de L. L. l. 4. c. 32.
6. Qui amánt ancillam méam Hedylium óculitus.
Non. v. Oculitus.
7. — Míhi Laverna in fúrtis celebrassít manus.
Idem v. Laverna.

DYSCOLUS.

Vírgo ego sum: nóndum didici vérba nupta dícere.
Fest. v. Nupta verba.

FOENERATRIX.

1. Heus tu, ín Barbaria quód dixisse dícitur
Libérta suae patrónae, id ego dicó tibi:
Libérta, salve! vápula, Papýria!
Fest. v. Vapula Papyria.
2. — Quaé ego populabó probe.
Diomed. l. 1. p. 395.

FRETUM.

— Nunc illud est,
Quód arietinúm responsum mágnis ludis dícitur:
Períbo, si non fécero; si fáxo, vapulábo.
Gell. 3, 3.

FRIVOLARIA.

1. — Commodó dictitémus.
Charis. l. 2. p. 174. et l. 2. p. 177.
2. Ís mihi erat bilís, aqua intercus, tússis, febris quérquera.
Priscian. l. 6. p. 719. Fest. v. Querqueram febrem.
3. *A.* Séquimini me hac, súltis, omnes légiones Lavérniae.
Úbi, rorarii, éstis? *B.* En sunt. *A.* Úbi sunt accensi? *B.* Écce nos.
A. Ágite nunc, subsídite omnes, quási solent triárii.
Festus v. Sultis et Subsidium. Idem l. 6. c. 3. Varro de L. L. l. 4, 16.
4. Nave ágere oportet, quód agas, non ductárie.
Fest. v. Navus.
5. Superáboque omnis árgutando praéficas.
Non. v. Praefica.
6. — túm papillae prímulum
Fratérculabant; íllud volui dícere,
Soróriabant. Quíd opus est verbís?
Fest. v. Sororiare.
7. — O amice, ex múltis mi une, Céphalio!
Priscian. l. 5. p. 673.
8. — — Strébulam agninám tene.
Fest. v. Strebula.

FUGITIVI.

A. Age, áge, specta! vide víbices, quantás! *B.* [Iam inspexi.] Quid est?
Varro de L. L. l. 6, 3.

GASTRON.

Caro strebula, vitellina est: coenabis . . . .
Varro de L. L. l. 6, 3.

HORTULUS.

Práeco ibi adsit cúm corona; quíque liceat, véneat.
Fest. v. Sub corona venire.

KAKISTUS.

— Malo hunc ádligari ad hóriam,
Út semper piscétur, etsi sít tempestas máxuma.
Fulgent. v. Oriam. Cf. Vidular. 17, 36.

LENONES GEMINI.

Dolet hic puellus, sése venum dúcier.
Fest. v. Puelli. Priscian. l. 6, p. 697.

MEDICUS.

1. In conspicillo adservabam; pallium observabam.
Non. Conspicillum.
2. — Parasitó cum virgis cáseum radí potest.
Idem v. Caseus.
3. Domí reliqui éxoletam vírginem.
Priscian. l. 9. p. 872.

NERVOLARIA.

1. Scobínam ego lima áctutum adrasí. —
Varro de L. L. l. 6, 3.
2. Prohibént, quin moenia álicunde ego fungár mea.
Fest. v. Moenia.
3. Ocíssume nos líberi possímus fieri. — —
Idem v. Ocius.
4. Pollúcte prodigum ésse amatorem áddecet.
Idem v. Prodegeris.
5. — Vínum sublestíssumum:
Infírmos quis vel córpore vel animó facit.
Idem v. Sublesta.
6. Insánum uterque déamat.
Non. v. Insanum.

PARASITUS PIGER, sive LIPARGUS.

1. Inde béne adpotus, prímulo crepúsculo
Domum íre coepi trámite rectá via.
Varro de L. L. l. 6, 3.
2. Ámbo magna laúde lauti, póstremo ambo súmus non nauci.
Fest. v. Naucum.
3. Áddite lepadés, echinos, óstreas.
Non. v. Lepades.
4. Nfl moror mihi fúcum in alveo, ápibus qui peredít cibum.
Priscian. l. 10. p. 893.

PHAGON.

— Honos Sýncerasto périit, pernis, glándio.
Varro de L. L. l. 6, 3.

PLOCION.

Namqué coloratam fróntem habet, petilús, habrus.
Non. v. Petilum et Frontem.

SATURIO.

1. Catulinam carnem esitavisse, hoc est comedisse, Romanos, Plautus in Saturione refert. Fest.

Ad quem locum Dacerius: Hanc Saturnionem (nam sic ille et hic et in ipso Festo) fabulam respicit Plinius, cum ait lib. 29: Catulinam adiicialibus quidem celebrem epulis fuisse, Plauti fabulae sunt indicio.

2. Retrahí nequitur, quóque progressa ést semel.
Fest. v. Nequitum.
3. *A.* Mále tibi evenísse video. *B.* Quín glaber erat, tamquam rien.
Idem v. Rienes.
4. — Succentúria centum, quí te delectént domi.
Idem v. Succenturiare.
5. Hac enim alludente et Plautinus Saturio mitigatus obdormit etc.
Fulgent. Mythologiarum lib. 1.

SCYTHA LITURGUS.

1. Múlier es, uxórcula! abi: te égo novi: scio áxitiosam.
Varro de L. L. l. 6, 3.
2. — Sic ea mi ínsignitos púeros pariat póstea,

Aút varum, aut valgum, aút compernem, aut paétum, aut brocchum filium,

Fest. v. Valgos. Cf. Mil. 3, 1, 128.

SYRUS.

Laudatur apud Festum v. *Todi*, proferturque inde versus *Extritis talis* etc. quem alibi ad Clitellariam Pompeius refert.

TRIGEMINI.

Ní fugissem: médium, credo, praémorsisset.

Gell. 7, 9.

VIDULARIA.

1. Ubi quámque pedem vidébat, subfúrabatur ómnis.
Non. v. Pedis.
2. Nescío qui servos é myrteta prósilit.
Priscian. l. 4. p. 626.
3. Paúpera haec res ést.
Idem l. 5. p. 647. Prob. Cathol. p. 1457.
4. Díc mihi, si audes, quís ea est, quam vis dúcere uxorém. —
Idem l. 13. p. 960.
5. Ópposita est claxéndix. At ego sígni dicam quíd siet.
Idem l. 5. p. 655.
Ánimum advortite ámbo, sultis. Vídulum hic adpónite;
Idem p. 692.
Égo servabo, quási sequestro détis; neutri réddibo,
Idem l. l. et p. 694. Non. v. Reddibo.
Dónicum diiúdicata rés sit haec.
Idem l. l. et p. 959.
Haúd fugio sequéstrum.
Idem p. 692.
6. Ínopiam, luctúm, moerorem, paúpertatem, algúm, famem.
Idem l. 6, p. 699.
7. Éiusdem Bacchaé fecerunt nóstram navim Péntheum.
Idem l. 7. p. 738.
8. — Nunc, ut apúd sequestrum vídulum posívimus.
Idem l. 10. p. 898.
9. Nunc sérvos a patre árgentum expalpábitur.
Non. vv. Expalpare et Expalpabitur.
10. Ímo id, haec quod nóstra est patria ét quod hic meus ést pater,
Íllic autem Sóterinis ést pater.
Priscian. l. 7. p. 749.
11. Malím moriri méos, quam mendicárier:
Boní miserantur íllum; hunc irridént mali.
Non. v. Mendicarier.
12. Sígnum recte cómparebat: húius contendi ánulum.
Idem v. Contendere.
13. Quid múlta verba? plúrimum luctávimus.
Idem v. Deluctavi.
14. — Cúlleo insui húnc iube
Átque in altum déportari, sí vis annonám bonam.
Fulgent. v. Culleus.
15. Ibi út piscabar, fúscina ici vídulum.
Non. v. Icit.
16. Nam audívi feminam égo lenónem sémel parire. — —
Philargyrius ad Virgil. Eclog. 2, 63.

17. *Fragmenta VIDULARIAE, ab Angelo Maio reperta in codice rescripto antiquissimo bibliothecae Ambrosianae, quae Mediolani est, a.* 1811. (Vide M. Accl. PLAUTI Fragmenta inedita, item ad P. Terentium commentationes et picturae ineditae, inventore Angelo Maio, bibliothecae Ambrosianae a LL. or. Mediolani regiis typis MDCCCXV. 4. pagg. 67.)

Quid — — qui des —
Sed quidnam ego —
— — audivisti quid —
Qu — vocum — atat —
— possum opinor
Est ita an mer — servias q — dis quid —
Quid tu — — —
Nam qur — — miror
Non sumsi quidem — —
Laboriosam — at Syrus. —
Ut ita — aliquan —
Talí si ac tantis túae sunt consuetaé manus
Atque — —
Mollítia urbana aequ — ae orbus —
Misero — — — — —
Quod ais — ut —
— — opus — malo
Quid — quam Syrum —
— quod — us —
— mem —
— Pol eq — — credo mercenarium
— — quam qui diu
— mereo ne tum quicquam tuis
Nequ — non — o domum
— sororem gorginem
Vicinus igitur est — —
Seu quem — hunc novit cum
Hic — his — ego adducito
— arcam — probe
— quam hic —
— — quaeram, postquam
— erit — —
Tam scio quam — stare
Nisi quod ego meis — —
— astabo atque observabo si quem ami —

DINIAS NICODEMUS CACISTUS.

Nae tu édepol hodie míserias multás tuas
Mihi nárravisti, eoque a — — máxume
Et apértius si — quía me miserebát tui
Illic ést adulescens, quem ómn —
Etiam égo age ig —
In opús ves — cavet qua —
Nil há — quam —

Tu er —
Egen — —
Qui — —
— foénus mihi nullúm duis
— illum — —
Sed quí — — — postulo
Foeneraturum enim —
Quam ad — unum —

INCERTA.

1. *Aerumnulas* Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant; quarum usum quia C. Marius retulit, *muli Mariani* postea appellabantur. Itaque *aerumnae* labores onerosos significant etc. Fest.
2. *Bellule* apud Plautum diminutivum adverbium est a *bene*, quod facit *belle* et *bellule*. Fest.
3. *Coquitare* pro *coctitare*, id est frequenter coquere, Plautus posuit. Fest.
4. Apud piscarium, ubi variae res. —
   Varro de L. L. 4, 32
5. Fúmificum epeum, quí legioni nóstrae habet coctúm cibum.
   Idem ib. l. 6. c. 3.
6. Obgánnuit odiósus totae fámiliae.
   Idem ibid. c. 5.
7. Plautus σχηματικῶς:
   Nám pater tuus núnquam cum illac étiam limavít caput.
   Non. v. Limare.
8. Licet vós abire cúrriculo.
   Fest. v. Curriculo.
9. Iam tíbi tuis meritis crássus corius rédditust.
   Fest. v. Corius.
10. Di bene vortant! téne crumenam: in éa erunt trigintá minae.
    Idem v. Crumena.
11. Núllam ego rem citiórem apud homines ésse quam famám reor.
    Idem v. Citior.
12. Stúltus est advórsum aetatem et cápitis canitúdinem.
    Idem v. Canitudinem.
13. Númnam mihi oculí coecultant? éstne hic noster Hérmio?
    Idem v. Coecultant.
14. Éiuravit mílitiam.
    Fest. v. Eiuratio.
15. Sic mé subes cotídie, quási salicem fíber.
    Idem v. Fiber.
16. *Herbam do* cum ait Plautus, significat *Victum me fateor*; quod est antiquae et pastoralis vitae indicium: nam qui in prato cursu aut viribus contendebant, cum superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant. Fest.
17. *Dirigere* apud Plautum invenitur pro *discidere*. Fest.
18. *Iniit* ponitur interdum pro *concubuit*. Interdum pro *invenit*, ut

Iniit rationem. Interdum pro *introiit*, ut Plautus: *Iniit te unqudm febris?* Fest.

19. Neque múneralem légem, neque lenóniam,
Rogáta fuerit néc ne, flocci aéstumo.
Idem v. Muneralis.

20. Pérfidiose cáptus. Edepol nérvo cervicés probas!
Idem v. Nervum.

21. Muriática autem vídeo in vasis stágneis,
Bonám naritam et cámarum et tagénia,
Echínos fartos, cónchas piscinárias.
Idem v. Narita.

22. Nón ego te noví, navalis scríba, columbar ímpudens?
Idem v. Navalis scriba.

23. Níl deconciliáres illi, nísi quid persibús sapis.
Idem v. Persicus.

24. Sacrum án profanum hábeas, parvi pénditur.
Idem v. Profanum.

25. Úlcerosam, cómpeditam, súbverbustam, sórdidam.
Idem v. Subverbustam.

26. Glirium examina.
Non. v. Glis.

27. — Séd leno egreditúr foras.
Hinc éx occulto sérmonem eius súblegam.
Non. v. Legere.

28. Quid múrmurillas técum et te discrúcias? —
Idem v. Murmurillum.

29. — Néc, machaera, mi aúdes dentis fréndere?
Idem v. Frendere.

30. — Flocci péndo, quid rerúm geras.
Fulgent. v. Flocci.

31. Argéntum hinc facite.
Donat. ad Terent. Phorm. 4, 3, 30.

32. — Properant prándium.
Iun. Philargyrius ad Virgil. Georg. 4, 171.

33. — Fólles quam tauríni habent,
Quóm liquescunt pétrae, ferrum úbi fit. —
Idem ibidem.

34. Non édit, ut possit, séd posse hic, ut edát, cupit.
Is. Pontan. ad Macrob. Sat. 2, 8. et 7, 16.

35. Fortásse sese amáre suspicárier.
Donat. ad Terent. Hec. 3, 1, 33.

36. *Thocus*, genus sellae, habetur apud Plautum.
Paul. Diac. ex Festo v. Throcum.

37. Cérte me suprémum habuisti sémper in rebús tuis.
Fest. v. Supremum.

38. Perrexit in interiores partes domuis *pósticae*, ait Plautus, *penitissumae.* Varro *Ταφῇ Μενίππου* apud Non. v. Posticam.

39. — Egone illi vénear?
Diomed. l. 1. p. 365.

40. Inibi íntus esto, dónicum ego revénero.
Charisius l. 2. p. 178.

41. *Butu batta.* Haec Plautus pro nihilo et pro nugis posuit, ut in glossis veterum *battatti* fluctus quidam et sonus vocis effeminatior etc.
Idem p. 216.

42. Inscríbam virgis úlmeis corpús tuum.
Serv. ad Aen. 1, 478.

43. Núnquam ad civitátem venio, nísi quando infertúr peplum.
Idem ibid. ad 480.

44. Scelerare manus.
Idem ad Aen. 3, 42. Cf. Cornicul. 7.

45. — Ípsa sibi avis mortém creat.
Idem ad Aen. 6, 295 seqq.

46. — Pro laruáto te circúmferam.
Idem ibidem ad 228.

47. Paúpera haec est múlier.
Idem ad Aen. 12, 519.

48. Abi ergo.
Festi fragmentum v. Naenia, p. 6.

49. Cilíx, Lycisce, Sósia, Stiche, Pármeno,
Exíte et ferte fústis privos ín manu.
Interp. Horat. ad Sat. 2, 5, 11.

50. Anus haéc imbellis períoulum porténditur.
Porphyr. ad Horat. Od. 1, 25, 7.

51. Cétte patri meó.
Phocas p. 1718. Putsch. Cledon. Art. p. 1916. ibid. Alcuin. p. 2118. ib.

52. Úna est; decollávit.
Diomed. p. 361. Putsch.

53. — Mécum habet patagus, mórbus, aes.
Macrob. Sat. l. 6. c. 19. Fest. v. Patagus, morbus.

54. Quid ést hoc? rugat pállium. Amíctus non sum cómmode.
Gell. 18, 12.

55. Exí tu, Dave! age, spárge! mundum ésse hoc vestibulúm volo.
Venús ventura est nóstra: non hoc púlveret. Idem ib.

56. Surum non ést tíbi. Fest. v. Surum.

57. Víx super ego súm dolori, qui ín dies vae! miseró mihi
Pérdito reglíscit mage magísque .... Idem v. Reglescit.

58. Qui tálist de natís suis (pro *natabus*). Prisc. l. 7. p. 733.

59. *Pullariam* manum dexteram dixisse videtur Plautus in ....
Idem v. Pullariam.

60. *Vesperna* apud Plautum coena intelligitur.
Paulus ex Festo v. Vesperna.

61. *A*. *Venter suillus* .. (dicam suo nomine scrutillum) ....
B. Egomet hodie .... si quid esset comesus: forte biberem ....
Fest. fragm. v. Scrutillus.

62. — Inveniuntur tamen quaedam peregrina, quae cum incremento syllabae declinantur, ut *Calchas*, *Pallas*, *Atlas*, *Gigas:* faciunt enim *Calchantis* etc.; quamvis antiqui, ut Pacuvius et Plautus, *Calchan* dicant, non *Calchantem*, et Gellius *huius Calchae*.
Charis. l. 1. p. 50.

63. Plautus: *amiciter*, *veraciter*, *avariter*, *munditer*, *severiter*, *moestiter*, *aequiter*, *asperiter*. Prisc. l. 15. p. 1010.

64. Sic lácte lactis símile est. M. Valer. Prob. p. 1445. Putsch.

65. Haec praesepés mea est. Idem ibid. p. 1446.

66. *Dur* terminata. Unum legi in Plauto, *Magadur*.
Idem ib. p. 1454.

67. *Reboo*. Idem ib. p. 1486.

68. *Meminens*. Sergius in Donati edit. 2. p. 1853. Putsch.

69. — Cistellam éffer cum crepúndiis. Fulgent. v. Cistella.

70. — Cicátrices denúdat et memorát vices.
Is. Pontan. ad Macrob. S. Scip. l. 1. c. 21.
71. Dum aviculae vernant. **Idem ib. ad 7, 16.**
72. Religionem a se reiicere. **Idem ib. ad 1, 12.**
73. ***Consuetionem*** **Plautus pro consuetudine dixit. Fest.**

NOTAE AD FRAGMENTA.

Ad p. 401.

AMPHITRUO. Fragm. 1. De hoc fragmento cf. Amph. 2, 2, 203.

Ibid. 3. Versum metrumque quod attinet, sic legendum, ut *tibi* integrum elidatur, quemadmodum saepe in Plauto et in *tibi* et *sibi*, et *mea*, et aliis multis faciendum.

unam pleonastice adiectum esse ne dubitato. Similiter Aul. 1, 2, 11. et aliis multis locis. — *ne tu postules* est: ne tu forte existimes aut speres, me tibi aquae matellam in caput ingerere; siquidem non aquam tibi ingero, sed aliud quidpiam.

Ibid. 5. vs. 1. Vulg. *adveniente*. — Both. *Quaeso adv. m. ius medicabile*. Nostr. vulg. — *Quaesere* pro *quaerere* v. Bacch. 2, 2, 1.

Ibid. vs. 2. *Enim tu certe aut larvatus* etc. Sic hic vs. tamquam vere Plautinus admitti nequaquam potest, ideo quia in Plauto *larva* numquam non est trisyllabum. Cf. Amph. 2, 2, 154. Cas. 3, 4, 2. Merc. 5, 4, 20. Capt. 3, 4, 66. Aul. 4, 4, 14. Men. 5, 4, 2. Itaque aut legendum: *Enim cérte aut laruátus* etc. aut: *Enim tu aut laruátus*, aut: *Enim táte aut laruatus* etc. aut locus pro supposito et non vere Plautino erit habendus.

Ad pag. 402.

AULULARIA. 3. Both. *ebriatus*. At *ebriolatus* legendum esse praebet metrum.

BACCHIDES. 1. *Illa*, uti millies, monosyllabum. Versus autem iambicus fuit tetrameter catal.

Ibid. 4. Versus est creticus, in fine imminutus, uti innumeri apud Plautum. V. Most. 3, 2, 1—21.

Ibid. 5. *facile* eiiciendum esse, facile patet.

Ibid. 6. Versus creticus, saltem prior. Alter enim: *Fit pcior* fortasse iambicus, et sensu a priori seiungendus. Nam in edd. iuncti sunt.

Ibid. 7. Hos Bothius pro uno versu habet, cretico senario.

Ibid. 9. Aut sic legendum, ut *Ne* plene pronuncietur, et in *a* ictus ponatur, aut *Ne* elidendum, et in *quo* ictus ponendus, *quam* autem plene eloquendum. — In vs. seq. *Nisi* ut *ni* legendum absorbendumque.

Ibid. 11. Both. *opinor*. — *Praenestini* et commemorantur Truc. 3, 2, 23.

Ibid. 14. vs. 4. Pro *illico* videtur leg. *illic*.

Ad pag. 405.

POENULUS. Extrema pars est versus iambici. Nimirum *avis* monosyllabum est, uti *navis*, *avus*, etc. (v. Ind.), *venit* autem praesens.

RUDENS. 1. Sine dubio eiiciendum alterum *ex*.

AGROICUS. *infractos*. Sic Festus. At Nonius: *defectos*.

ARTAMON. Versum existimato esse Saturnium, quales leguntur et Aul. 3, 2. — *Unguentum*. Versus tetr. troch. acatal.

ASTRABA. 1. v. 2. Sine dubio *mea sperata* sunt accus., non vocat., uti alii habent, qui commatibus includunt.

Ibid. 2. *concinnare* i. q. efficere, facere. Cf. Ind.

Ad pag. 406.

Ibid. 4. Hi quinque versus unum contexum facere videntur. Dedi autem, uti fere dedit Bothius.

Ibid. 8. *Malum aufer* etc. Cf. Cist. 4, 2, 41.

Ibid. 14. Ne elidas *hercle* in fine.

Ibid. 16. Elidatur in *meretricem*, non autem in *adstare*, cui addi possit *d* paragogica.

Ibid. 23. Uterque versus unius contexti sunt, et citantur tamquam ex Cistellaria.

Ad pag. 407.

Ibid. 24. Stipulatio fiebat inter duos, ita ut alter rogaret, alter responderet; alter stipularetur, alter promitteret. Vid. indicem v. *stipulatio.* — Pro *nihili res pr.* libri habent: *nihil iures, promittere.* Postremum autem verbum, quod omisit Bothius, (qui legit: *Nihili vir es,*) omnes habent, et egregie cum sensu convenit.

BACCHARIA. Saturnios esse hos versus, quales et in Aulularia, et Casina et Cistellaria et Truculento leguntur, non dubitandum. Atque in primo fortasse abiiciendum *unquam*, ut eius postrema sic scandantur: *fórtuna adféctus.* In altero *cuius* monosyllabum. In tertio vulg. habet: *Vel nunc, qui mihi in mari acipenser latuit antehac.* Bothius: *Vel nunc qui m. a. indu mari latuit antehac.* Ego pro *nunc*, aut *hunc* aut *hic* legendum censeo, *vel* autem, uti haud raro faciendum, tamquam si esset *ve*, elidendum. Cf. Capt. 1, 1, 22. Curc. 5, 2, 13. Amph. 3, 2, 36. Est autem *vel* in hac dictione i. q. *velut*, exempli causa. Denique in fine transponendum: *latuit in mari antehac*, ut acipenser ad priorem versus partem trahatur. — Postremus versus sic legitur: *Cuius, ego latus in latebras reddam meis dentibus et manibus.* Both. *Quoius latus in latebras dentibus meis et manibus reddam.* Apparet, plane otiosa esse *et manibus*, imo languere his additis orationem. Lego igitur: *Cuius égo nunc latus in látebras meis dentibus réddam;* ut *nunc* quasi ex superiori versu in sequentem deducatur, ista autem, *et manibus*, plane abiiciantur.

BIS COMPRESSA. vs. 4. Rarum est *uterum* pro *ventriculo* poni, nec uspiam, puto, sic legitur in Plauto, nisi Stich. 2, 1, 9 et 11 ubi tamen quodammodo est metaphora. Accedit, quod versus non omnino optime habet propter choriambum *me puero.* Denique pro *uterus* in Gellii libris habetur *vetus*, ut *ventriculus* suppleatur, *hic* autem δεικτικῶς positum sit. Quam lectionem ubi praetuleris, statuendum erit, post *Nam me* excidisse particulam, forte *tum.*

v. 6. *istic* sc. uterus seu ventriculus. — *esse*, i. e. edere. Infinitivus pendet a v. *solarium;* simul tamen et ad *monebat* refertur, orationis parasiticae socordia, quae pariter ac meretricia, saepe iustam constructionem spernit et confundit.

v. 7. *quod* esse possit coniunctio, ut sensus sit: *im Falle daſs, gesetzt auch daſs* etc. Cf. Asin. 4, 1, 12. 16. 51. Aul. 1, 3, 13. Curc. 1, 3, 37. Ep. 5, 1, 32. Capt. 3, 4, 81. Mil. 2, 2, 7. Rud. 4, 4, 105. Cas. 1, 1, 39. Cist. 1, 2, 17. Ceterum quia in omnibus illis locis coniunctivum post se sequentem habet, haud equidem obnitar, si quis sensum dicat: Nunc etiam id, quod adest, non estur, nisi Soli lubet.

v. 9. Mutatio facta est constructionis, et oratio directa pro obliqua posita. Debebat enim sequi: *Ut iam maior pars populi prae fame reptent.* Similia vide Capt. 1, 1, 24 sqq. et 32. Men. 1, 1, 18. 19 et 24—27. — *populi* apparet non esse elidendum. Perperam Bothius: *Maior popli pars.* Idem vs. 4. *Nam puero me uterus hic e. s.* et v. 6. *Iste ubi monebat.* Denique v. 7. *etiam quum est.* At *quod est* pro pyrrhichio saepe legitur. V. Ind.

CARBONARIA. 1. Versus initium deesse puto, nec elidendum *aram.*

v. 2. Initium est tetrametri troch.

v. 3. Al. *Spectavi* et *opulenter.*

v. 7. Al. *sedulum est.*

Ad pag. 408.

COLAX. 2, 3. Ad *animo* addito *d* ephelcysticon: *animod*, more prisco.

CORNICULARIA. 2. Sic vulg. nec quidquam mutandum. *decem* plene enunciandum. — *latrocinari* est: militem conductitium esse. Cf. Ind.

4. Apparet, pileum neutro genere hic adhiberi. Quare non est quod ab vulgata recedamus. Alii nimirum: *Obsecro te, pileum Vide meum, mi sodalis, mea salubritas;* quemadmodum et Bothius.

6. Senarius. Nec enim *meam* nec *Hedylium* elidendum.

7. Caput versus deesse reor.
DYSCOLUS. Pronomen *ego* a Bothio additum. Non enim legitur in ll.
FOENERATRIX. 1. Barbariam scito esse Romanam terram. V. Asin. prol. 11. Curc. 1, 2, 23. Capt. 3, 1, 23 et 4, 2, 105. Mil. 2, 2, 38.

Ad pag. 409.

FRETUM. v. 1. *Nunc illud est*. Both. *Hoc est*. Al. *Hoc illud est*. Cf. Capt. 3, 3, 1. *Nunc illud est, quum me fuisse, quam esse, nimio mavelim*. Cf. Rud. 3, 3, 1.
v. 2. *arietinum responsum*, quasi cornutum ennunciatum; dilemma.
3. *me* in aliis deest, aliis legitur. Addidit Bothius. In sqq. edd. *legiones omnes Lavernae*. Nostr. Both. atque *Laverniae* adiectivum. — *rorarii* milites, levioris armaturae. Item *accensi* sunt iuniores, qui post triarios in acie collocabantur. — *nos* in fine alterius versus deest in libris, additum a Bothio.
5. *Praeficae* erant mulieres ad lamentandos mortuos conductae; quae commemorantur Truc. 2, 6, 14. — *argutando*, i. e. loquendo, disserendo, garriendo, et quasi tinniendo. Sic enim idem noster Truc. 2, 6, 13. *Facile sibi facunditatem virtus argutam invenit; Sine virtute argutum civem mihi habeam pro praefica*. Cf. Trin. 1, 2, 163.
6. v. 2. *illud volui dicere* solemnis est se ipsum corrigentis formula; de qua v. Cas. 3, 5, 55 et 82. Ibid. 2, 6, 14.
FUGITIVI. Illa: *Iam inspesi* spuria esse ne dubitato.
MEDICUS. *Conspicillum* vide Cist. 1, 1, 92.

Ad pag. 410.

NERVOLARIA. 2. *moenia* scito esse i. q. *munia* i. e. munera, officia. Cf. Stich. 5, 4, 13. Trin. 1, 1, 2.
PARASITUS. *Inde* monosyllabum, uti saepe. Cf. Amph. 1, 1, 4. Aul. 2, 7, 4. Stich. 2, 1, 21. *bene* enim ne elidatur. — Altero versu *tramite* in fine producitur. Similiter Asin. 2, 4, 48. *Repromittam istoc nomine solutam rem futuram*. Et ibid. v. 14 et 36 in infinitivo tertiae finalis producta legitur. Pers. 1, 1, 43. *Quód tu me rogás: nam tu aquam a púmice nunc póstulas*.
PLOCION. Copula *que* nulla legitur in cdd. addita a Bothio. — *petilus* i. q. exilis. *labra* semper accentum in ultima habent. Mutavit Bothius: *petilus habrus*, i. e. ἁβρός. Perperam; nam *petilus* aegre in fine produceretur, sequente litera *h*. Legendum: *petilis labris*.
SATURIO. Ante *glaber erat* al. inferciunt *qui*, Both. *Quin*. Utrumque omittendum. — *rien* i. q ren.
SCYTHA LYTURGUS. Hi versus ex Festo tralati sunt in vulg. et vett. Mil. 3, 1, 127. hoc modo: *Tum ne uxor mihi insignitos p*. etc.

Ad pag. 411.

VIDULARIA. 4. *si audes* i. e. q. si vis. Cf. Trin. 2, 1, 22. Truc. 2, 4. 74. Capt. 3, 5, 4.
5. v. 3. *reddibo*, forma futuri saepius usurpata a veteribus. V. Ind. Semper autem corripitur. Cf. Cas. 1, 41. Epid. 1, 1, 22. Men. 5, 7, 51. Ceterum in libris legitur *reddibo* non *reddebo*, uti dedit Bothius.
11. *Illic* monosyllabum. V. Ind. — *Soterinis*, dativus pro genitivo, uti saepenumero in Plauto. Cf. Trin. 3, 2, 18 et 1, 2, 167 et 2, 4, 22. Mil. 1, 1, 1 et 4, 1, 9 et 5, 38. As. 2, 4, 20 et 5, 1, 4. Amph. prol. 66. 68. 85 et 1, 1, 159 et 5, 1, 43. Pseud. 1, 1, 109. V. Ind.
INCERTA. 9. *tibi* tamquam unam syllabam hic proferendam esse patet. Similiter alibi *sibi*. De quibus vid. Indic. — *corius* pro *corium* vid. Poen. 1, 1, 11. *Tris facile corios contrivisti bubulos*.
22. *columbar* contractim tamquam disyllabum enunciandum.
23. *deconciliare* videtur esse i. q. *inconciliare*, h. e. negotia facessere alicui, decipere aliquem. V. Ind. et Bacch. 3, 6, 22. Most. 3, 1, 80. Trin. 1, 2, 99. Pers. 5, 2, 58. — *persibus* creditur perprudens, percallidus. In ll. legitur *persicus*. Em. Scaliger.

INDEX.

A.

62. II, 3, 20. *abi prae*, praecede, Amph. I, 3, 45. *abin' hinc?* Amph. II, 2, 236. Cas. II, 4, 23. Trin. IV, 2, 147.
abire e matrimonio, Mil. 4, 4, 28. Men. 5, 1, 23. *abivit*, Amph. prol. 125. I, 3, 25. II, 2, 11. Cist. 4, 2, 37. Men. 2, 2, 57. III, 3, 26. Capt. 3, 1. 18. *abit*, i. e. abiit. Capt. 4, 2, 108. Men. 3, 1, 5.
abiectae aedes, vili venditae, Most. 4, 2, 3.
abiciam, abiic. Men. 3, 3, 31.
abiegna sors, Cas. 2, 6, 32.
abiendi, abeundi, Fr. Am. 12.
abiero, i. e. abibo, Ep. 3, 4, 83. Most. 3, 1, 56. Pers. 2, 2, 68. Cf. *futurum exactum pro futuro indic.*
abies, tabellae, epistola, Pers. 2, 2, 66.
abigere, Truc. 2, 1, 41.
abire, troch. Trin. 4, 2, 141.
abitus, Amph 1, 3, 31. II, 2, 38. Cist. 1, 1, 34. Most. 3, 2, 21.
abitus, longa media, Amph. 2, 2, 14. 20.
abitio, Rud. 2, 6, 19.
abiudicare se a vita, As. 3, 3, 17. Rud. 5, 1, 3.
ablativi tertiae in *i*, v. *Carthagini, temperi, Sicyoni, pignori, ruri, parti, mani.*
ablegare, peregre legare, Cas. pr. 62.
abnuere, Truc. pr. 6. Capt. 3, 1, 21.
abnutare, nutu alicui significare ut dissimulet aliquid, Capt. 3, 4, 79.
abominare, cavere, Trin. 3, 2, 82.
abortio, Truc. 1, 2, 105.
abripere se repente, abire, Mil. 2, 2, 22.
abrogare fidem alicui, minuere, Trin. 4, 3, 41.
abs chorago, Pers. 1, 3, 79.
abs qua, Men. 2, 2, 70.
abs te, Bacch. 4, 8, 102. Capt. 3, 5, 52. Trin. 3, 2, 69. IV, 2, 127.
abs terra, Trin. 4, 2, 105.
absens tamen, i. e. tametsi absens, sollemni dictione, Amph. 1, 3, 44 II, 2, 205. Mil. 3, 2, 52. IV, 8, 30. Cas. pr. 20. 63. Stich. 1, 2, 42.
absente hic me, ut *hic* non ad absente, sed ad alterum verbum trahatur, Amph. 2, 2, 188. 205. 206. Epid. 1, 1, 62. Truc. 2, 4, 82. Most. 4, 4, 24. (cf. tamen v. 26.) Trin. 3, 1, 16.
absente me, Cist. 1, 1, 109. Men. 3, 2, 27. Trin. 1, 2, 130.
absinthium, Wermuth, Trin. 4, 2, 90.
absistere, remotum stare, Mil. 2, 2, 48. Truc. 2, 6, 32.
absolvere, consumere, Pers. 2, 3, 15.
absolvito me hinc, certiorem me facias, Amph. 5, 1, 48. — Epid. 3, 4, 34. V, 1, 25. Men. 5, 2, 30. Most. 3, 2, 155. Merc. 1, 2, 57.
absque te esset, Bacch. 3, 3, 8. Capt. 3, 5, 96. Men. 5, 7, 35. Trin. 4, 1, 13. V, 2, 3. Pers. 5, 2, 60.
abstergére labellum, As. 4, 1, 52.
abstinere aliquid, sich enthalten, Aul. 2, 5, 19. Trin. 2, 1, 42. *aliquem aliqua re*, vetare, Amph. 3, 2, 45. Mil. 3, 1, 48.
abstinere aliquo manum, Truc. 5, 34. 52. Cas. 2, 3, 13. Pers. 1, 1, 11.
abstinere culpa, sich enthalten, Men. 5, 2, 18. *culpam*, Men. 5, 6, 18.
abstinere manum, Most. 1, 3, 134. *potin' ut me abstineas manum?* Rud. 2, 4, 11. Poen. 1, 2, 73.
abstinere se urbanis rebus, Cas 1, 1, 13.
abstines? arces, removes a te? Men. 1, 2, 55.
abstrahere, Merc. 2, 3, 19.
abstrudere colaphos in cerebro alicuius, infligere, Rud. 4, 3, 79.
abstrusus, reconditus, Poen. 1, 2, 132. Merc. 2, 3, 25. Cur. 5, 2, 8.
absumedo, consumtio, Capt. 4, 3, 4.
absumere, Cur. 5, 2, 2.
absumtus est, periit, Mil. 2, 4, 55. Epid. 1, 1, 85. Most. 2, 1, 18.
absurde, Capt. 1, 1, 3. Ep. 3, 1, 7.
abundat mare, evomit, Truc. 2, 7, 20. — Stich. 2, 2, 6.
abuti, passive, consumi, As. 1, 3, 44.
abuti rem, consumere, Trin. 3, 2, 56. Pers. 2, 3, 13. Poen. 5, 4, 43. — Cf. Cic. II. Verr. I, c. 9. §. 25.
accedere, Zugabe sein, Ep. 3, 4, 42.
accedere fores, i. e. ad fores, Truc. 2, 2, 34. *periculum*, i. e. ad periculum, Ep. 1, 2, 46.
accepta aera, gutgeschrieben, Truc. 1, 1, 54. IV, 2, 40.
acceptae, bewirthet, Cas. 5, 1, 1.
acceptare, *expensare*, Ps. 2, 2, 32.
acceptissimus, gratus, Capt. 3, 5. 56.
acceptor, Trin. 1, 2, 167.
acceptrix, Truc. 2, 7, 22.
accessit tibi stultitia, Amph. 2, 2, 85.
accibo, Mil. 3, 3, 61.
accidere, ad terram decidere, de stellis, Rud. prol. 8. de hominibus volaticis, Poen. 2, 39. *accidit aures sonitus*, Stich. 1, 2, 31.
accidit aliquid libĕre, Amph. 1, 1, 12.
accipere aliquem, mulcare, Aul. 4, 4, 3. coenam dare, Bacch. 4, 8, 151. V, 2, 67. Truc. 3, 2, 20. Cas. 5, 1, 1. Cist. 1, 1, 11. Men. 5, 2, 44. Stich. 4, 2, 35.
accipere corde, perspicere, Cas. 2, 2, 17. *auribus*, audire, Cas. 5, 2, 5.
accipiter, Pers. 3, 3, 5.
accola, Aul. 3, 1, 1. Rud. 3, 2, 2.
accongerere, Truc. 1, 2, 19.
accredere, As. 3, 3, 37.
accrescere, Cur. 2, 1, 4.
accubare, Bacch. 1, 1, 48. I, 2, 32. 33.

oere, Rud. 2, 6, 41. Most. 4, 1, 7. Stich. 2, 2, 33.
ad rem suam sapere, Truc. 4, 4, 1. *ad genium*, Pers. 1, 3, 28.
ad postremum, Aul. 3, 5, 53.
adaeque, pariter, Capt. 4, 2, 49. V, 4, 2. Cas. 3, 5, 65. V, 1, 5. Cist. 1, 1, 56.
adambulare, Bacch. 4, 4, 8.
adaxint, adegerint, Aul. 1, 1, 11.
adbibére aures orationem, Mil. 3, 3, 10. — Stich. 2, 3, 58.
adbitere, Capt. 3, 4, 72.
adcubuo, ad modum v. *assiduo*, Truc. 2, 4, 71.
adcubabo, Stich. 2, 3, 53.
addecet, Bacch. 1, 2, 20. Rud. 5, 3, 35. Stich. 4, 1, 14. Ps. 1, 5, 156.
addere suas ad meas miserias, Cist. 2, 3, 46.
addere operam, dare, Cist. 1, 1, 53.
addere gradum, properare, Trin. 4, 3, 3.
addicere se, se vendere, Capt. 1, 2, 72. Poen. 2, 50.
addici in iure, Rud. 3, 6, 53. Poen. 3, 1, 61. V, 6, 4.
addicti, Bacch. 5, 2, 90. Poen. 3, 4, 10. IV, 2, 11.
adducere domum, pro *abducere*, As. 5, 2, 87. — Ep. 1, 1, 92. Rud. 2, 6, 17.
adduntur noctes, Truc. 1, 1, 21.
adduxe, adduxisse, Rud. 4, 4, 3.
ademsit, ademerit, Ep. 3, 2, 27.
adeo, etiam, Aul. 2, 4, 12. IV, 10, 13. Cas. 3, 3, 6. Cist. 1, 2, 5. Trin. 1, 2, 144. 166. Pers. 3, 1, 2. Rud. prol. 36. Stich. 5, 2, 16. Ps. 1, 2, 52. Merc. 5, 4, 33.
ades corrept. Truc. 5, 28. Cas. 2, 3, 32.
adest correptim, Amph. 5, 1, 12. Bacch. 4, 8, 63. Pseud. 4, 1, 20.
adeste, animum advortite, Trin. pr. 22.
adesurire, Trin. 1, 2, 132.
adfatim, v. *aff.*
adfero me huc, Amph. 3, 4, 6.
adfinem esse negotiis publicis aut maritumis, Trin. 2, 2, 54. v. *affin.*
adfore, Capt. 3, 5, 38.
adfluere frumento, abundare, Ps. 1, 2, 60.
adgerere, Truc. 1, 2, 17. 18. Cas. 1, 36.
adglutinare, Aul. 4, 10, 75. Cist. 3, 17. Men. 2, 2, 67.
adhuc, hucusque, Capt. 5, 1, 4.
adhuc locorum, Capt. 2, 3, 25.
adicere, adiicere, Merc. 2, 4, 23. Capt. 2, 1, 9.
adiectiva diminutiva, v. *aureolus*, *nitidiusculus*, *unctiusculus*, *bellulus*, *plusculum*, *pauperculus*, *pauxillulus*, *meliusculus*, *tantillus*, *misellus*, *scitulus*, *argenteolus*, *Samielus* (Stich. 5, 4, 12.), *horridulus*, *sordidulus*.
adiectiva in *bilis*, Mil. 4, 4, 8. II, 6, 63. Bacch. 4, 2, 3. Men. 1, 2, 57. etc.
adigere, Capt. 4, 2, 36. Ps. 1, 3, 113.
adipisci, erreichen, Ep. 1, 1, 13. Trin. 2, 2, 90.
adire manum, decipere, Aul. 2, 8, 8. Poen. 2, 11. Pers. 5, 2, 18.
adire ad aliquem, Cas. pr. 41. Curc. 1, 2, 58. Trin. 2, 2, 109.
adire mecum aliquid ad pactionem, Aul. 2, 2, 25.
aditio, Truc. 2, 7, 72.
aditus, Cist. 1, 1, 34.
adiudicare, addicere, Men. 1, 3, 6.
adiurare, iurare, Bacch. 4, 5, 8. Cist. 2, 3, 27. 40. Men. 4, 2, 58. V, 7, 38. Most. 1, 3, 26.
adiutabilis, qui adiuvat, Mil. 4, 4, 8.
adiutare, Truc. 2, 7, 9. Cas. 3, 3, 17. IV. 3, 14.
adiutor, Cas. 3, 5, 98. Ep. 5, 2, 11.
adlaudabilis opera, Pers. 4, 5, 1.
adlegare aliquid curando, Stich. 5, 2, 8.
adlegare aliquem, Amph. 1, 1, 29. Cas. prol. 52. 55. III. 4, 14. Ep. 3, 3, 46. Pers. 1, 3, 55. Poen. 5, 2, 140.
adlevare se, bono esse animo, Pers. 2, 5, 3.
adligare canem lactibus, Ps. 1, 3, 99.
adlubescit primulum, Mil. 4, 2, 14.
adludiare, Stich. 2, 3, 58. Poen. 5, 4, 78.
admigrare, Pers. 3, 1, 19.
adminiculum, comes, Most. 1, 2, 47.
administraret, quatuor syllabis, Ep. 3, 3, 37.
admiror, exprobrantis, Ep. 5, 1, 21.
admissarius equus, Mil. 4, 3, 19.
admisse, admisisse, Mil. 4, 7, 4.
admittere in se aliquid, Amph. 3, 2, 4. Trin. 1, 2, 6. *quid admisi in te?* Men. 5, 1, 12.
admoderari risu, risu se continere, Mil. 4, 2, 82.
admodum, Epid. 1, 2, 1. Men. 2, 1, 30. Most. 3, 2, 126. Trin. 2, 4, 192. Merc. 2, 3, 64.
admodum, in responsione, Bacch. 4, 6, 40. V, 1, 45. Trin. 2, 4, 19. Rud. 1, 2, 55. I, 5, 12. III, 6, 2. IV, 4, 36. Ps. 4, 7, 55.
admodum quam, valde, Amph. 1, 3, 43.
admoenire oppidum, Ps. 1, 3, 164. (obsidere).
admordere aliquem, decipere, Pers. 2, 3, 18. Ps. 4, 7, 22.
admovere fabricas alicui, Cist. 2, 2, 5.
admutilare, tondendo, proprie, Capt. 2, 2, 19.
admutilare, sc. tondendo, i. e. ludificare, Mil. 3, 1, 171. Pers. 5, 2, 53.
adnutare, Merc. 2, 3, 99.
adolere, redolere, Cas. 2, 3, 20.

adolescens homo, Ps. 1, 5, 19. Bacch. 1, 1, 32.
adolescens in Plauto saepe est non iuvenis, sed vir, et in allocutione i. e. q. *amice;* cf. As. 2, 2, 70. Most. 3, 1, 120. Aul. 4, 10, 9. Bacch. 4, 1, 15, Cist. 2, 3, 53. Curc. 3, 29. Most. 3, 1, 120. Pers. 4, 4, 109. Pseud. 2, 2, 21. Ep. 1, 1, 1. III, 4, 4. Men. 1, 2, 26. II, 2, 11. III, 2, 29. V, 9, 6. Trin. 4, 2, 29. Rud. 4, 3, 4.
adolescens moritur, *quem di diligunt*, Bacch. 4, 6, 18. — Ep. 4, 2, 33.
adolescentes, Truc. 1, 2, 5. II, 1, 35.
adolescentia. ab ineunte adol. Trin. 2, 2, 24.
adolescentula, Ep. 1, 1, 41. Rud. 2, 4, 3.
adolescentulus, As. 4, 2, 3. Mil. 3, 1, 39. Bacch. 1, 1, 55. Capt. 4, 2, 95. Cist. 1, 3, 10. Trin. 2, 2, 89. Poen. pr. 115.
Adoneus, Adonis, Men. 1, 2, 35.
adoptare socium, Cist. 4, 2, 79. filium, Men. pr. 60. Poen. pr. 76.
adorea, Amph. 1, 1, 39.
adornare nuptias, Cas. 2, 6, 67. — Ep. 5, 2, 24.
adparere, revera existere, Men. 2, 1, 14. Trin. 1, 2, 181. II, 4, 12. Pers. 1, 2, 21.
adpetit meridies, Most. 3, 1, 115.
adpotus, Amph. 1, 1, 129. Curc. 2, 3, 75. Rud. 2, 7, 8.
adscriptivi, Men. 1, 3, 2.
adsentio, Rud. 4, 3, 47.
adserere, Curc. 4, 2, 5. Pers. 1, 3, 83.
adservare aliquid, *auf etwas aufpassen*, Truc. 1, 2, 1. 10. Capt. 4, 4, 11. Curc. 4, 1, 5.
adsidĕre, Aul. 4, 1, 20. Stich. 1, 2, 35.
adsimile, simile, Truc. 2, 7, 13. Merc. 5, 3, 1.
adsimulare, As. 3, 2, 35. Bacch. 1, 1, 42. IV, 8 38. Truc. 2, 4, 39. 43. Capt. 2, 1, 33. V, 4, 10. Cist. 1, 1, 97. Ep. 2, 2, 13. III, 3, 39. Men. 1, 2, 37. V, 2, 82.
adsolere. quae adsolent, Pers. 5, 1, 7. Ep. 1, 1, 5.
adspecta huc me! Most. 4, 4, 32. cf. 3, 2, 150.
adspectus alicuius, Ep. 4, 2, 3.
adspersisti aquam, recreasti me, Truc. 2, 4, 15. Bacch. 2, 3, 13. Ep. 4, 1, 32.
adspicere, videre, Aul. pr. 3. Bacch. 2, 2, 26. Capt. 3, 4, 38. Cas. 3, 2, 32. Men. 1, 2, 36.
adsta! Trin. 4, 3, 52. Pers. 2, 4, 2. Cist. 2, 3, 53. Ep. 1, 1, 64. Most. 1, 4, 11.
adstans somniat, stando, Men. 2, 3, 49.
adstare, Men. 4, 2, 75. IV, 3, 2. V, 2, 112. Trin. 3, 1, 24.
adstare, firmum stare, Capt. 3, 4, 104. Ep. 5, 2, 9.
